
P
B



DE
SCLOPPETORUM
1566


F C









EX MUSÆO
D. BAUMES.
MEDICINÆ
PROFESSORIS
MONSPELLIENSIS.

100



DE SCLOPETTORVM ET TORMENTARIORVM VVLNERVM NATVRA, ET CVRATIONE, Libri IIII.

Authoribus Bartholomæo Maggio, Io. Francisco Rota, Alphonso Ferro, & Leonardo Botallo, Medicis, ac Philosophis præstantissimis.

Nunc primùm in gratiam omnium Medicinæ studiosorum simul coniuncti, ac in vnum volumen redacti.

Denuò impressi, & diligentissimè recogniti, ac repurgati.

Cum Indicibus Capitum, ac rerum omniũ insigniorum.



VENETIIS, Apud Gulielmum Valgrisium, & Io. Alexium Socios, & Bibliopolas Bononię M. D. LXVI.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.
D. D. IOAN. BAPTISTAE
DE MONTE,
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
EXERCITVS PRAEFECTO,
Bartholomęus Maggius.
S. P. D.



VM in Parmensi obsidione, ad vulneris curationem me vocasses clarissime Princeps, quod in femore in agro Mutinensi acceperas, dum hosti obuiam factus, impauidus, iaculorum, & telorum nubes non perhorrescendo, in acie decerneres, militesq; tuos

ad pugnam capessendam hortareris, illisq; animum vt adderes, primum te in certamen dares, & in hostium confertissimũ agmen impetum faceres: animaduerti magni nominis Medicos, qui in eo erant exercitu, ad vulnera bombardarum ictibus accepta sananda, eam curationem admouisse, ac si ab ignito, cãdentiq; telo excepta fuissent, quemadmodum etiam grauissimi nonnulli authores in huiusmodi vulnerũ curatione faciendũ esse litteris, & monumentis prodiderunt: quorum sententiæ nonnulli insignis nominis Itali Medici, innumeriq;, & duces, & milites, quibus cum dedita ope

ra

ra pluribus de hac re egi, adſcripſe re. Verum cum huc animum intendiſſem atq; animaduerſionem, & diligentiam excitaſſem, multa à tuis militibus ſciſcitãdo, ac quærendo, atque rem hanc ad rationem, coniecturamq́; reuocaſſem: tandem, & Medicos, & ſtrenuos illos milites tota erraſſe via deprehendi, qui cum meis ſcolaſticis multis rationibus ita ſe habere oſtendiſſem, eorum voluntas me cõmouit, vt de re hac, de qua cum præſtantiſſimis Medicis diſſentiebam, aliquid conſcriberem. Ne igitur aut noluiſſe me, aut laborem fugiſſe putarent, cum non ſine cauſa id velle cognoſcere eos

viderem, hos commentarios conscripsi. Quare cum multa tecum, & cum militibus tuis, hisq; in hisce nostris commentariolis scripsimus conuenientia, multis rationibus conquisitis, quando à te accersitus sum ad nonnullorum militum, quibus vulnera, dum fortiter in Mirandulana obsidione cum hostibus concurrerent illata fuerant, disputauissem, ac quodammodo tuo iure nostros hos commentariolos tibi vindices, atque tanquam legitimos tuos partus rationibus multis philosophicis, quibus in almo Bononiensi Gymnasio animum commouisti, & varijs bellorum periculis, quibus te

non

non ſine maxima omnium admiratione, me etiam præſente obieciſti, & quæ te ad harum rerum experientiam, de quibus in opuſculo agimus excitauerunt, tueri poſſes: hos labores tum pro mea erga te præclaramq́ tuam familiam obſeruantia, tum etiam quia primus ad hoc munus obeundum impuliſti, tuo nomini dedico, eorumq́ te tanquam patronum, & tutorem conſtituo, vt quod opus te authore natum eſt, id ipſum etiam in nominis tui præſidio à maleuolentißimis inuidorum latratibus, qui aliorum laboribus obtrectari ſolent, tutũ appareat. Quàm autem noſtri hi labores, & tibi, & cæ

teris, qui militiam exercent vsui esse poßint, hic non pluribus arbitror explicandum. In his igitur si & tibi, & alijs, qui nostras has lucubrationes cupere videbantur satisfactum fuerit, vehementer lætabor, sin minus grauiter dolebo, & me minus potuisse, quàm voluerim, & te non tantum assecutum, quantum speraueris. Accipe itaque hoc qualecumque, nostrum munusculum, & me deditißimum clientulum tuum foue. Bononiæ.


ILLV-

ILLVSTR.^mo AC EXCELL.^mo

DOMINO D. BALDVINO DE MONTE,

IVLII III. PONT. MAX. FRATRI, PRINCIPI OPT.

Io. Baptista Maggius. S. P. D.





VM superioribus annis, clarissime Princeps, Ioannes Baptista Montius filius tuus fratrẽ meum, quandiu Bononiæ cum eo fuit, non modo honorificè tractarit, verum etiam vnicè dilexerit, nemo ei dum viueret occurrere poterat, cui fœtus, & primitias ingenij sui libentius, quam ei à quo mirificè diligebatur cõsecraret: Quod cum ego optime scirem, nolui quidem certe committere, vt eius labores, & vigiliæ, sub alio, quàm sub eius ipsius filij tui nomine in manus hominũ peruenirent, quamuis

uis enim alter Bononiæ febri, alter Mirandulæ fortiter, & strenuè pugnans occiderit, tamen sic tibi persuadeas velim, me quantum eniti animo, quantum cura consequi, quantum diligentia perficere possum, semper operam daturum, vt tu, & omnes intelligant, nullum vnquam tempus fore, quo filij tui erga fratrem meum amor, & beneuolentia, & fratris mei singularis in eum obseruantia obliuione aliqua deleatur. Librum igitur, quem frater meus (vt dixi) filio tuo iure optimo dedicauit, eo animo accipias rogo, vt maiora, & meliora, si quæ domi latuerint expectes: mihi enim videor, quamuis omnia præstem officia, quæ possim, minus tamen facere, quàm debeam, aut velim. Caput autem illud est, vt filium, quem frater mei amantissimus vnicum reliquit, vt vxorem, vt familiam, vt me ipsum denique quibuscunque rebus poteris, nõ solum commendatissimos habeas, verum etiam in tuam clientelam, & fidem

dem

dem recipias, ac tuearis; præſertim, cum ad eam fidem, & obſeruantiam, quam frater meus in colendo tuo filio præ ſe tulit, tātum acceſſerit, vt vix credas locum fuiſſe augendi in eo, quod cumulatiſſimum videbatur. Vale.



GVLIELMVS VALGRISIVS, ET IOANNES ALEXIVS, BIBLIOPOLAE, candido Lectori S.





NIMADVERTENTIBVS nobis (candide Lector) quantum detrimenti, ne dum Medicis omnibus, verum etiam vniuerso ferè humano generi hucusq; attulerit penuria quorundam librorum, in quibus vt plurimū mors, & vita hominum consistit: nō alienum fore duximus, si Opuscula quædam de vulnerum sclopettorum curatione, adeò ab omnibus expetita,

noſtra opera nunc denuò in lucem darentur, & ex abditiſsimis educerentur tenebris. Pro virili igitur noſtra, publicæ conſulere commoditati conati ſumus, nec ſumptibus, nec alijs in huiuſmodi negocio opportunis, relictus eſt locus. Idq́; potiſsimum in cauſſa fuit, eò quia ante hac libri omnes de ſupradicta curatione agentes, ab inuicem diuiſi, exoptantibus eos vnitos habere, non minimum videbantur faceſſere negocium. Nunc noſtra opera in vnum volumen redacti, poterunt omnibus eſſe vſui. Et quoniam maior pars ex incuria, ſeu potius auaritia ſuperiorum typographorum

pro-

prodibant coram omnibus adeò inemendati, vt à legentibus vix possent intelligi, sedulò curauimus, vt à mendis, quoad fieri posset, repurgarentur, exactioriq́ cura imprimerentur, prout inter legendum viderint omnes. Si hanc nostram sedulitatem, ac curam æqui, boniq́ consultam nouerimus, maiora indies, ac potiora à nobis expectare licebit. Valete.

BARTHOLOMAEI MAGGII BONONIENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI

præstantissimi,

de vulnerum, à bombardarum, & sclopetorum globulis illatorum, & de eorum symptomatum curatione, tractatus,

in quo, nunquid huiusmodi uulnera cauterio, aut ueneno infecta sint, disputatur, ac aliorum omnium ulcerum rationes curatiuæ, & medicamenta ipsis ulceribus curandis idonea, ex Hipp. Galeni, & aliorum grȩcorum sententia copiosissimè describitur.



VM hoc tempore, non parua inter studiosos quæstio sit, nunquid vulnera, à bombardarum, & sclopetorum globulis illata, per ustionem concipiant, atque præstantes Medici, in horum vulnerum curatione, tanta sint in varietate, & dissensione constituti, quemadmodum tu quoque à nonnullis excellentißimis, huius nostri Bononiensis Gymnasii Medicis, audiuisti, ac cum ipse hactenus, cui assentire debeas, & quomodo vulnera hæc, methodo curanda sint, ambigas, meq́; sæpius, vt eorum curationem scriberem, rogaueris, tuis precibus, tibiq́; studiosißimo iuueni, & mei amantißimo, quæstioniq́; huic non parum dubiæ satisfacere cupiens, hæc in

tuam, studiosorumq; omnium gratiam conscribere decreui. Verum priusquam de istorum vulnerum curatione loquar, sphærulis ijs, aut globulis, nullã, aut saltem paruam caliditatem inesse, nec (vt nonnulli arbitrantur) adurere valentem, demonstrare conabor, si prius aduersariorum validiores rationes adduxero. Bona medicorum pars, huiusmodi vulnera perustionem cepisse, atq; ignis vim sensisse asserit, ac potissimum ratione aducta, quoniam talia vulnera, duritiem quandam, & veluti ἔσχαραν (sic enim contusam carnem, liuidam, atq; mortuam appellant) obducere, animaduertant, quam quidem à calefacto globulo atq; ignito, inductam esse, ostendere conantur. Quod me hercule vero, & rationi consentaneum videtur, tum quia globulus, à Bombardico seu sclopetario puluere, qui statim ab igne tactus, in flammam conuertitur, impellatur: tum quia etiam ratione maximi motus, caliditatem concipiat, ac quodammodo ignescat, ex Aristotelis sententia secundo cœl. tex. 42. dicentis motum vehementem ferrum calefacere, & plumbum liquefacere: ait enim motus est aptus ignire ligna, & lapides, rationabilius igitur propinquius igni, propinquius autem aeri, quale fit & in hisce sagittis, quæ feruntur, hæ namque adeo ignescunt, vt ipsum plumbum, quod in ipsis est, liquescat. sed in spherularum emißione, cum maximus excitetur motus, caliditatem suscipere videntur, & hac de causa cauterio inficere carnemq; ambure-

& 1. mete. tex. 3. & 8. phys.

burere: idque eos magis in hanc trahit opinionem, quoniam circa vulnera, rubedinem quandam animaduertunt, qualem in partibus ab igne ambustis, obseruari licet: quo circa ea inusta esse, ac tanquam exustis, curationem adhibendã asserunt. quin etiam ad nonam vsq; diem, excrescere, & augeri, huiusmodi vulnera, vt in veris combustionibus omnibus fieri consueuit. Nec defuerunt, qui dicerent, ea indicia, vestigiaque veneni referre, hoc argumento (quamuis rationem non aßignent) quod facile herpetis naturam sequantur, & ad corruptionem deueniant, vel propter illius sclopetarij pulueris compositionem, vel crustam putrefacientem. Verũ nunquid rectè sentiant, vbi hæc quæ scribimus perlegeris, dijudicabis. Non tamen primi qui has nouas opiniones inseruerunt, tantam mihi admirationem, quantam Philosophiæ, & veræ artis Medicæ professores efficiunt, qui cum primis in eandem sententiam deuenere, ac veluti cæcos duces, & amantes consultores sequentes (iuxta prouerbium illud tritißimum) turpiter lapsi sunt, cũ nullam in medium adduxerint authoritatem, aut rationem: eoq; magis hos dignos reprehensione existimo, quod cum in huiusmodi vulnerum curatione, tantam varietatem, dissensionemque, ac inconstantiam, viderint rei huic, animaduersionem non adhibuerint, neq; ad veritatem, rationem reuocauerint, sed vt horum opinio in veritatis lucẽ proferatur, rem nunc istam accuratius examinemus.

Si igitur ostenderimus inter cætera, paruam glo bulis illis à bombardis, vel sclopetis emißis, caliditatem inesse, & eam talem, vt neque carnem inurere, nec etiam contactas partes ita calefacere poßit, quemadmodum flamma, aliquid cui sensus inest illico contingens, inurit, & calefacit, manifestum nimirum erit, huiusmodi vulnera, minime perusta, neq; eo pacto, quo ipsi censent, curanda esse. Principio nullum audiui, (licet quamplurimos in Mirandulensi obsidione percontatus fuerim) cui à bombardicis, seu sclopetarijs globulis, ictus infixus fuerit, qui in ipso ictu, caliditatem se percepisse, dixerit, sed contusionem quandam, perinde ac si trabs aliqua, vel ruina ingens, in se ictum fecisset. At huic rationi, occurres, discesque, dolorem ingentem, à magna contusione excitatum. minorem à globulo ignito motum, obscurare, vt placuit Hipp. 2. aph. 46. ita scribenti, duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior, alterum obscurat, qui tamen locus, rationem nostram, non subuertit, quandoquidem supponit Hipp. duos illos dolores, in diuersis locis esse, sed in hac nostra ratione, idem est & cõbustionis (vt aiunt) & contusionis locus, iccirco consentaneum videtur, vt primum dolor ab igne (si globuli isti igniti sunt) percipiatur, cum primus in corpus agat, proximè alter dolor à contusione, in eadem parte, & loco excitetur, neque tamen vllum temporis spatium intercidit, sed ferè ad punctum temporis, ambo fiunt. Quamobrem,

rem, cum ab ijs, qui vulnera acceperunt, nulla caliditas percipiatur, eam si negauerimus, quid erit absurdum? Cæterum à globulo percutiatur aliquis, absq; vulnere tamen, cum sola duntaxat contusione, quod fieri solet, quando defessus globulus, partem aliquam corporis in fine velocitatis, & motus sui, percutit, vel quando eius impetus, reprimitur, & frangitur à ferrea armatura, dolor quidem tantum à contusione, non ab igne sentietur, quæ res globulum non comburere arguit. si quidem si plagam facere non potest, propter combustionem tamen, & percußionem saltem vestimenta, & si non vestimenta, saltem post eorum perforationem, carnis superficiem adureret, bullas seu vesiculas excitando, quod cum non fiat, non comburere, sed solum contundere, manifestum est. obseruatum enim à nobis sæpius est, & tu quoque Bononiæ, in quibusdam vulnerationibus animaduertisti, in abdomine præsertim exceptis, quod ictibus facilius cedit, cutim tantum contusam apparuisse, atq; affectum illum, qui ἐκχυμώσις .i. sanguinis collectio, in loco contuso dicitur, de quo Galenus quarto meth. primo, & vltimo cap. vel ὑπώπιον latini sugillatum, vel sugillationem, vel liuorem, dicunt, vel ὑπόσφαγμα .i. ruptionem venæ, ex ictu, vel plaga prouenientem, neque vltra hæc crustam aliquam, signumúe aliquod perustionis, derelictum fuisse, quod profecto secus fieret, si spherulæ ignitæ essent. Verum si huius rei, quæ ratione carere non videtur, periculum facere veli-

mus, nunquid ſcilicet à ſclopeto eiectus globulus, caliditatem talem concipiat, vel ex ipſo ſclopetario puluere, vel ex motus vehementia, & carnem perurat, eamq; cauterio inficiat, ex hoc, id de quo agimus, perſpicuum euadet, nec ſecus atq; diximus, ſe rem habere, oſtendet. Nam ſi iuxta aduerſariorum placita, igniti ſunt globuli ipſi, cur ſi ſtupam, fœnum, paleas, lanamúe percuſſerint, aut in quoduis aliud impegerint, quod facile conflagrare poſsit, vt in ipſum ſulphur, aut in aliud, quod flammam concipiat facilius, qualis eſt puluis ipſæ ſclopetarius, neq; ignis, neq; flamma excitatur? & tamen ſclopetarius puluis, omnium facillime, ex quauis vel modica caliditate, vel ſcintilla exigua, flammam concipit, nunquam tamen à globulo tactus, accenſus fuit, quemadmodum nos docuit experientia: licet enim pulueris non exiguum pondus charta inuolutum, & arbori appenſum à globulo percuteretur, à ſclopeto emiſſo, modo comminus, modo eminus, & demum à remotiori loco, vt tandem certior fierem, vtrum ex motus velocitate, vel ex perfrictione, ſeu attritione, miſſus globulus huiuſmodi caperet calorem (præſertim in maiori motu, in quo incaleſcere magis poteſt, & ita facilius igneſcere) qui puluerẽ poſſet accendere, nunquam tamen, aut puluis accenſus, aut combuſtus fuit, minus igitur rationi conuenire videtur, carnem ipſam cauterio affici, ac peruri à globulo poſſe, ſi quæ diximus omnia, ad ignem facile concipiendum, idonea, non inflammantur, ſiue

à pro-

à propinquo, siue à remoto loco eiectus sit globulus, dummodo tantum spacium intercedat, ne à sclopeti, aut bombardæ canula (vt ita dixerim) exiens flamma, ipsum puluerem, aut simile quidpiam, quod facile igniatur, contingat. Ad hæc, scis naues saccis, lana, vel stupa distentis (quos pilas ex lana, aut stupa vocat vulgus) circum muniri, ne à bombardarum globulis ferreis, in quibus calor maior capitur, quàm in plumbeis, lædantur, perfringanturque, ipsamq; nihilominus lanam vel stupam, non cremari, quamuis globi ferrei, in saccis lanæ, vel stupæ infixi, adhæreant, neq; etiam perustionis signum vllum relinquere, sed quandã solum nigroris notam, ab ipso puluere, non ab ignis adustione inductam. Præterea, si ad cogitationem reuocaueris, temporis breue spatium, quo globulus, corporis partem aliquam feriens, pertransit, licet ignitus esset (quòd tamen nullo modo concedimus) fieri non posse videtur, vt carnem perurat, crustamq; inducat, vt licet videre in pertractantibus carbones, aut res alias ignitas maximo motu, neque etiam si in parte illa, diutius contineatur, quando neq; in stupa, neq; in re quauis alia, cui inflammatio inferri facillimè poßit, nullum, vt iam demonstrauimus, perustionis vestigium imprimat, idq; omnes militiam exercentes, nouere. Nec iccirco desiderantur, qui à bombardica sphæra in vase sclopetarij pulueris pleno, flammam commotam, & incendium factum fuisse, dicant, quorum testimonio, cum fidem tribuamus, non aduersamur

mur, sed diuersa ratione id obtigisse, est existimandum. siquidem ferreus globulus, forte fortuna lapidem, vel ferrum aliquod attriuit, ex qua attritione, ignis deinde scintilla excussa fuit, qua postmodum, sclopetario puluere refertũ vas conflagrauerit, non quia globulus (vt isti putant) secum flammam aliquam, aut calorẽ traxerit, quandoquidem si globulus ignesceret, semper in contactu bombardici pulueris, flamma concitaretur, quod cum non fieri experimento didicerimus, quamobrem, aduersariorum placitum falsum esse non iudicabimus? neq; à super calefacto globulo, sed casu excitatum incendium credemus? At si odiosius instares, neque aliquibus rationibus, in nostram sententiam adduci posses, tibiq; iam omnino persuasum esset, ignitos globulos esse, neq; de hac sententia, vllo modo deijci velles: quærerem quamobrem ex vulneribus istis sanguis profluat? cum adurentia sanguinem compescant, sistantque, vt sensit Gale. 5. meth. Si verò non maximam sanguinis copiam, defluere dixeris. respondebo id quoque fieri posse, ex ingenti carnis contusione, quæ sanguinem repulerit, partemq; illam ita attriuerit, exiccaueritq; ad alias corporis partes sangrinem detrudendo, vt crusta ab igne facta videatur, qui deinde ad vulnus recurrens, sua copia, tumorem repentinum facit, neque propter attritam, exiccatamq; circa vulnus carnem, quæ meatus obstruit, profluere potest. Sed in omnibus huiusmodi vulneribus in superficie, vel in profundo

exi-

existentibus sanguinis profusio sequitur maior, vel minor, pro partis læsæ natura, quod fieri nequaquā posset, si igniti globuli essent & cauterio afficere, crustamque inducere possent. Adductis rationibus hoc quoq; si libet addamus: ponamus, (quod tamen nullo modo concedo) ignitos globulos esse, & adurendi vim, continere, rursus abs te quærerem aliud, quod tacito sensu, etiam quiuis poterit iudicare. Si à globulo, caro cauterio inficitur, adurit urque, probabili quoque ratione vestimenta, quæ prius occurrunt accendi deberent, tunc enim maiorem globulus continet calorem, faciliusq; uestimenta adurere, æquum esset, verum caro sola sic afficitur, vestes autē incombustæ (vt intuentibus patet) remanent, ita vt ab ignita re, contactæ non videantur. Vestes itaq; ex calidi globuli contactu, etiam concipere ignem deberent, non secus ac fieri solet, quādo scintilla ab ignito ligno, humido vehementer à sicco agitato, cum crepitu exciditur in vestimentaq; fertur, corpusque adurit, concrematis tamen prius vestimentis, in quibus & foramen amplum, nigrore infectum, & cum adustionis vestigio manifesto efficit: ego profecto cum huic rei, non mediocrem diligentiam adhibuissem, nunquam simile quidpiam, in vestibus à sclopetarijs globulis perforatis, & diuulsis, deprehendi, quamuis, in Parmensi, & Mirandulensi obsidione, sub Iulio III. Pont. Maxi. ad rem hanc, in quamplurimis vulneratis, diligentiam maximam contulerim, animaduersionem-

nemq́; adhibuerim, cum eo tempore, ſingulis diebus manum conſererent milites, multíque, a bombardarum, & ſclopetorum globulis, vulneribus conficerentur. Tu quoq; Bononiæ, in tot hominibus huiuſmodi telis uulneratis, in diploide, interula, aut alijs veſtimentis, aduſtionis aliquod indicium, dum mecum medicinam exerceres, neque animaduertiſti, neq; obſeruaſti: Sed duntaxat dilaniationem quandam, à globulo factam, & filamentorum veſtium diuulſionem, quæ profectò non apparuiſſent, ſi adeo candentes globuli eſſent, vt carnem cauterio afficere poſſent. hac igitur ratione quid poteſt eſſe manifeſtius? Et quamquam poſt percuſsionem, in veſtibus aliquibus nigrorem videamus, nō propterea ab igne factum, exiſtimandum eſt, quando ex plumbeo globulo (plumbum enim ijs quæ tangit, & perfricat, nigroris notam imprimit) vel ex ipſò bombardico puluere, qui globulum infecerit, fieri etiam potuerit. ſi certa magis experientia, id quod dicimus comprobare cupis, ignitum, & candentem globulum, in corporis aliquam partem inijcito, licet citato, & violento impetu feratur, combuſtionem veſtimentorum prius, deinde carnis, videbis, mirandum quippe in modum eſſet, ſi ignitus globulus, talem haberet vim, vt per veſtimenta immiſſus, citra veſtimentorum aduſtionem, corpus combureret, vt de fulmine proditum eſt, quod argentum in marſupio colliquat, ſine marſupij læſione, vt in meteorologicis Ariſtoteli placuit, de globulis tamen, non ita ha-

habendum est, neq; censendum, esset enim non modo hoc mirabile, sed prodigijs simillimum, & ostentis. qui quamuis mirificos, & prodigiosos indicent effectus, & moles ingentes quattiant, deijciant, & euertant, non tamen vt fulgura ignitum aerem, aut flammam trahunt, nec eiusdem naturæ, & virtutis sunt. & si in exitu spherulæ à sclopeti cannula secum flammam ducant, non longe tamen eam trahunt, sed quo longius feruntur, à flamma magis recedunt. Sed iterum instare posses, quemadmodum in qualitatibus omnibus rerum simplicium, quattuor concedunt gradus, vt Gal. ait quinto de simpl. med. ita quoque in globulo esset tenendum, tantum scilicet in eo esse calorem, vt carnem, non pannum, linteum, & similia poßit vrere, cum ad illorum combustionem, maiori opus sit calore, & intensiori caloris gradu, quam ad carnem comburendam, requiratur. huiusq; rei supponamus exemplum. Si calefacto ferro, carnem tetigeris, ferri fortasse contactum non sustinebit caro, pannum tamen, aut vestimentum vllum non comburet, eadem quoque de globulis, audebis affirmare, vt pote qui, in tali caloris gradu calefacti reperiantur, vt in carnem solum, non in vestimentum, agere poßint. iccirco mirabile non esse, si comburendi carnem, non vestimenta, globuli calor, vim contineat. Huic tuæ sententiæ, subscriberem, si de sensu tactus ageremus, qui aliquantum ferrum calefactũ, non ferret, & quanquam carnem calefaceret, non ob id vreret, si animans,

mans, huiusmodi calorem ferre posset, ac si forte fortuna vreret, vestimenta quoque ab æquali calore læderentur, idque experimento disces, si laminas duas ferreas æque calefeceris, & eodem tempore, altera carnem tangas, alteram vestimento admoueas: nam si vretur caro, vestimentum quoq;, combustionis, aut læsionis alicuius, pro diuersitate subiecti, expers non erit. Præterea si laminis ijs ferreis sclopetarium puluerem tetigeris, illico flammam suscitari videbis, eadem etiam ferè de globulis dicenda sunt, si illi igniti, concederentur, qui si adeo, vel ex motus vehementia, vel ex puluere bombardico incaluerint, & carnem adurant, eandẽ uim obiectis vestimentis, deberent inferre, cum prius globulis ipsis, occurrant, & contingantur, quos tunc magis calidos esse rationabilius est, quàm cum ad corporis partes peruenerint, cũ in transitu per alias partes, refrigerentur, licet in minimo temporis interuallo fiat: hoc autem cum non fiat, quis iure nos reprehenderit, si globulos ipsos, non ignitos esse dixerimus? insuper manifestissime hoc periculum eorum arguet & euertet opinionem, qui ex puluere globulos calorem concipere dicunt ita, vt adurant, siquidem si globulus magno etiam pulueris sclopetarij aceruo contegatur, puluisq; ipse accendatur, & illico quis globulum manu contrectauerit, nullum omnino calorem percipiet: poterit igitur globulus à sclopeto emissus calore aliquo, ab ipso accenso puluere concepto inurere? cum ne minima quidem ipsius globuli

buli

buli pars à puluere in sclopeto retento contingatur, statimque propellatur. Neque pericula facta à studioso iuuene Dominico Theobaldo Casalensi te moueant, quæ prima facie in sensum conspicua satis cadunt, quæ etiam nos re ipsa comprobare voluimus. Nam si liquatum plumbum in chartam coniiciatur, non modo non illam aduret, sed ne vix quidem calefaciet, minus igitur pannum, linteum, vel quidpiam aliud vret, ex quo vestimenta constent. Carnem tamen ardore afficiet, vesicamque faciet, quod adductas rationes nostras videtur labefactare. Nos autem non solum non colliquari plumbum, à puluere sclopetario, vel à motu, sed nec tantum quidem calefieri posse, vt carnem nota aliqua inurat, probare nitemur. Siquidem si plumbum colliquaretur, nunquam metam, aut locum collimatum attingeret, sed dispergeretur, nequam etiam videtur credibile, ita posse incalescere, vt carnem adurat, quia colliquatum, & calens plumbum, calorem illico amittere videtur, ita vt carnem vstione aliqua posse afficere non videatur, vt tu quoque facile experiri poteris: mirandum quapropter non est, colliquato plumbo, quamuis feruidissimum sit, neque charta, neque pannus, aut linteum deflagret, id enim viscositate sua fit, quæ in mollem substantiam agere non potest. Præterea si ita intensum calorem conciperet, in carne, super quam immoraretur, aliquod combustionis vestigium relinqueret, vel ab iis, qui læduntur, inustio, aut exsibilatio,

qua-

qualis illa, quæ in contactu rei humidæ, & ignitæ fit, perciperetur, quemadmodum fieri solet, quando candens ferrum, in humidam terram proijcitur, aut aqua immergitur, aut vbi ignito ferro, corporis partem aliquam adurimus: tunc enim ex actione caloris in humorem, fit strepitus, & sibilus quidam, quem in vulnerationibus à plumbeis globulis factis, etiam fieri, rationabile esset, cum intus globuli retineantur. Nulla tamen combustio, aut sibilus sentitur. quamobrem ignitos globulus esse, nullo modo credendum est. Cæterum ipsemet hoc verum esse colliges, si iaculatos globulos, illico in vola manus sustinueris, tantum omnino calorem non percipies, quin eos diutius in vola manus, commode, & sine periculo, continere poßis. magisq; in nostram sententiam iueris, si ita statim globulos apprehenderis, vt nullo modo, ex mora aliqua refrigeratos esse posse, existimes. Ad hæc si globulos ignem velles in motu solum retinere, ex perfrictione in motu facta, antequam ad locum perueniant, dicerem eundem igneum calorem habere, dum carnem, aut aliquid quidpiam, perforant, non tamen adurere, aut crustam inducere. Præterea si ignitos illos esse velles, & proinde crustam illam in vulneris superficie, duntaxt effiicere, aut in ingressu, non autem in exitu, ab aduersa parte: responderem, id etiam non citra rationem in contusione fieri. Si quidem globus dum carnem in ingressu perforat, resistentiam quandam reperit, quæ à soliditate partis substantiæ fit, in exitu

tu autem, partes illæ relaxantur, atq; tantum quandoq; cedunt, vt aduersa, & opposita cutis, ita extendatur nonnunquam, vt lorica, ex hamis ferreis confecta, & vestimenta lanientur, absq; tamen ipsius cutis perforatione, vt loco proprio dicemus: neque iccirco ibidem crusta non fit, quia globus, ad illam partem peruenerit refrigeratus: quod perspicuum euadet, si globus proiectus, forte prius brachium perforauerit, deinde pectus, crusta enim, seu caro illa liuida, & attrita, in ipso primum brachij ingressu deinde pectoris, non autem in egressu, aut brachij, aut pectoris reperietur, vt ad id, quicunque animum aduertere poterit. hoc ipsum, tu quoq; in nobili Ioanne Baptista Formagiario obseruasti, qui à globulo ictus, in humero secundum deltoidem, cum ossis, & totius brachij perforatione, plagam quoq; in pectore acceperat, secundum mamillam, in qua caro liuida, & similis carni illi attritæ, quæ in brachij vulnere in parte summa extabat, comparebat, de quo Ioannem Brambach Germanum, & Camillum Bartholinum Porculensem iuuenes curiosissimos, & artis Medicæ imprimis studiosos, & alios quamplurimos scholasticos, qui tunc vnà mecum erant, optimos testes habeo. Verum quorsum pluribus verbis vtor, ad rem manifestissimam comprobandam? plumbum colliquatum si bombici super posueris, ne minimum quidem eius floccum vret. Hoc autem si argumentis conareris, refellere, diceresque in re humida conceptum calo-

rem

rem inflammare non posse, vt de aqua callida manifestum est, quæ vesicas in membris attollit, cõbustionem autem non facit. Dicerem, colliquatum plumbum feruidius longe esse, quàm non colliquatum, quamuis humidißimum sit, quando maiorem suscipere calorem non potest, eo, quem in colliquefactione suscepit. In hoc plumbum colliquatum, si sclopetarium puluerem inijecieris, vix accendetur, si vero post coagulationem, illicò hoc feceris, non accendetur: minus ergo carnem, non colliquatum plumbum aduret? Rursus si liquefactum plumbum membro alicui admoueris, bullas quidem excitabit, aduret autem minime, atque hoc intelliges, si super carnis frustulum, liquefactum plumbum fuderis. Nos tamen crustam illam, quam alij in summo vulneris à globulo fieri duntaxat dixerunt, in profunda, & ima vulneris parte, etiam vidimus, quando ea in parte globulo occurrit, solida caro, quæ ictui aliquantulum restiterit. Quare in animum inducere non possum, globulos à sclopetis, aut bombardis iaculatos, ignitos esse, membrumq; cauterio posse afficere. Neq; in hoc etiam tuam animaduersionem desiderare vellem. Si ignito ferro corporis partem aliquam volumus adurere, per aliquod temporis spatium ferrum cãdens super partem illam retinere cogimur, sin aliter faceremus, nunquam quod intendimus assequeremur, si hoc idem plumbo efficere vellemus, maiori profecto temporis spatio opus esset, cum non colliquatum plumbum minorem calo

rem

rem concipiat, & si quem in se receperit calorem, eum breui tempore retinet. Posse igitur globulos calore aliquo, quem ex puluere, vel ex motu conceperint, in corporis parte aliqua, cauterium facere dicemus? Cum ad temporis punctum corporis partem, & si vis vniuersum corpus perforent. Neque eorum opinionem prætereamus, qui ex motus vehementia globulos ignescere dicunt, exemplum ducentes à sulphuræ illitis sagittis, in altumque iactis, quæ accenduntur ex aeris longa attritione, quæ ad accendendum ignem apta est nihilominus, quamuis ex Arist. sciam, & ita re vera cum ipso sentiam, attritionem calefacere posse, tamen tantum calorem plumbeos globulos in iaculationibus suscipere, vt inurere posint, cum his, qui hoc sibi iam persuaserunt, non sentimus: & qui talia de sulphuræ illitis sagittis protulere, adducti magis falsa sententia, quàm veritate ipsa, quamobrem ita se habere rem experientia non comprobauerint, antequam hæc tam oscitanter, ac impudenter perferre, admiror, quæ cum mihi fuissent renuntiata, non prius fidem adhibendam ijs duxi, quàm occulata fide, num sic esset res cognouissem: propositũ .n. mihi in omnibus pro viribus, prius nihil affirmare, veritate non perspecta, & de his maxime, de quibus inter eruditos aliqua est controuersia, vt in his in quibus Vesalius Gal. contradicit (quemadmodum scis) obseruaui, de quibus quidquam affirmare, aut negare volui, quàm illud ad examen prius reuocauerim, & vero

consentire, luce ipsa clarius perspexerim, vt alias, dijs benefauentibus cognosces. Quo circa, vt artificiose, & cũ canalibus fabricarentur sagittæ, quas totas cæra, & sulphure oblitas arcu particho & mox balista ingenti, modo in altum, modo in longum iaculati simus, neque sulphur tamen aut cæra acensa, aut colliquata fuit, atq; in hoc, multi testes optimi mihi sunt. Adde etiam hoc quod fide dignum fortasse non videbitur, (testibus tamen grauißimis non caret) sclopetum puluere bombardico onorauisse (vt ita cum vulgo loquar) & sulphureo globulo, quem tandem & à propinquo, & à remotiori loco, in parietem semel atque iterum & tertio immißimus, neq; sulphur à sclopetario puluere, aut à motu vehementi, & aeris attritione (quanquam vehementiori impetu, quàm sagitta ab arcu, vel balista missa, feratur) accensum aut liquatum fuit, sed parietem ita grauiter percußit, vt calcem, qua tectus ipse erat paries excauauerit, frustulaq; ipsius globuli, circum ipsam excauationem parieti, absq; aliquæ sulphuris immutatione substantiæ, aut coloris prioris, quo antequam in sclopetum immitteretur præditum erat adhæserint, teq; hoc experientia docebit: Quare vanißimum esse commentum dicentium sagittas sulphure illatas, & in altum iaculatas accendi, aut plumbeum globulum à sclopetarij pulueris accensione, & motu ita calefieri, vt poßit adurere concludimus, cum nec cæra incalescat hac ratione, neque sulphur ipsum accendatur,
aut

aut liquescat, quamuis à vi sclopetarij pulueris accensi impellatur, & citato motu ab circumfuso aere terratur, perfriceturq́; , siue sclopeto, siue arcu, aut balista eiaculetur. minus igitur plumbum ignescere dicemus: ex quo etiã vulnera à plumbeis globulis illata, ignis vim sensisse, nulla nec vera, nec certa ratione probari potest: explodenda igitur istorum opinio, quàm absurdam & vanam esse multis rationibus iam probauimus: Præter hæc, si ex calore in motu concepto, crustam globulos inducere velles, manifestißimo huic periculo pugnabit: vulneratus quippe à globulo in quattuor brachiorum distantia iaculato, in paruo illo motu ita posse incalescere globulum, vt perurat carnem, non erit credendum: cum ob puluerem ipsum sclopetarium accensum calorem non contrahat, carnem tamen nihilominus atteret, & contundet, ex quo crustam illam non à calore effici, sed à contusione solum (vt iam à nobis fuit probatum) existimandum est.

Istis igitur sic perpensis, vulnera à bombardicis sphærulis illata, non ignis vim sensisse, nec missas sphærulas (vt dictum est) cauterio posse inficere, aut adurere disces: & tãetsi aduersarij asserant carnem circa vulnus, ignis calorem sensisse & combustionem, id iã falsum esse nostris rationibus, & exemplis, in clarißima luce versatur: Vnde autem in vulneribus, quædam veluti crusta appareat, deinceps dicemus: Ex vehementi proinde contusione, à globulis facta, ipsa crusta videtur induci, qui qui quo-

niam sphærici sunt, & maximo impetu feruntur, lacerant, diuellunt, contundunt, atteruntq; adeo contactas partes, vt eas non modo sanguine, sed vitali spiritu priuent, quo circa languescunt, liuescunt, & emoriuntur, ita vt crustã referant. quæ re vera crusta non est, quandoquidem hæc ab igne, vel ab ignito ferro dura admodum, & solida inducitur, propter humoris prius in carne contenti exiccationem. Istarum vero vulnerationum eschara (vt ipsi dicunt) humidæ mirum in modum sunt, tantoq; humore refertæ, vt corrumpantur sæpe, & putresant, & syderatione, vt ita dicam, quam σφάκελον Græci dicunt, vrgeantur, ob immodicum humorem in attrita carne collectum, vt suo loco dicemus. quod in magnis etiam contusionibus aduertere licebit, veluti nos sæpe obseruauimus, in ijs, qui in brachio, crure, aut pectore, saxo icti fuere, vel globo à lacertoso brachio, vel à funda, vel à Balista iacto, vel in contusionibus alijs, quibus affecti fuerunt ij, in quorum crus equus ceciderat, aut quo vis alio modo, membrum aliquod obtritum fuerat, & contusum. in quibus sæpenumero caro tanquam mortua, & sanguine, & vitali spiritu carens, ex vehementi, & graui illa cõtusione, videbatur, & quæ tandem escharæ formam referebat, quamuis re ipsa eschara non esset, nec nomine hoc rectè appellari posset, cum nihil aliud sit ἔσχαρα, quàm crusta, & cõbusta caro circa partẽ, cui vel ignis, vel ignitum instrumentum admotum fuit, vel aliquid aliud, quod potentia, vt ita dicam,
adu-

adurendi vim habeat. Huic nostræ sententiæ, suffragatur Pauli authoritas, qui docet, quomodo à re contundente facta vulnera dignoscantur: Quoniam vero inquit, & lapides sæpe, & murices, & plumbeæ glandes, atq; in genus quædam funda eiaculata, tum ex iaculantis vi, tum ex angulis, quibus prædita sunt, in corpus intruduntur, ac latent, ad ea cognoscenda his notis ducemur, si contrectemus, asperum, atq; inæqualem tumorem subesse sentimus, plaga non prorsus recta, sed etiam maior caro item contusa, ac liuida cernitur, dolor præterea cum grauitate quadam infestat. in hanc quoque opinionem iuerunt Auicen. Haly. & Bucasis, & alij, qui à Paulo ipso eam omnes mutuo acceperunt. Quamobrem si diligenter animaduersionem adhibueris, in contusionibus, carnem liuidam, contusamq; videbis, quam isti ἔσχαραν appellare voluerunt, quia ab ignis vi, globuli vulnera hæc facientes impellerentur, sed tamen contusa caro est, illique simillima, quam in contusionibus magnis, videri diximus, verum illa caro liuidior longe, nigriorque, & cum grauiori dolore est, quippe quæ violentiam maiorem passa sit, neque proinde aliud, præterquam attrita caro, atque emortua à proiecti globuli contusione est, qui quamquam ab inge impellatur, non tamen ignitus esse potest, quandoquidem in bombardico puluere accenso, non tam diu moratur, vt ignem concipere valeat, quod etiam hoc exemplo clarum euadet, si pro plumbeo

globulo, in ſclopeto, aut bombarda, papyrum impoſueris modice digitis vel dentibus contuſam, non enim comburetur, ſed à ſclopeto incombuſta, & ab igne vix tacta egredietur, parteſque quas tanget male affiiciet, vt nonnunquam dum Romæ eſſemus, in interregno vidimus, dum ludi in foro diui Petri celebrarentur, in quibus quamuis bombardæ omnes, ac ſclopeti, puluere ſclopetario, & papyro implerentur, tamen ex papyri ictu quibuſdam naſus euulſus & perforatus fuit, papyro ipſa illæſa: hoc etiam magis tibi conſtabit, ſi pro glande plumbea, cæream ſphærulam ſclopeto cum puluere impoſueris: hanc a ſclopeto emiſſam, neq; liqueſcere, neque incaleſcere, & partes ad quas perueniet, vehementer lædere videbis, ita vt ſi vel lignum petat, in eo ingentis contuſionis veſtigium relinquat, quod quidem, nullo à ſclopetario puluere accenſo calore affici arguit: adde etiam quod admiratione dignum videtur, rei in quam iniecta fuerat, nõ adhærere, ſed proſilire, & retrocedere, non ſecus ac plumbea glans in parietem miſſa, quæ tamen ſi liquefacta, aut calefacta eſſet, rei contactæ adhæreret, atque etiam à motus vehementia calorem conciperet, ſi plumbeus globulus, ita ſecundum iſtorum ſententiam tum à motu, tum à puluere afficeretur: quæ res cum vero repugnet, illorum erit opinio abſurda, qui ſi cæram calorem colliquefacientem capere non poſſe, ob viſcoſitatem paruam, paruumque eius humorem reſponderent, eadem de plumbo eſſent affirman-

manda, quod minusquam cæra humidum est, hoc tamen calorem adeo intensum aiunt concipere, vt carnem valeat adurere, quod veritati quidẽ repugnat, tantum enim in se plumbum calorem retinere non posse, vt carnem perurat, demonstratum est: & si in corporis partes vim faciat, id motu ingẽti, & contusione aget, quemadmodum etiam cærea glans, ab eodem instrumento iaculata: Ad hæc licet secundum Aristo. motus calefaciat, ita nonnunquam vt plumbum in hisce sagittis, quæ feruntur liquefiat, hoc tamen rationem nostram, non subuertit, probatque globulos sclopetarios comburere: quandoquidem plumbum, quo sagittæ muniuntur, in tenues laminas ac veluti bracteas redactum est, ita vt sine magno labore liquari poßit, sed globuli sclopetarij craßi, solidique sunt. Ad hæc cum sagittæ hæ sphæricam figuram non habeant, magisque in scindendo aere laborant, sphæricæ aũt figuræ vt Arist. quarto meteorologicorum scribit, per aerem facilius feruntur quam cæteræ, quocirca cum circumfusum aerem difficilius fundant sagittæ, in motu ingentiorem calorem concipiunt, quod in globulis non fit, cum sphærici sint, & circumquaque faciliter voluțentur, & modo in hac modo in illa parte callefactio, si quam ex motu acquisiuerunt, circumspirante vento extinguatur, & refrigeretur. cæterum sagittæ diutius in aere, dum impelluntur, commorantur, quam globuli, tum ob ascensum, & descensum, si in altum eiaculentur, tum quia ad simpliciorem

aerem possunt peruenire, quo igniri possunt: sclopetarijs autem globulis hoc non accidit, neque enim tam diu per aerem feruntur, neque in altum mituntur. Quare cum collimatum scopum pertingerint, plumbum non colliquari, neque tantum incalescere posse, vt inurere valeat, credimus. Quocirca si neque ex bombardico puluere, vt de cærea sphærula iam diximus, neque ex motu, vt probatum est, calorem concipiunt, te etiam atq; etiam vellem cogitare, quomodo, si vniuersus sclopetarius puluis in sclopeto comburitur, aut saltē parum extra ipsum, neque globulos, ignis, aut accensus puluis ad metam vsque, in quam iaculantur, sequatur (quæ solet ferè semper ducentum passus distare) quomodo in eis calor erit? calefieri ergo nullo pacto videntur, posse: At aduersarijs id quoq; fieri posse conce damus, quid tum? nonne à circumfuso aere deinde refrigerarentur, ex quo absurda satis, experimentoque aduersa res sequeretur, in omnibus nimirum vulnerationibus à globulis illatis, escharam non reperiri, maxime enim cælo pluuioso, eiectos globulos, escharam non inducere, æquum esset, siquidem calor, vel ex motu, vel ex bombardico puluere conceptus, ab aere, & pluuia refrigeraretur. ad diuersum tamen non experientia excitauit, quandoquidem in vulneribus omnibus, siue pluuioso, siue sudo, siue pruinoso, siue niuoso cælo à sphærulis istis plumbeis impositis, semper mortua illa caro, attritaque conspicitur, quam isti ἔσχαραν appellauere,

quæ

quæ nullo modo ab igne, ſed à contuſione inducta eſt: Cæterum ſi globulos illos calorem capere ex veloci duntaxat motu, & violentia ipſis globulis adhibita velles, dicerem, neque aliter crederem, ab aere frigido recenti, cui (dum fertur) ſemper occurrit, poſſe cœlo etiam ſereno extingui, quanquam in noſtra adhuc perſiſtamus ſententia, neque in ſuo motu, tantum concipere calorem affirmamus, vt carnem comburere valeant. Si vero ex vulgari illa opinione, calorem manifeſtiſsimè percipi diceres, ſi eiaculatus globus ſtatim tangatur, qui parietem percuſſerit. Non tantum ob puluerem bombardicum, vel ob celerem motum, ſed ex aeris colliſione, inter globulum & parietem, quæ denſa corpora ſunt, contractum fuiſſe calorem reſponderem, & hoc idem animaduerteretur, ſi manu ſaxum vel ferrum in parietem aut aliud, quod corpore ſit ſolido inijceretur, hoc tamen ſi in molle corpus iacularetur, non vtique contingeret: quare globulis non tantum ineſſe calorem, qui vſtionem facere poſsit patet: in illis tamen aliquem ineſſe calorem, cum Ariſtot. ſentimus, tantum autem vt corporis partes inurant (quod noſtris placuit aduerſarijs) negamus: qui quamuis vulnera à globulis plumbeis inuſta eſſe affirment, cum circa vulnera ipſa ruborem ſequi videant, inuſtarum tamen partium hoc ſolum eſſe proprium nolumus, quia in alijs quoque vulneribus, ſeu contuſionibus, ob ſanguinem tenuiorem, rubor, quem græci ἐρυσιπέλας appellant, ſe

qui

qui solet, qui quidem robur, in contusionibus potissimum euenit, cum à contundente re maior fiat dolor, quam ab incidente, vt in his qui flagello, aut virga, aut alia re solida, cæsi fuere, neq; id temere, si quidem facilius irritatus tenuior sanguis in corpore existens, ad particulam dolore affectam, confluit, quemadmodum in corporis partibus ab ignita re ictis, licet videre: Proinde mirum non sit, si in globulorum vulnerationibus, rubor appareat, & dolor, & grauitas sentiatur, vt abunde declaratũ arbitror: Quod vero ad nonam vsque diem vulnera ab ignita re facta, increscant, & augeantur, vulgaris opinio est, neque tamen ratione caret, quia escharam ab igne inductam, nouem illis diebus, abscedit, vt plurimum ex puris generatione, & adustæ carnis putrefactione, vulgus, ex ignis natura, vulnera talia ad nonam vsq; diem augeri, putauit, hoc tamen idem, abscessione aliarum crustarum obseruatur, quæ à rebus potentia causticis, fiunt, quod si in istis vulneribus etiam apparet, huiusmodi augmentũ & dilatatio ex putrefactione, & abscessione contusæ carnis, non ex ignis, natura (cum nullam ignis vim senserint) fieri dicemus.

An vulnera hæc ex puluere veneno aliquo infecta sint.

Habes igitur mi Ioannes vulnera à globulis illata adusta non esse, neque etiam vllam ignis vim passa esse: Quapropter vt adusta vulnera, aut aliquomodo ab igne affecta, non esse curanda, sed tamquam ab atterente re, & contundente facta, medicanda, vt dicemus. Adde etiam non vt veneno infectis, medici-

licinas esse faciendas, quamuis alij, præter contusionem perustionemque, veneno infecta esse, asseuerant, fortasse ita rem se habere, ex hoc adducti, quia facilè vulnera huiusmodi depascentia, serpentiaq; fiunt: Verum quantum errent, manifestum euadet, si ex quibus sclopetarius puluis constet, dixerimus. Recipit enim, sulphur, nitrum, carbones salicum, vel auellanarum, quorum nullum simplex venenosum est, siue illud, vt internis medearis morbis exhibeas, siue vt externis medicinam facias, affecto loco apposueris, vt de sulphure videre licet, quod à Galeno in libro de simpl. med. fac. ad innumeros morbos sanãdos, maxime commendatur, vt ad scabiem, & lepram tollẽdam, & ad quamplurimos alios affectus fugandos, & ad venenatorum quorundam morsus sanandos, de eo enim sic scribit, Sulphur omne trahendi vim poßidet, estque temperamenti calidi, atq; essentiæ tenuis, adeo vt ad nonnulla venenatorum animalium, resistat. Si per interius propinatur, deleteria natura caret, vt ex Dioscor. libro 5. cap. 73. colligimus, sic dicente. Prodest tußibus suspiriosis, perulenta extußientibus, in ouo sumptum, aut suffitum. Nitrum vero nostrum antiquorum authoritate carere veneno, non possum probare, nisi coniecturis quibusdam quoniam nostrum nitrum, ex quo puluis sclopetarius constat, arte paratum est, modoq; diuerso ab illo, quo antiquorum nitrum præparabatur: Antiquorum enim nitrum, modo ex efflorentia terræ cuiusdam, vt sal in mineris supra ter

ram, colligebatur, modo arte ex aqua nili fluminis fiebat, quemadmodum de salis præparatione Plin. tradit, quo frequenter in arte medica vtebatur: Nostrum autem nitrum fit ex terra diù sub tecto seruata, aut ex suum, vel ouium limo stercoreúe superfundendo aquam per diem, quæ deinde nitrositatem in ea terra contentam contrahat, præterea ad crassitiem quandam huiusmodi aqua decocta in nitri stirias vertitur mutaturq́; , ex quo sclopetarius puluis cum prædictis rebus, conficitur: Sed nitrum quoquomodo paratum fuerit, nihil aliud est quàm terræ nitrositas quædam concreta, nostro tempore in parietibus humidis nitrum eiusmodi colligitur: vtcũq́; tamen paretur, nitrum siue epotum, siue extrinsecus admotum, facultatis est digerentis, virtutisque mediæ inter salem, & aphronitrum secundum Gal. 9. & 11. de simp. med. fac. nostrum autem nitrum venenosa vi præditum sit nec ne, nulla antiquorum authoritate venenosa vi præditum esse, possem affirmare. Verum cum eodem modo quo antiquorum nitrũ conficiatur, crederem nullo veneno imbutum esse, & tuto ebibi posse, quemadmodũ nonnulli, fidem adhibentes commentarijs in Mes. à Monachis illis editis, impunè medicamenta ex nitro confecta in magna copia sumpserunt, ex quo si epotum nitrum non nocet, corporis partibus admotum minus nocere credendũ est, quoniam scabiei, & exulcerationibus cutis fortiter exiccando, vt sal (cum maiori tamen stipticitate) medetur. Veneni autem vim carbonibus salicis,

aut

aut auellanæ inesse minus credendum est, mulieres eos in affectu piccationis sine periculo comedentes vidimus: Carbones quoque nos in quadam præparatione pillularum pro morbo gallico, vt pulueris præcipitati colorem occultaremus, addidimus, tutoque exhibuimus. Si vero externæ corporis parti admoueãtur nocebunt minus, cum tantum exiccent absque mordificatione, atque hoc in illis obseruauimus, qui quandoq; caracteres, cruces, vel litteras in brachio, vel in alia corporis parte, pingunt, acu vel stylo compungendo, & cuticulam perforando, carbones deinde in tenuißimum pollinem redactos, loco superponendo, & confricando, nullum tamen veneni vestigium, in perforata & compuncta cute apparet. Quod si ex admixtione nitri, sulphuris, & salicis, vel auellanæ carbonum, vim quandam mediam veneno non carentem produci diceres, vt de antidoti virtute, in theriacæ qualitate contra venenum, dixit Andromachus, dicerem etiam puluerem istum veneno præditum non esse, sed virtute tantum maxime exiccante, propter nitrum, sulphurq; crustam aliquam leuem inducentia, vt experientia nos docuit: si enim serpentibus vlceribus venis, vel aliis partibus adduntur, insigniter exiccant, exesionem interficiẽdo, nullamq; venenositatẽ (vt ita loquar) relinquẽdo: & id facilius intelligetur in illis, in quorum faciem granula pulueris dum nimis sclopeti foramini, in quo primum puluis accenditur, admouent vultum, aut quouis modo alio, in faciem exiluerint,

quæ

quæ adeo ibi figuntur integra, vt perpetuo, post vlcusculi facti ab ipsis granulis, percutiẽtibus, & contundentibus, consolidationem, (nisi maxima adhibita fuerit diligentia) ibi nigredo appareat, vt pluribus, in calce huius tractatus, de hoc agemus, curationemq; huiusmodi vlcusculorum, quam hactenus desiderauisti, scribemus, qualem (vt scis) illustri Comiti Cornelio Bentiuolo iuueni strenuissimo, adhibuimus, in cuius faciem, ac sinistri oculi adnatam, sclopetarij pulueris granula multa Romæ, in illis ludis, de quibus paulo ante mentionẽ fecimus, prosiluerant, itaque carni infixa erant, cum nigredine non pauca, vt visu turpissimum esset: ei tamen ita medicinam fecimus, vt ne macula quidem, nisi in adnata oculi, cui medicamenta admouere veritus sum, relinqueretur: nullum tamen in hisce vlcusculis venenum fuisse imbibitum, animaduertimus. Quapropter nunquam adduceret, vt crederem, puluerem sclopetarium venenatum esse, aut vulnus à globulis istis impositum, venenum aliquod obbibisse, sed malitiam si qua dum exeunt præditi sunt (quod tamen falsum esse dicimus) exuere, tempore illo quo deferuntur. Quocirca vulnera hæc nullum hausisse omnino venenum, quamuis nonnunquam σφακέλον & exesionem patiantur, affirmamus. Symptomata enim hæc, non à puluere, sed à contusa attritaque, & à mortua carne eueniunt, in qua humor à vulnere profluens imbibitur, qui cum copiosus existat, & naturali calore careat, putrescit,

cit, & proximas partes contingendo, eas corrumpit, atque hæ rursus proximas deinceps inficiunt, quemadmodum in sphacelo, & phagedæna fieri videmus, aut in maxima totius corporis cachochymia, maxima scilicet causarum, quæ incommodare vlceribus possunt, vt refert Gal. 4. meth. quo loco, de causis omnibus, pluribus verbis disserit, quæ vlcera depascentia reddere possunt, quæ vel herpetas nominat, quando scilicet, summa tantum cutis, ab humore maligno exeditur, vel phagedænas, quando subiecta corrumpitur caro, atq; hæc vulnera putrida, & depascentia nonnulli etiam vocauere vt Gal. 6. aphor. 45. scribit. Verum vulnera, à globulis plumbeis illata, depascentia, facilius quam cætera fiunt, ob attritã, & contusam illam carnem, & ob malorum succorum vniuersi corporis copiã, non quia vt aliјs placuit, venenata sint: Quot si ita vt ipsi aiunt esset, vulnera omnia sclopeticis globulis imposita, putrida atq; depascentia esse deberent, essentq; istorum vulnerum hæ propriæ differentiæ, cum tamen, vlceris alicuius, has proprias esse differentias, Gal. non placeat, 6. aphor. 45. sed compositas quasdam paßiones, ex vlcere, & putredine: & etiam absq; putredine vlcera esse poßint, vt idẽ asseruit, tertio, & quarto meth. sed cum non omnia talia vulnera putreda depascentiaque sint, veneno esse infecta, inficiandum est.

Habes igitur vulnera huiusmodi, nec ex puluere, nec aliunde venenata esse, neq; ignis vim & ca-

lc-

lorem ſenſiſſe, & proinde tanquam inuſta, curandi non eſſe: verum quomodo adhibenda curatio his ſit, nunc audies.

Vulnerum curatio à ſclopeto factorum.

VVulnera à globulis illata, quoniam vel in carnoſis partibus ſunt, vel in neruoſis, vel cum læſione oßis alicuius, vel ſine læſione, uel carni, uel oßi globuli ſoli infixi ſunt, vel cum veſtimentorum parte vel cum particula armaturæ ferreæ, aut cum hamis loricæ: erit igitur ab ipſo ſtatim initio, diligenter animaduertendum, num vulnus ſimplex ſit, ſine contuſione & dolore, an cum fractura oßis, an cum globulo ſolo, vel cum veſtimenti parte, an cum armaturæ ferreæ laminula, an cum hamis loricæ, & ſimilium infixione (vt ita dicam) & morbi eſſentia ſtatuenda, & abſoluenda, vt admonuit Gale. primo ac vt. com. 3. dicens: In primis quis nam ſit effectus, dignoſcere oportet, deinde ipſius curationem, ita aggredi: Non enim eodem modo curari (& 3. meth.) *poſſunt omnia, vt à Gal. 3. art. med. de ſimplicibus & compoſitis morbis proditum eſt longa oratione, quam in præſentia recenſere, ſuperfluo facerem, fingamus itaq; carnoſam particulã quãpiam à plũbeo globulo ictam, vulnus, cum contuſione accepiſſe,* (carnoſæ partis vulnus.) *abſq; rei alicuius in ipſo vulnere retẽtione, erit quidem iſtius morbi eſſentia, continui ſolutio, contuſio, & dolor: Solutio continui, & contuſio in carne*

fiet

fiet à globulo perforante & contundente, dolor deinde sequetur ex carnis dilaniatione & attritu, à quibus omnibus, tota curandi ratio, sumenda est: Veruntamen indicationes curatiuæ, quæ ab his sumuntur, sibi aduersari videntur: solutio enim continui, consolidationem, & vnionem indicat, quæ per exiccantia medicamenta absoluetur, secundũ Hip. lib. de vlc. Contuso autem vulneri, aut phlegmonoso, concoquentia, seu pus mouentia, conueniunt, ait enim adducto loco Hipp. medendum est, vt quam celerrimè, suppuretur, necesse est enim, carnes sic contusas putrescere, ac in pus verti, vt dictum à Gal. fuit 3. & 7. meth. vbi de ventriculi affectibus loquitur: Dolor vero, medicamentis, calida & humida qualitate præditis sedari postulat, sicut à Gale. declaratur 7. de comp. med. secundum genera, de aqua calida ducẽs exemplum, verum calida, & humida qualitate prædita medicamenta solutioni continui aduersantur, Gale. 3. metho. tamen si scopos ab ipso propositos intuebimur, ab eo fine quo non, curatio erit inchoanda, cæteris tamen nõ neglectis, vulnere nempe contusione, & phlegmone, vel quouis alio symptomate, si adderit vulnus tamen ipsum, ab initio re vera esset curandum, quoniam solutioni continui omni, cum sit morbus in compositione, vt ait Gal. 3. art. med. consolidatio conuenit. propriaq; ipsius est curatio: Quæ quidem continui solutio, si alicui præternaturali affectui cõiuncta erit eius curatio non vt simplicis vulneris erit, sed pri-

& Gal. 3. ar. med. & 3. meth.

"

& ab Hip. lib. de fra. cranei, & Gal. 5. de sim. me. fa. & 4. 6. 12. 13. meth.

calida & humi. medicaméta solutioni cõtinui aduersãtur.

vnde curatio ĩchoãda.

& lib. de cau. mor.

mum affectui vulneri coniuncto, deinde vulneri ipsi medebimur: quandoquidem cum vulneri circumiacens caro contusa sit, & phlegmone vt plurimum vrgeatur, qui tumor est præter naturam, fieri non potest, vt cõmodè sanetur vulnus, sed multo maius potius reddetur, nisi loco in quo fuerit, prius medicatus fueris: In proposita igitur nostra hypotesi si contusa, attritaq; sit caro, phlegmoneq; vrgeatur, non consolidabitur vulnus: neque etiam attritam, & contusam carnẽ remouebimus, non sedato prius dolore, si aliquis dolor vlceris locum infestet: Quapropter ei, cui primum mederi debueramus (vulneri nempe ipsi) postremum curatur. Scopi itaque vulnerum curandorum à globulis sclopetarijs, aut bombardicis acceptorum sic erunt propositi, vt primo dolorem remittamus vt etiam Auicen. 4. quarto cap. de vulnere cũ dolore placuit, contusione, & vulnere interim non neglectis: deinde animũ in ipsam contusionẽ defigemus: quibus remotis, & vulneris, cauo carne repleto, vt vltimo declarabimus operã dabimus, vt vulnus cõsolidetur quod quidẽ facile deinde consequemur: Acceptũ vulnus à globulo bombardico, seu sclopetario, dignoscetur ex contusione, vulneris figura, quæ circularis est, & parua, ex ægrotantis relatione, tumore inæquali, liuore carnis, & dolore graui, quem semper aliquod sanguinis profluuium sequi solet, quod secundum Gal. 5. me. sistendum est, quando hoc neglecto, curari vulnus non posset: à quo etiam vulnere, si parua sangui-

quibus notis vulnus acceptũ à globulis sclopetarijs dignoscetur. & Cel. lib 5. cap. 26.

guinis copia deflueret, ob contusionem, sanguinem ad partem aliam impellētem, vel ob aliam causam, fluorem ipsum sanguinis impedientem, exploratis prius ægrotantis viribus, frictione aliqua, vel levi caprificatione sanguinem educes, ex Hippo. sententia, lib. de vlc. ita scribentis, omni vulneri re- „
center facto, nisi in ventre sit, ex ipso statim plus, „
vel minus sanguinis effluere, expedit, & quæ sequũ „
tur: hoc idē ex Hipp. decreto, admonet Gal. 4. met. „
sic scribens, fit enim, inquit Hippo. effluente sangui „
ne, vulnus siccius, proinde sanius: addit præterea „
& minus inflãmatione infestatur deinde, si nimis deflueret linteola, vel puluilli in posca (quæ ex aqua, & aceto componitur) madefacti apponantur: verum quoniam neque acetum omne æque acre est, aquæ admixtione ad temperiem quandam, ita vt bibi poßit, reducendum est, ut Gal. 2. ad Glauc. docet, vel puluilli aut lenteola illa in oui albore cum sale, immergi, & madefieri debeat, vt Paul. lib. 6. cap. de palpebrarum affectibus, admonet, quod medicamentum, istis præsertim vulneribus, nostro quidem iudicio, mirum in modum conducet, & ad attritam, & mortuam illam carnem exiccandã, quam isti escharam vocauerunt, conferet: nec verendus est dolor, quippe huiusmodi medicamentum, parum vulnera illa mordet, ob carnē emortuam contusam & sensu destitutam: non tamen, vt lenteola hoc medicamento imbuta vulneris fundum tangerent vllo modo suaderem, cum vniuersum vulnus carne illa

sistétia fluxũ sanguinis.

oui albumen vulneribuscõtusis maxime cõmodum.

attrita æque circundatum non sit. frigida etiã aqua linteola posses imbuere, ex Pau. sententia, lib. 6. cap. 34. repellit enim humores propter dolorem ad vulnus confluentes, fluxumque sanguinis sistit. Cæterum si maximum esset sanguinis profluuium, oui albori & sali pulueres aliquos emplasticos posses addere, vt bolum armenam, thus, aloem, & consimilia, de quibus Gale. 5. meth. scribit, quæ inde si libet desumere poteris. Vulnere deinde vniuerso linteolum vel puluillum, in antedicto medicamento, cui aliquid rosacei olei, admistum sit superpones, tum vt dolor leuetur, tum vt fluxio humorum qui facile ad vulnus propter contusionem defluerent, impediatur, ex Gale. decreto 3. art. med.
» sic scribentis. Fluentes humores repellendi, qui au-
» tem fluxere, discutiendi. Verum quoniam omnes vulnerationes tam contundendo quàm cædendo illatæ, penicillis ex linteolis, vel ex rebus alijs conceptis (quos Barbari turundas & tentas) græci autem τὰ ἔμμοτα appellat, ideo ne claudantur, vel vt aperiantur magis, vel vt mundentur, & detergantur, vel vt pus, & ἰχῶρ idest sanies defluant, vel vt medicamenta commode in vulnus ipsum immittantur, vel ob alias multas causas, quas nunc recensere molestum esset, constipari ad fundum vsque solent: aduertendum etiam atque etiam est (quamuis nonnulli sint, qui laqueum ab vtraq; parte, si membrum perforatum sit, vulneri inserant) ne hoc in hisce vulneribus faciamus, tum ob ingentem contusio-

penicul li ĩfundũ vulneris mittendi non sint tum quales & 4. esse debeant primis dieb.

sionem, quæ causa est, vt attrita caro illa ex vulnere excidat, tum ob maximum, & vehementißimum dolorem qui accitur, dum laqueus intromittitur, & in vulnere retinetur. Quapropter nullum vel paruum admodũ peniculum primis saltem diebus imponimus, & tãtæ duntaxat lõgitudinis craßitudinisque, vt ne vulnus claudatur, poßit prohibere, quo aptè ex vulnere pus effluat: Neq; vulneris interioris conglutinatio verenda erit, si quidem tanta attritio & contusione carnis in toto vulnere est, vt nullo modo consolidari poßit. nisi post contusæ & attritæ illius carnis putrefactionẽ, & ablationem, & nouæ carnis generationẽ: aliquid tamen ex prædictis medicaminibus aperto ori vulneris poteris instillare. fugiesq; magnorum & longorum penicillorum & laqueorum insertiones, præcipuè ne dolor ex his excitetur, cum paulo ante monstrauerimus, & ex Gal. placitis probauerimus, in istorum vulnerum curatione primam indicationem à doloris sedatione sumi, qui non mediocris commoueretur, cum maximo ægrotantis incommodo, si penicilli craßi, & longi ad fundum vsq; vulneris, vel laquei imponerentur: tantus enim in istis vulneribus sensus est, vt vix dolori, qui ex penicillorum & laqueorũ contactu efficeretur, æger resisteret, quãuis in membro carnoso admodũ huiusmodi vulnera excepta essent. Vsus igitur peniculorum vniuersum vulnus constipantium, primis saltem diebus intercidat, quibus neq; carnis generatione, neq; ulceris abstersione, sed

doloris mitigatione, & attritæ carnis putrefactione indigemus. Cum vero in vulnere salutẽ aliquam, & securitatem cognoueris, pro vt res suadebit, penicillos vulneri impones. Peniculos itaq; ex stupa probè pexa, & sordibus omnibus carente, modo minores, modo craßiores, modo longiores pro vulneris latitudine, & profunditate cõcipies, quos medicaminibus, de quibus iam egimus, illitos vulneri leuiter, ne exacerbetur dolor inseres, vel exiguum medicamenti illius ori vulneris, quod primis quidem diebus hiat, ac patet instillabis, his peractis linteolum, vel puluillum ex eadem stupa (vt dictum est) eodem medicamento imbutum, & illitum vulneri superpones, fasciolaq́; lata, & longa, & apta, perinde ac membri vulnerati magnitudo exiget, vulnus obligabis, vt Cel. docuit lib. 6. cap. 26. cuius verba nõ est quod in præsentia adducam, vel declarem, cum tu sepius vulneribus, secundum eius decreta mederi me videris, ac tu quæ ab ipso scribuntur, per te discere poßis, neq; etiam hic locus omnia ad omnium vlcerum curationem spectantia, recenseri expostulat, & nunc vulnerum à sclopetorum globulis acceptorum, atq; eorum symptomatum curationem, de qua nemo ante hac (quod sciam) quod satis sit scripsit, persequi statuerimus. Obligatio itaq; vulnere, ægro ad sequentem vsq; diem quietem imperabis, membro primum in quo vulnus est in aptißima figura nec dolore infestetur composito. operam dando quoad eius fieri potest, vt interim ab inflamma-

ex quibus peniculi fieri debeant.

& Gal. in lib. de his q̃ in med. fiunt & in lib. de fas.

postligaturã qd agẽdum.

matione vulnus tuearis, vt in lib. de arti. his verbis admonuit Gal. studendum enim vt contusiones præ- „ cipuè quidem ab inflammatione conseruemus, & si „ inflammantur, vt quam citißimè inflammationem „ finiamus, atque etiam Auic. ter. pri. cap. 28. admonet vt in contusionibus, quantum in nobis est dolorem leuemus, & à membro materiam arceamus.

Ad hunc finem propositum multis modis peruenire poteris, sanguinis mißione, clysteribus, purgationibus, ligaturis, frictionibus, quiete, dicta, & repellentibus medicinis vulneris circumiacentibus partibus admotis: de quibus inferius obiter agemus. — *quibus dolor remiti possit.*

Melius tamen consuleres, eodem tempore nulla ratione diei aut noctis habita, si reuulsionis gratia uenam secares, vt præcepit Gal. in lib. de cur. rat. per sag. miss. cum humores continuè ad vulnus confluat, ipséque dolor humores tanquam cucurbitula, vt à Gal. 5. meth. dictum est, trahat. illud tamen semper memoriæ retineri vellem, vt sanguinis illa mißio, cibis in ventriculo concoctis, & post, & excrementorum deiectionem fieret, vt in lib. de sanguinis misſione admonet Gale. & si sponte aluus non deijciat leui aliquo & blando clystere subducenda excrementa sunt, iuxta Pauli sententiã lib. 6. cap. de sec. venæ nisi forte morbi vis & doloris vehementia vrgerẽt, tunc enim statim sanguis mittendus esset, quã do nullum præstantius remedium sit, quam ipsa sanguinis mißio ad dolorem leuandum, vt Gal. placuit 1. aph. 23. quia tunc non extra rem esset, venam — *primo die reuulsionis gratia vena secãda & ad dolorem leuandum. postcoctionẽ in ventriculo factã & post excrementorũ deiectionẽ faciẽda missio sanguinis. & 9. meth. clyster sãguinis missionẽ precedit.*

 prius

& Aui. 4. p. Auēz, 3. de feb.

prius secare, deinde clystere aluum purgare, ut 4. de rat. vic. in acu. admonuit Hipp. namque si hoc ne gligeretur, vel serius quam par sit clystere aluum purgaremus, fortè tum dolor, tum humorum deflu-xus, vel abscessus alicuius, vel maioris inflammatio nis præcipuæ causæ essent. Secetur igitur prius ve-na, si ita res suadebit Gal. præceptis in lib. de cur. rat. per sang. miss. & licet in vulnere, aut contusio-ne nulla inflammatio, aut nullus magnus morbus sit, sanguinis mißio omitti non debet, hac enim magni morbi futuri, & inflammationis impendens pericu-lum propulsabimus. Auicen. testimonio quar. quar. quod qui magnis istis affecti sunt vulneribus sæpe-numero subeunt, hoc idem quar. p. scribebat his ver bis, de melioribus cum quibus intendimus curatio-nem vulnerum, & prohibitionem apostematis &c. & 2. de frac. dicebat Gal. caue ante omnia ne fiat inflammatio, licet corpus non sit plethoricum, dum-modo futuri magni morbi immineat periculū, & in lib. de sec. uenæ addebat, at uero nō solum ubi adest plenitudo, siue ea ad uires referatur, siue ad humo-rum infusionem, mirificè prodest uenæ sectio, uerum etiam citra plenitudinem inflammationi incipienti, aut exitu, aut dolore, aut partium debilitate: do-ror enim sanguinem ad se trahit, & partibus debi-litatis inflammationem, etiam si non in corpore ple-nitudo sit, procreat, & in lib. de art. ait etiam exi-stente contusione, vel vulnere paruo confert &c. Facta excrementorum euacuatione siue spontanea,

ad dolorē leuandū sanguinis missio pręstātissimū est remedium.

& i lib. de ple. lib. de

siue

siue per clysteres, venam secari præcipies, sex vel octo uncias sanguinis, aut decem mittendo, pro laborantis robore, consuetudine, ætate, regione, & anni constitutione. Quæ quidem sanguinis mißio, si primis diebus medicorum imperitia omissa fuisset, tertia, uel quarta, uel quinta die, modo humores in motu adhuc sint, & fluere poßint, secanda vena est: dierum enim in sanguinis mißione, ratio non habetur, Gale. in lib. de cur. rat. per sang. miss. sic scribente, quocunque enim die sanguinis mittendi scopum inueneris in eo auxilium adhibendum est, & si uel uigesimus is ab initio extiterit, iccirco uena secabitur. quod cum gratia reuulsionis in vulneribus fiat, secundum Gal. 5. meth. mißionem sanguinis bipartiri magis mihi placeret, ut idem Gale. in lib. de cur. rat. per sang. miss. censuit, prima die igitur partem vnam sanguinis detrahes, sequēti die alteram. hoc enim facto ipso etiam Gale. teste maior fit reuulsio, quam solam in vulneribus istis spectamus, quam si eodem tempore vnica fieret sanguinis mißio: verum quoniam in omni morbo minimè semper eadem vena secanda est, proinde, quæ secanda vena sit, animaduertendum. Quippe si morbus, uel plaga supra collum in parte aliqua sit, humerariam venam, quam alij capitis venam appellant secabis, quamuis ea non semper sed rarißimè à iugulari vena oriatur, ut ex anathome disces, quanuis Vesalius aliter, et alij authores scripserint, nos tamen secus rem se habere docebimus, ostendemus-

sec. venæ, &4. meth. quæ sang. quantitas mittenda.

i sāg. miss. dierum ratio nō habetur.

sāg. missio si partitur maior fit reuulsio.

quę vena sit secāda.

capitis vena rarissimè à iugulari orit.

musq; si in affectibus supra collum inciditur, prodesse ob fibrarum rectitudinem, non quia à iugulari vena originem ducat, si vero à collo vsque ad septum transuersum, quod διάφραγμα dicitur affectio sit, axillarem seu iecorariam dissecabis, si infra septum transuersum morbum sit, venam poplitis vel malleoli scindes, vt scripsit Gal. in libro de cur. rat. per sang. miss. vbi in antiquos inuehitur, qui indiscriminatim venas secabant. Aliud tamen dignum animaduersione occurrit, quod fideliter memoriæ etiam mandabis, morbo supra collum existente, si plethoricum fuerit corpus, in morbi principio, ac humerariam venam secare non licere, sed vt plenitudinem minuamus ne ad caput sanguis feratur, iecoraria incidenda vena est, deinde vt reuellas ab humeraria sanguinem detrahes, & si infra septum transuersum affectus sit, adsitque plenitudo non ex poplite prius sanguinem mittes, sed ab axillari primum, deinde ex poplite sanguinem educes, vt eodē loco fuit Gal. opinio, in quam etiam autor de renum affectibus, & Auicen. iuere. Sed quoniam inter præstantes alioquin Medicos tanta est dissensio, vtrum in eodem, an in opposito latere, vena incidenda sit, paucis verbis quid de re hac sentiam, de qua adhuc tanta inter Medicos est discordia, absoluam, & alias (dijs bene fauentibus) in commentarijs nostris in 6. lib. Pau. exactius, & longiori oratione hoc persequemur. In præsentia autem solū quantum ad propositum attinet, afferā, dicamq; non vno, & eodem

Corpore plethorico existente si affectio .s̃. collū fuerit humeraria nō incidenda vena est.

à quo latere vena secanda sit, paucis verbis declaratur.

modo

odo,& morbis ab internis causis, seu præcedenti-
us ortis,quorum causa humorũ corruptio, vel mul
tudo est,& his quibus,ob externas causas,vel pro
atarcticas, corpora præsertim sana vrgentur,me-
icandum esse. In omnibus igitur vulneribus & pla
is,vt ab aduerso latere sanguis detraheretur,con-
ulerem,quia & in oppositam partem reuellitur san
uis,& ad vulnus humorũ fluxus impeditur , quod
Gal.in lib.de cur.rat.per sang.miss. his verbis ani ,,
naduersum est,influentibus humoribus oportet re- ,,
ellere , sed ex qua parte melior moliatur reuulsio, ,,
dem 3.art.med.99. his verbis admonuit, at attra- ,,
ẽdi ex oĩ parte , & loco ad oppositas partes cõmu ,,
is est indicatio,ad quam maxime distantia deriua- ,,
io vero ad vicina &c. Præcepto itaq; Gal. partis ,,
duersæ vena , tanquam quæ à vulnere plurimum
istet,incidẽda est,ratioq́; rei huic subscribit, quo-
iam omnis nostra mens, & consilium est, vt humo-
res reuellamus, eorumq́; fluxum ad particulam cor
oris læsam,intercipiamus,sed reuulsio cum à remo
iori parte fiat , vt Gal. 4. meth. ex aduerso latere &5.meth.
ccirco venam vt reuellamus,incidimus, neq; etiam in princi-
n hac re Gal.authoritatem desideramus 4.meth.sic pio scribit
dicentis, Quando maxime influunt humores, tunc
ad contraria reuellere oportet,idem sensit Gal. lib. & 2.ad gl.
de cur.rat.per sang.miss. eoq́; magis in hanc trahor
sententiam quando nos etiam præseruationis causa
in istis affectibus sanguinem mittimus , cum Gale.
videam,& Pau.libro 6.cap.de sang.miss. in perse-
ue-

ueratione appoplesiæ, pedis venam tanquam a
victus rō. affecto loco magis remotam incidere. Secta proinde, vt diximus, in aduerso latere vena, victus ratio instituenda est, & ea quidem tenuis siquidem inflammationi inceptæ, aut inflammationis impendenti periculo victus tenuis potißimum occurrit & aduersatur, quod à Gale. in libro de cur. rat. per
" sang. miss. proditum est, qui sic scribit, verum quod
" principatus, ac veluti summa curationis non lipien-
" tibus modo, sed in omnibus ferè affectibus alijs,
" etiam in accurato victu potißimum consistere, ne-
" minem latere opinor, & in lib. de miss. sang. aduer-
" sus Erasistratum sic etiam scribit, circa initia ægri-
" tudinem, ac inflammationum generationis, omnis ci-
" borum sorbitionumq; à dicto prorsus exhibitio subtrahenda est, & Auic. asserit tantū solum cibi exhibendum, vt æger sufficiat, & perduret, cui sententiæ Gal. cæteriq; locupletes authores suffragati sunt. ægrum itaque ferculo ex pane confecto, quod panatellam vocant, cui melopeponis semina vel saccarum, vel ptisana hordeacea optime parata, aut ferculis ex boragine, vel lactuca, vel intybo, & similibus, hora consueta nutries (nisi aliquod symptoma obstet) vt consuetudinē retineas, iuxta Gal. sententiam 11. meth. cibumq; deduces, & augebis, prout morbus consulet, & pro qualitate exercitiorum ægrotantis, quando ciborum minor quantitas quiescentibus, quam his, qui ambulant, concedatur ab Hipp. lib. de artic. quiescentibus inquit tenuior

ior victus exhibendus: Verũ à vino arcendi sunt t 4.meth.aduertit Gal. vbi de vino mentionem fa t, inquit enim non latet autem & de vini vsu quod uendũ est, vbi phlegmonis suspicio adest, alias da nihil vetat, sed quoniam in huiusmodi vulneribus aximopere ne inflãmatio fiat, veremur, ideo vinũ xhibendum non est, vt docuit Hipp. lib. de vul. sic ribẽs, parum comedere, & aquam potare in omni us vulneribus, & ulceribus maxime confert. & agis recentibus, quàm vetustis, vt Cæl. & alij rauissimi authores prodidere: exhibebis etiam de octam aquam per totum saltem tempus illud, quo nflammationis impendeat periculum, & eam vel implicem, vel cum vino granatorum iuxta Auic. .3. cap. 26. reprimit enim feruorem bilis, poteris tiam mulsam porrigere, qua Gal. 3. de frac. vteba ur, tu tamen mellis loco, vt suauior ad potandum qua sit, saccharum posses admiscere, simplex quip e aqua neruis inimica est, vt adducto loco scripsit Gal. Neque hoc loco opinioni, dicentium dulcia in lem conuerti, accedas, siquidem hoc verum per petuo non est, idque multis medicæ artis studiosis in quodam meo tractatu demonstrauisse me, non igno ras. In cibis offerendis semper aliquid ætati, & consuetudini condonabis, non enim omnibus ea dem conuenit dieta, & prodest, quemadmodum empiricis placebat. ægrotis insuper quietem im pera, quia in lib. de spiran. diff. scribit Gal. quic quid phlegmone obsidetur id exquisitã integramq; ex-

istis vulnerib. vinum minime cõuenire.

& 3. de ra. vic. ĩ acu.

ægrotantibus quies suadetur.

expostulat requiem: & licet in vulneribus istis sem per phlegmon non adsit, tamen quoniam periculum phlegmones impendet, ægrum quiescere iubebis, quia motũ vulneribus non conducere scripsit Hipp. in lib. de vlc. uniuersum quoq; corpus medicamento humorem peccantem adducente purgabis, siquidem scripsit Auic. 4. primi oportet cum mißione sanguinis, & euacuatione ventris prohibere apostema, huic sententiæ suffragatur Gale. 4. de comp. med. secundum genera, scribens, nonnullis siquidẽ vel purgatio sola sufficit, quibusdam sanguinis detractio, alijs vtraq; hæc adhibere profuerit, & 4. meth. ex Hippo. sententia in lib. de vlc. sic scripsit, purgatio per aluum plerisq; vlcerum prodest, præterea vulneribus, quæ in capite sunt accepta, item in ventre, & articulis. Manifestum igitur in omnibus vulneribus, omninm consensu purgandum corpus esse. non ab re igitur etiam fuerit in istis vulneribus medicamento aliquo corpus purgare, morbi ratione habita, & aliorum quæ ab Hippo. cum de his quos purgare oportet, loquitur, præscribuntur, & primis quidem diebus hæc facienda sunt, neq; septima, aut alia dies pro humorum præparatione, & coctione (vt nonnulli faciunt) expectanda est, quia hoc solum faciendum esset, si tantum euacuandi esset animus, sed cum reuellere velimus, nullaq; in corpore adsit cacochymia, primis diebus purgandum est, vt aliàs fusius declarabimus, & vt etiam Gal. quarto meth. scripsit, veluti sanguinem mittimus in vulne-

& lib. de art.

Purgatio an conueniat.

ne-

eratis non existente plenitudine, nec quo ad vi- ,,
es, nec quo ad vasa, ita etiam in illis nulla exi- ,,
ente cacochymia corpus purgamus, ad eundem mo ,,
um nec purgatio in sola vitio si succi abundantia ,,
onuenienter suscipitur, sed sicut in missione san- ,,
uinis, vel propter ipsius abundantiam vel propter ,,
norbi magnitudinem, ita purgatio & propter abun ,,
lantiam alterius succi, & propter vim morbi, ad- ,,
ibetur, vt ad diuersum trahat, & euacuet, quæ ,,
nirum in modum proderunt ægrotantibus: Quibus & si opus erit poteris addere frictiones, & ligatu-ras, humores in contrariam partem trahentes, præcepto Gal. in lib. de cur. rat. per sang. miss. Ad hæc ne etiam è memoria excidat primis diebus affecto membro repellens medicamen, vt Gale. 4. de comp. med. secundum genera, ait, admouere, scribit enim ,,
duo sunt scopi in vlcere, vnus ad id quod influit, al- ,,
ter ad id, quod fluxum est, ad primum, quæ repellunt &c. quia dum membrum dolore afficitur, ad illud humores fluunt, ideo repellente vtimur medicina: Quapropter Gal. 5. aph. 66. in fine commenti sic de vlceribus, in quibus adest dolor scribit, & hoc multis præsertim fieri vulneribus existimandum est, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit, à Medicis autem reprimitur valde infrigidantibus, aut adstringentibus medicamentis, & in lib. de comp. med. secundum gen. ait, in principio mediamenta repellentia prosunt vlceribus, ne phlegmone corripiantur, idque subinde in eo libro repe-

frictiones vtiles esse

repellétia quãtũ præstet circa vulnera.

repel. qualitas q̃lis eẽ debeat.

&9.de cõ. me.sec.lo. & ĩ lib. de simp.med. fac.

repetit. Sed quibus qualitatibus repellentia medicamenta prædita esse debeant, iam dictum est, frigida nempe, & adstringente, atq; ea duplicia sunt, vt Gal. ait 4. de artic. alia quippe humida, alia stiptica, quæ humida sunt penetrant magis, & quandoq; non solum statim membrum refrigerant, sed illi maiorem sæpe quam par sit, stuporem inducunt, vt aqua pura, succus papaueris, succus mandragoræ, & similium, quibus reuera non egemus, quãuis æstiuo tempore eis quandoq; vtamur, vt ait Gal. 4. de comp. med. sec. gen. Alterum genus stipticum est, & terreum magis, vt loco, quem adduximus iam dictũ est, quod magis ad humorum fluxum intercipiendum idoneum videtur, vt Gal. 4. de arti. sic scripsit, ex his aũt ipsis cum duplicia sint, vt didicimus quæ possunt adstringere efficaciorem vim obtinent, quibus quod influit citius repellatur, debent ergo ista esse frigida, & stiptica, quemadmodum illa quæ sanguins fluxum sistunt, vt ait Gale. 5. meth. frigus enim sanguinem, & sanguini admixtos humores cõgelando, & densando sistit, vt admonuit Gale. vbi de his frigidis verba facit: inest autem medicinis huiusmodi frigidis vis contrahendi densandiq; corporis superficiem, cui admouentur, deinde stipticitas affectæ particulæ robur addere valens Gal. 3. art. med. 95. cum stipticorum sit corroborare, & confirmare: his igitur ad perfectam vsq; vulneris consolidationem vteris (licet recentiores ad septimam vsque solum illis vtantur) quia Gal. in lib. de frac. scri-

alterũ genus repellẽtiũ medicamẽtorũ

Stiptica magis fluxũ humorum intercipiunt.

& 6. de cõ. me. se. lo.

sang. fluxũ sistẽtia frigida, & stiptica esse debent.

&2. ad Gl. &3. meth.

stiptica corroborant.

ad vulnus

ſcribit humores ſemper ad vulnus fluere poſſe. quocirca repellentibus his medicinis in formã vnguenti, redactis, membrum affectum in latitudine quattuor digitorum illines, vel puluillos auſtero vino & craſſo, vel poſca imbutos, admouebis: cur autem craſſum eſſe vinum debeat 2. de frac. à Gal. dictum fuit. Alio etiam medicamento, cuius deſcriptionem & multarum etiam aliarum medicinarum in calce huius tractatus habebis, vti poteris. Sequenti prætereа die, cum ægrum inuiſes, puluillos illos, & penicillos quos priore die vulneri impoſueras, aut admoueras, remouebis, qui ſi propter oui alborem tenaciter vulneri, & pilis qui circa vulnus ſunt adhæſerint, eos poſca tepida, vel vino auſtero etiam tepido, ne dolor commoueatur, emollies, quibus remotis leuiter ne ægroto dolorem des, (qui deinde fluxum humorum irritaret) linteolo aliquo molli, nitido, puroque, ac ſicco, vulneris ſaniem purgabis, vt Gale. docuit 4. de comp. med. ſec. gen. de vlcere loquẽs, ac circumquaq; leuiter etiam vulnus comprimes, & ſanguinem collectum, aut pus in fundo vulneris blãdiſsimè linteolis mollibus euacuabis, quod etiam in lib. de vlc. animaduertit Hipp. quanuis Auic. 3. 4. cap. 28. aſpero panno detergendum vulnus dicat. ſed ipſe pãno huiuſmodi vtebatur, quotieſcunq; ſanies maximè vulneri impacta erat, quæ abſterſione maxima egebat, cauumque vulneris repleri carne poſtulabat, hoc autem tempore panno tali non eſt opus propter ſenſum maximum, quo prædi-

Semper humores poſſunt fluere

in 2. inuiſione quid faciendum

quibus puluilli tenaciter vulneri adhærentes remouẽtur.

pãno aſpero ſaniem vlneri maximè adhęrentem abſtergebat Auic.

tum est vulnus, & cum solum opera danda sit, vt dolor leuetur, & inflammatio arceatur. Quin me consulente primis diebus parum absterges, tum vt ne dolorem refrices, tum etiam quia hoc tempore multa carnis generatione non egemus, vt si intenderis animum non parum id prodesse ægris reperies, cum bis singulis diebus doloris exacerbatio, quæ abstergendo accitur, vitetur, atq; hoc in eos qui se practicos nominari volũt, dictum sit, qui bis singulis diebus vel inscitia, vel vt diligentiores habeantur præter rationem sæpe gossapino, & rebus asperis non citra dolorem vulnera astergunt, & ægris dum diebus singulis bis hoc modo medentur, cum dolorem irritent, inflammationis, vt plurimum sunt causa, quemadmodũ experientia nos docuit, licet hæc res parui momenti quibusam videatur. Tu autem quã poteris blandißime vulnere affecta membra contrectabis, atq; ita fieri posset, vt ne dormientes quidem ægri à somno excitentur, & si cõmode linteolo vulnus abstergere nõ posses. bombice id assequeris, post hæc guttam feruentẽ nostri olei præstantißimi, quod intentiones omnes istarum contusionum respicit, ori vulneris instillabis, ne contusa, & attrita illa caro, quæ cum supra modum humoris plena sit facilè putrescit, contagione sua proximam carnem non affectam corrumpat, quam si aliquo candenti ferro totam in suprema vulneris parte optime etiam exiccares, non ab re esset, verum cum egrorum omnium non vna sit dispositio neque omnes æque adustionem pa-

primis diebus parũ vulnera abstergẽda.

blandissime vulnere, affecta mẽbra cõtrectanda.

supremã vulneris partẽ ferro ignito exiccare prodest.

patiantur, quemadmodum etiam scripsit Gale. 4. meth. de nonnullis, qui diuturnum potius morbum sine sectione, quam breuem cum sectione ferre malunt, ne etiam Medicus inhumani, & feri nomen subeat primis diebus nostri olei gutta feruens vulneri instillata sufficiet, exhausto enim dolore, quem olei calor fecerat, qui ex contusione etiam capiebatur, dolor oleo isto facultate concoquendi contusionem, & doloris leuandi prædito mitigabitur, cuius talis est compositio. non omnibus vna est dispositio

Recipe resinæ abietinæ vnc. v. olei rosacei completi vnc. ij. sem. hypericonis recentis, si haberi possunt drach. v. sem. momordicæ drach. iij. modice terantur ipsa semina & in vase duplici in oleis descriptis dimidium horæ bulliant, deinde colentur, & ad vsum seruentur, oleum istud propter rosaceum dolorem leuat, propter resinæ abietinæ viscidam substantiam, & temperatam facultatem concoquit, & pus mouet, & propter ipsa semina vulnus respicit, atq; hac ratione leuatur dolor, contusione & vulnere non neglectis, quemadmodum faciendum esse supra probatum est, membrumq; propter rosarum facultatem robur assumit. Cæterum linteolum in descripto oleo modice calido vulneri etiam superpones, & proximas partes repellente medicamento oblines, ipsumq; vulnus deinceps fascia obligabis, quietiq; ægrum aliquot horas trades, dolorem nullo modo interea reformidans. Fucatum forte hoc nostrum medicamentum tibi videbitur abietinæ resi- olei vulneribus cõtusis salubris descriptio.

næ per se facultate considerata, admiraberisq́; cum calidæ, & siccæ facultatis Dios. & Galc. resina sit, quomodo concoquat: quomodo etiam rosaceum temperatæ, & semina siccæ facultatis prædita hoc præstēt, atq; ut semel dicam si olci istius compositionem tecum reuolueris, medicamētum siccæ potius quam alterius uirtutis iudicabis: concoquit tamen ut experientia compertum habemus: neq; tamen pus mouentia, seu concoquentia, aut coctionem adiuuantia si quis rationem ad examen reuocauerit siccæ facultatis esse debent. Principio enim pus excitantia temperata esse debent secundum Auic. quar. quart. cap. 3. nostroq́; temperamento similia, neq; multum ad humidum vergentia, vt 4. meth. ait Gal. vbi habet si puris generationem desideramus, exiccantia non sunt admouenda: ex calido enim, & humido fit puris generatio, ut ex cataplasmate, ex hordeacea farina & hydrelæo parato, aut ex pane & oleo: cui tamen aliqua sit viscositas adiuncta secūdum Gal. 5. de simp. med. fac. quæ carnis poros ualeat obstruere, & calorem innatum ne diffletur prohibere, vt melius natura coctionem uel puris generationem operetur: calidæ præterea uirtutis moderatè, suppurantia medicamenta esse debent, ut sua temperata caliditate naturalis calor, qui perpetuo in putrefacti humoris separatione, & in putredinē uertēdo humorem illum qui putrescere debet, & in aßimilatione illius qui nutriturus est operatur, vires colligat ut Gal. scribit 9. de usu par. scis quippe coctionem

resina abietina calida & sicca

qualia debeant esse medicamēta pus mouentia. & Gal. 5. đ simp. med. fac.

nem omnem à calore naturali fieri, qui quandoque imbecillis est, & per halitum resoluitur nimis, in corporibus præsertim vulneribus affectis, in quibus facilius innatus calor frangitur: quocirca medicus innatum calorem fouere, & medicamento aliquo temperate calido ipsum alere debet, vt ibidem scribebat Gal. nec in lib. de const. art. med. tacuit, vbi de his agit quæ naturæ negantur, & quæ Medicus ipsius naturæ minister ei sufficit addẽdo intra modum calefacientia, quæ quantum conferant ex his dijudicabis quæ à Gale. traduntur in lib. de simpl. med. fac. & 5. aphor. 22. vbi scribit, calidum suppuratorium cutim induratam mollit, crassatam extenuat, dolorem sedat, cõuulsiones, ac tetanos mitigat, non sicuti frigidum dolorem insuppurabilem efficit, eo quod si à natura nostra alienum, quæ est calor natiuus, quem coauget vbi mediocriter adhærescit, calor itaque extrinsecus facit hæc omnia quæ iam dicta sunt nõnulla concoquens & ad melius alterans, quædam vero discutiendo atque euacuando noxia, ad sanitatem perducit, quod si non ex toto sauat, saltem dolores mitigat. Hæsitabis tamen adhuc, & nostra medicamenta sicca facultate prædita quo modo pus moueant, admiraberis, cum omnes artis medicæ authores calidæ & humidæ virtutis suppurantia esse voluerint, in hac re animum aduertas velim, & rem à nullis ante hac animaduersam, aut tractam (licet multi de his quæ pus moueant pluribus verbis scripserint) perpenderes: Non ab il-

coctio oĩs à calorẽ naturali fit

calorẽ naturalẽ fouerẽ debet Medicus

lis dissentimus qui suppurantia calida & humida temperate cum uiscositate esse volunt, multa tamen apud Gal. & apud recentiores scriptores pus in vulneribus mouentia medicamenta reperiri dicimus, ex calidis, & siccis simplicibus medicinis composita, ex quorum admixtione calida & sicca facultate præditum medicamentum effici uidetur, quod pus nihilominus prompte mouet, quale apud Gal. est tetrapharmacum ex pice colophonia cæra, adipe taurina, & vitulina compositum, quorum omnium maior pars calidæ facultatis est, quemadmodum pix ipsa, quæ secundum caloris gradum excedit, quæ quanuis pinguedine, & alijs humidis poßit temperari, vim tamen suam cũ alijs medicinis admixtam retinet, quæ medicinis abscessus suppurantibus inesse non solet. Medicam artem exercentes, in vulnerationibus terebentina vel larice (quæ vt plurimum pro terebentina non secus ac ætate Gal. venundatur) vtuntur, calidæ tamen facultatis & siccæ Gal. 4. da compo. med. sec. gen. & alijs authoribus est: vitellus vero oui corpori admotus sicca vi quoq; præditus videtur, medicinas tamen huiusmodi in vulnerationibus optimè pus mouere videmus, neq; proinde calidæ & humidæ facultatis sunt. Quocirca vt tandem quæ de suppurantibus medicinis nostra sit opinio dicamus, sentimus medicamenta in absceßibus pus mouentia calida & humida facultate prædita esse debere, siquidẽ in affectibus his suppurationi duntaxat studemus: in contusionibus autem

[Margin: mouentia pus in vulnerib⁹ qualia esse debeant.]

[Margin: pix secundũ caloris gradũ excedit.]

[Margin: terebẽtinæ vsus in vulneribus.]

[Margin: terebẽ. cali. & sicca.]

[Margin: medicamẽta ĩ abscessibus pus mouentia in quo ab his q̃ pus ĩvulnerib. mouẽt differant.]

tem

tem affectis vulneribus alijsq; vulnerationibus vel vlceribus inflammatione correptis, variæ oriuntur medēdi indicationes: contusio enim coctionem, vulnus autem exiccationem indicat, quod vt vulnus exiccandum est neq; negligendum omnino si Gale. 1 o. meth. credimus: in morborum igitur compositorum curatione prior curatio illi quod magis vrget debetur, cæteris non neglectis Gal. 3. meth. quapropter medicamenta vulneribus his de quibus agimus salutaria, ex his quæ calida, & sicca sunt facultate constare debent: calore enim coctio adiuuatur, & vulneri siccitas medetur, calor quippe moderatus calorem innatum membri vulnerati fouet, & auget, & proprius humor, qui ipsis medicamentis inest cum viscositate coctionem adiuuat & puris generationem, prohibendo ne innatus calor diffletur, moderata vero siccitas vulneri ipsi occurrit. Nec inconueniens est idem medicamentum duos respicere scopos ferè diuersos & multos vsus subire quoniam hoc etiam in lib. de comp. med. sec. gen, plurimis medicinis concesßit Gal. quas πολυκρίστας *idest ad multa vtiles appellauit. Cæterū cum in istis vulneribus duo spectentur vulnus nempe & contusio quanuis prima indicatio ab ipso vulnere secundum Gal. sumenda sit. quod unionem indicat, quoniam tamen hoc medicinis assequi non possumus non ablata contusione, ideo symptoma hoc remoueri postulat, principalemq; curam ad se trahit, quia rationem eius sine quo non, obtinet: quapropter tibi ne*

in vulneribus contusis vel inflāmatiōe correptis varię oriūtur indicationes.

in cōpositis morbis prior curatio ei qđ magis vrget debet.

vulnerum med. his q̄ calida & sicca facultate moderata pdita sunt cōstare debēt.

idē medicamētū diuersos scopos respicere.

πολύκριςαι medicinę.

ſit mirum ſi diuerſis medicinis in vulnerum, & abſceſſuum ſuppuratione vtamur. Noſtrum proinde oleum tum ob abietinam reſinam viſcidam porros vulneris obſtruentem, prohibentemq; innati caloris reſolutionem, & ob temperatum calorē ſuum, naturalem calorem adiuuantem, & ob roſaceum oleum pus mouens doloremq; leuans (oleum enim vulnerum dolorem ſedat ut ait Gal. 2. de ſimp. med. fac. & poſt coctionem adhuc magis leuatur eodem Gal. teſte 6. aphor. 22. tum ob ſeminum illorum, & abietini olei ſiccitatem quæ uulnus reſpicit, & ea quæ à uulnere ſumitur indicatio, & ea quæ à contuſione capitur abſoluantur, hæc ſi tecū reuolues, nunquid his facultatibus præditis medicinis conuenienter in uulnerū contuſorum ſuppuratione utamur, & nunquid talia eſſe debeant, cognoſces: quæ non ſolum ſi uulneri inſtillaueris, uerum etiam ſi eis uulnus obliueris (quanquā abſurdum hoc indoctis uidetur, qui ex hoc putre reddi uulnus arbitrantur) inconueniēs non erit, ægroto itaque huiuſmodi medicinæ proderunt, & his citiſsimè ex Gal. decreto 4. meth. pus mouebis, & inflammationē fugies, linteolo igitur oleo hoc tepido madefacto uulnus poteris obducere, aut emplaſtro ex triticea, uel hordeacea farina cam hydrelæo, uel ex pane, & aqua, & oleo, uel ex althea decocta cum roſaceo, uel ſimilibus confecto, & ſi in illis uulneribus dolor adfuerit non mediocris, (ut ferè fit) ad fortiora emplaſtra, & ad anodyna confugies, ut ad emplaſtrū cōfectum ex pane in ouillo,

oleum dolorē ſedat

& Hipp. in lib. de vlc.

vulneri dolenti quæ conueniāt medicamēta.

lo, uel uaccino lacte decocto, cui etiam ouorum uitellos, & rosaceum oleum posses miscere, quod dolori, quemadmodum cupimus, medebitur, coctioniq; auxiliabitur: ut hæc tamen emplastra leuia sint, ne partem affectam grauantia dolorem excitent, quo deinde maior fieret inflammatio, curabis: quod Gal. scripsit 5. de simp. med. fac. his probè administratis natura, quæ iam uires collegerit, primo concoquet, deinde secernet, ut 4. aphor. 22. dixit Gal. & licet ibi de internis mentionem faciat, idem tamen de externis morbis intelligendum, non enim minus coctio in vulnerationibus, siue ab incidente, siue à contundente re factis, per puris generationem expectatur, quàm in naturali morbo per sputum, & in venarum affectionibus per vrinā, vt Gal. in lib. de morb. tēp. in istis quoq; affectibus nō secus, ac alijs morbis sua tempora sint, quibus natura bonum sanguinem à corrupto secernit, pus expellendo, quod coctionis, quæ fit, excrementum est, & qualis coctio ipsa fuerit, pus indicabit: si enim bona fuerit coctio pus album, lene, æquale, non fœtidum, & copiosum iuxta vulneris magnitudinē apparebit, veluti apud Gal. legitur primo prog. in fine, quod naturam in puris mutatione recte fuisse operatā arguet, secus autem si pus ipsum tenue, liuidum nimis, viscidum, fœtidum, & minus, vel plus, quàm par sit copiosum videris, indicabis: tale quippe pus naturæ imbecillitatē à præter naturali calore, vel ab ingenti inflammatione cōcoquendi vim labefactante contractam indi-

emplastra quæ super vulnus ponunt leuia esse debēt

& in lib. quos qn̄ & q̄bus med. purg. con.

coctio in vulneríb. fit per puris generationem.

& in lib. d̄ off.

vuln. nō secus ac alij morbi, sua habent tēpora

qualis sit coctio pus indicat.

puris laudabilis, & illaudabilis notæ.

& in lib. d̄ inæq. tēp. & 2. de diff. feb.

indicabit, et ex adducto Gal. loco colligitur. in medicandis igitur istis vulneribus tres, vel quatuor dies ab his, quæ diximus medicamentis ne discesseris, & si hybernum tempus fuerit semel singulis diebus, si æstiuum bis vulneri medeberis, semper oleum nostrum, ita vt iam dictum fuit, in vulnere ponendo, & ipsum præterea vulnus vniuersum si tumor, aut dolor aliquis postulabit, ad tertium vel ad quintum vsque diem, vel quoad pus bonum appareat emplastro aliquo obduces, semper hoc agendo, ne attrita caro illa humore immodico, & excrementis repleatur, & proximam deinde carnem inficiat: quare post quinque dies eam puluere huiusmodi si insperseris, benefacies.

hyberno tẽpore semel, æstiuo bis medendũ vulneri.

quandiu emplastro vulneribus affect⁹ locus obduci debeat.

Recipe aloes. hepaticæ, thuris, boli armenæ orientalis partes æquales optime his tritis carniq; contusæ admotis, vulneri non officies, & eam à putredine vindicabis, quæ sæpe vniuersum vulnus, & membrum quandoq; vniuersum (nisi prouisum fuerit) vt corrumpatur, causa est. Post hæc, quoniam huiusmodi vulnera pluribus dieb. coctione egent, si res cedet ex sententia, omißis medicinis illis, & emplastris, tetrapharmaco, vel piccato vnguento penicillis illinere poteris, nisi herysipelatosus rubor, qui sæpius ingentem contusionem sequitur (quanuis medicamenta concoquentia optima sint) vulnus, aut vulneri proximas partes obsideat: tunc enim, egente tamen vulnere coctione, digestiuo loto, quod sic paratur, vteris.

puluis carnẽ à putrefactione vĩdicans.

Re-

Recipe olei optimi, resinæ abietinæ veræ, si in promptu sit, vel resinæ laricinæ puræ, & claræ vnciam vnam, ceræ albæ quantum satis est ad vnguentum molle conficiendum, quod tandem aqua pura multum lauabis, optimeque secundum artem, exprimes. Hoc vnguento peniculos quos vulneri impones, & linteolum, quo vulnus obduces, oblines, rosaceoq; oleo membrum circa affectam partem inunges cataplasmatibus, quibus primis quatuor diebus vtebaris relictis, quorũ diuturnus, & aßiduus vsus fugiendus est, ne ex longa puris generatione innatus calor vltra modum resoluatur, siquidem medicamenta χαλάστικα *idest remittentia, & mollientia sunt, hisq; membrum magis imbecille redditur, quoniam in puris generatione nutrimentum, quod ad membrum pro nutritione defertur, vel ob membri imbecillitatem, vel ob medicamentum humidum vnctuosumq; vt Auic. quar. quarti. cap. de vul. in vniuersali ait, corrumpitur. Apparente autem pure laudabili, tum in qualitate, tum in quantitate, tum in substantia ægrum sic vsque ad inflammationis remißionem, vel quousq; nullam futuram inflammationem verearis, quæ semper ad septimum diem verenda est tractabis. Hoc modo in vulneribus omnibus hyemali tempore ad septimam vsque diem æstiuo tempore ad quintam, vel sextam diem medicinam afferes, contusionibus etiam vltram septimam iisdem præsidiis, occurres. In omnibus tamen temperaturis eodem tempore coctionis signa non*

digestiui loti cõpositio.

emplastrorum vsus diuturnis fugiẽdus.

inflammatio semp ad septimum vsq; diem verẽda.

ĩ omnibus tẽperaturis eodem tẽpore co

ctionis signa nō apparent. & in lib. de morb. tēp.

pus mouētia medi. diutiꝰ vulnerib. contusis quam punctī, aut cęsim factis apponenda.

mollia vnguēta esse debent.

medica. duriora & fortiora quādo adhibēda.

quantū eē debēt lin-

non apparent, quoniam in quibusdam citius, in nō-nullis serius, vt in lib. de cris. admonet Gal. coctio incipit, qui quanuis de internorum morborum coctione loquatur, nihil, vt de externis idem intelligas prohibet: omnibus enim morbis natura ipsa curationem adhibet, quam prudentem medicum imitari decet, & diligenter explorare vtrum magnum an paruum vulnus sit, cum parua, an cum magna contusione, quæ, vt plurimū, in istis vulneribus esse solet, quibus proinde diutius remedia, pus mouentis facies, vulneribus autem cæsim, aut punctim factis, vt hoc facias, tanto tempore non est oput, vel ipso Hipp. in lib. de vlc. sic dicente, nisi sit necessarium pus generari in vulnere, non oportet tentare, & per pusillum. Sed fac, vt vnguenta quam maxime mollia sint, ne sua duricie dolorem inferant, & facilius à natura actuari (vt ita loquar) poßint, huius quoque fuit sententiæ Gal. in lib. de comp. med. sec. gen. & quoniam primis diebus in vulnerum contusionibus humores ad facilè fluendum proni sunt, iccirco ex quouis, vel leui incommodo, & dolore fluerent facilius: qui tamen si iam quattuordecim dies quieuissent, & omnem fluxus suspicionem deposuisses, duriora, si liberet, atq; acriora posses medicamenta adhibere. His igitur medicinis mollibus peniculos, vt diximus, illines, & linteolo eodem medicamento (si emplastro nullo opus sit) oblito vniuersum vulnus teges, vt Gal. 4. de comp. med. sec. gen. faciebat, sitque linteolum ita amplum, vt vulnus non solum,

sed

ſed vulneri proximas partes in trium digitorum latitudine contegat, ex eiuſdem Gal. ſententia loco citato, aut pro vnguẽto illo molli linteolum illud vnguento ex chalcitide, quod diapalma & diaphœnicinum nuncupatur, à Gal. 4. de comp. med. ſec. gen. deſcriptum, vbi docet quantum ad humores fluentes repellendos valeat ſi cum roſaceo, aut myrtino oleo diſſoluatur, & ad humores in particula aliqua contentos diſcutiẽdos, quod efficacius, ſi oportuerit, præſtabit, ſi annoſo oleo illud diſſolueris, vel chalcitidem addideris, vt idem elegantiſsime docuit. Primis tamen diebus cæratum hoc in omphacino oleo liquefactum vulneribus iſtis contuſis non nocebit: conſiderabis tamen ſemper corporis duritiẽ, & mollitiẽ, quoniam corporibus duris fortiora, quam mollibus medicamenta conueniunt, vt 3. meth. ait Gal. & paſsim etiam in lib. de comp. med. ſec. gen. id admonet: quapropter, vt vtriq; hominum generi medicamenta idonea parata tibi ſint, operam dabis: parabis igitur corporibus duris tetrapharmacum cum taurina pinguedine, pro mollibus cum vitulina adipe, vt Gal. in lib. de comp. med. ſec. gen. cenſuit, ne eundem calceum (vt aiunt) omnibus pedibus inducas: ſi partes circa vulnus, vt dolor remittatur, & vt uires confirmentur, roſaceo oleo cũ bolo armena, ut magis humores repellãtur, & magis etiã membrũ roboretur, inunxeris nõ errabis: poſt hæc puluillũ affecto loco admouebis, et mẽbrũ obligabis, caue bisq; multas ligaturas, quæ ita recẽtioribus medicis

theolũ qđ vulneri ſuperponit̃.

duris corporibus & mollibus, mollia medicaméta conueniũt tetrapharmacũ pinguedíe taurina duris corporib. cum vitulina molli bus conuenit.

multæ ligaturæ in principio cauendæ.

cis placent, qui primis diebus puluillis, stupa, & multis alijs rebus, vt ab ambiēte aere vulnus tueantur, cōtra Gal. placita in lib. de art. mēbrum deligāt qui scribit magis in declinatione, quam in principio ab aeris iniuria vulnera indicanda esse, hac ratione adducta, quoniam in principio vulnera, vt plurimum inflammatione aliqua affecta sunt, & sordibus abundant, quæ frigido aeri resistunt, & veluti tegumentum aliquod frigori repugnant, quibus si multi puluilli multaque addantur ligacula maior acciri inflammatio potest, vltra modum ni mirum membrum calefaciendo, ad quod humores qui in principio in motu sunt confluent. Remota inflammatione, purgatoq; vlcere, danda deinde opera est, vt frigoris vim arceamus: tunc enim absurdum non erit si inter linteola stupæ aliquid posuerimus, vel latioribus, & craßioribus ligaminibus vulnus circunligauerimus Perfecta coctione nullo erysipelate, aut dolore, aut exesione, aut alio symptomate superueniēte, alias indicationes, vt absoluas, operam dabis: moto enim in vulneribus pure, multa adhuc absoluenda restant, siquidem cauo, vlceri, & sordibus in eo contentis etiam prouidendum est: Cauum efficitur dum pus fit, vt ait Hipp. in lib. de vlc. quoniam corrumpitur caro, & modo maius, modo minus pro puris copia, efficitur: quapropter cum globuli in vulneribus quæ faciunt, carnem contundant & atterant, quæ deinde necessario putrescit, in puris generatione, & in attritæ carnis separatione, ca

quare in principio multæ ligaturę vitādæ sint.

qn̄ multæ cōueniant ligaturæ.

cauū quando fiat.

uum

uum præter illud quod perforando globulus fecerat, relinquitur. Sordes quoq; fluentes, vt maior fiat cauum non mediocriter conferunt, quoniam semper vt 3. meth. ait Gal. sicut à corpore duæ superfluitates resoluuntur, quarũ vna crassa est, altera subtilis, quæ in vaporem non visibilem resoluitur, crassa cuti adhæret sudor appellata, ita perpetuo ab vlceribus duæ egrediuntur superfluitates, vna subtilis, quæ icor appellatur, altera crassa vlceri adhærens sordes vocata, quæ non parum ab vnctuosis, & concoquentibus medicaminibus adaugetur: proprium enim istorum medicamentorum est, vt sordida vlcera reddant, quod clarius in cauo vlcere cognosces: quod cum ita sit nulla nostra indiget probatione. verum à quo nam horum curatio inchoari debeat, licet hoc à nobis alibi dictum fuerit: si tamen id etiam nunc repetatur non erit inutile. Vlneri nimirum primum medicina facienda esset, & vt consolidaretur, opera esset danda, quia omnis continui solutio vnionem postulat, vt Gal. ait 3. met. in principio, vbi inquit, esse medici solutionem continui vnire, uerum hoc ob sordem, & cauum, vel symptoma aliud fieri non posse, quapropter an à sorde, an à cauo curatio incipienda sit, videndum est, & quia fieri non potest, ut vulnus uniatur, ut Hip. in lib. de ulc. scribit, nisi carne cauum repleatur: neq; etiam cauũ repleri potest, si in eo sordes fuerint, ut 3. met. scribit Gal. aut si inflammatio, aut humorum copia, aut symptoma aliud fuerit, ut idem 2. ad Glau. refere-

semper à corpore duę resoluũt superfluitates.

vnctuosa & concoquentia vlcus sordidum reddunt.

in sanãdis vulneribus à quo incipiédũ.

& Gal. 3. & 4. meth. in fine.

& 2. de cõ. me. se. ge.

ferebat: ab eo igitur quod rationem causæ sine qua non obtinet, curatio exordienda est, quandoquidem citra illius remotionem, quod causæ sine qua non rationem obtinet, nunquam uniri vulnus, aut cauum repleri carne posset: Ad abstringentia quapropter medicamenta confugiemus, ut 5. meth. admonebat Gal. dicens post inflammationis remotionem oportet vulnus purgare. Sed abstergentes medicinæ mordicitate carere debent, ut 3. de fract. scrib. Gal. uel saltem parum mordere (inest enim mordacitas quædam abstergentibus medicinis secundũ Gal. 5. simp. med. fac. propter amarorem, & nitrositatem in quibus absterſoria uis firmatur) Sed abstersionis quantitas ab indicatione, quæ à sordibus ulceris sumitur significabitur, quod si omnibus carebit symptomatibus, & parum sordidum fuerit parua, si sordidius maiori egebit abstersione, ut Gal. 6. de comp. med. sec. gen. scribebat: verum perfecta coctione in istis, ut plurimum vulneribus paucæ sunt sordes, leuiter ideo abstergemus, quia Gal. scribit, si purum est ulcus pauciori eget abstersione, si sordidius ualidiori, quia sordes tanquam tegumentum est, carnis generationem probibens, atque de hoc paulo post dicemus: & quanuis agendorũ quantitas in morbis omnibus nec scribi, nec dici posit, ut Gal. 3. meth. scribebat: coniectura tamen artificiosa, peritus, atque exercitatus medicus, metietur, quo circa Gal. 13. meth. dicebat medicum ingeniosum esse debere, prudentem atq; diligentem, & mente exercitatum, &

abstergentia medi. qualia eẽ debeant. & Auic. 2. can.

quantũ abstergendũ.

agendorũ quantitas, nec dici, nec scribi potest.

rerũ naturã dignoſcere: Illud tamen animaduertes, ſi diebus primis forte fortuna ſordidius fuerit vulnus, illud ne ita accurate, vt nonnulli faciunt fortibus medicinis abſtergas, idq́; cauebis magis ſi cum vlcere adfuerit febris, ſiquidẽ tunc huiuſmodi vulnera, atque etiam vulnera alia magna facilè inflammationi ſunt obnoxia, quam fortia medicamenta irritarent, cum calidi proprium ſit attrahere, & inflammare febremq́; adaugere: Quare ſi adfuerit inflammatio fortia adſtringentia medicamenta fugienda eſſe ex Gal. ſententia 4. meth. manifeſtiſsimum eſt. Quapropter leuiter adſtringentibus medicinis vtemur, uel ſiccos penicillos vulneri imponemus, quod deinde linteolo refrigeranti aliquo medicamine inunƈto, tegemus, hoc ſemper agentes, ut ab inflammatione, à dolore, & ab alijs ſymptomatibus vulnus vindicemus, quibus cum à nobis fuerit perſpeƈtum, vulneri valentiora adhibere remedia licebit, tutiſsime itaque temperatis medicinis primis diebus vulneri prouidebis: faƈta proinde coƈtione talia medicamenta admouebis.

Sordidum vulnus fortibus medicinis primis dieb. nõ abſtergendum.

& 4. de cõ po.me. ſe. gen.

Recipe terebintinæ, ſeu laricis, reſinæ puræ decies lotæ vnc. ij. farinæ ordei drac. iij. mellis roſati colati, vel eius loco, ſi mellis mordicationem times ſyrup. roſa. q. ſ. & fiat vnguentum, quo vulnus impleatur, cui poteris etiam addere cadmiam præparatam, quam aromatarij tuciam vocant cum aloe, thure, & ſarcocolla, quemadmodum vulneris exiget magnitudo emplaſtra, inunƈtiones, & alia, de

medicamẽtum, quod vulneri apponẽdum poſt coƈtionẽ faƈtã.

quibus iam egimus, omittendo, quia iam dolor erit arreptus, & inflammationis suspitio remota erit: quod si nerui vulnere erũt affecti, lumbricorum ter restrium puluerem, & picem addes: non enim te latet quantopere terrestres lumbrici à Gal. commendentur. Absterso vulnere, quoniam cauum restabit, quod carne, ut refert Gal. 4. meth. est replendus, sar coticis medicinis id consequeris. Cuius autem qualitatis esse debeant sarcotica primo de compo. med. secundum gen. scribit Gal. qui ibi vult medicamenta talia esse calida, & sicca, cum abstergendi virtu te, & 5. meth. dicebat siccitatem illam paucam esse debere. Scripsit hoc idem tertio meth. nec ratione hoc caret, siquidem si nimis siccarent, caro non generaretur, sed colliquaretur potius, & quod alimẽtum carnem geniturum esset ab immodica siccitate consumaretur, vt à Gal. 2. de compo. medicinæ sec. gen. habetur vulnusq; sordidius redderetur secundum eundem Gal. 3. de compo. med. sec. gen. debent præterea sarcotica mordicatione carere, vt Gal. 3. meth. ait, atq; expertia esse virtutis adstringentis, & 6. de comp. med. sec. gen. apud Gal. legitur, nec vltra primum gradum exiccantia, vt ab Auic. quarta primi proditum est, & ratio quare ca lida, & sicca esse debeant, est, quia calore suo materiam, seu sanguinẽ, ex quo generatur caro, attrahũt quod Auicena quarta quarti cap. de generatione car. non tacuit: siccitate autem putrefactionem attracti sanguinis impediunt, illumq; in carnem mutant,

& Cel. lib 26.

qualia sar cotica me dica. esse debeant.

& Auic. 4. quarti capit. 3. & 3. meth. & Gal. 3. meth. & 2. ad Glau.

sarcotica, quare cali da & sicca eẽ debeãt.

& Pau. lib 4. cap. 4. & Gale. 2. de temp.

tant, propterea quod æquat complexionem eius, & coagulat ipsum cum exiccatione, ut verbis Auic. vtar secundo Can. cap. 4. virtus igitur sarcoticorum medicamentorum ad cauos implendos carne, efficax est. Verum præceptum Gal. secundo de cōp. med. sec. gen. considerandum est, dicentis. Cæterum nemo ignorat ea, quæ propriæ, & primario sarcotica nominātur apta, ulcera carne replere, hoc ē quæ caua quidem, non tamen sordes, aut inflammationem coniunctam habent, insuper nec prauorum humorum influxionem, neque carnem in cauo vlcere intemperatam. Ideo in admonitione istorum sarcoticorum considerare debes nunquid intemperies aliqua in carne adsit cū materia, vel sine materia, & nunquid sanguinis, qui influit, in quantitate, an qualitate peccet, & cuique istorum, si opus fuerit, medicinis contrarijs occurres, ut 3. meth. pluribus uerbis scripsit Gal. siquidem caro, ut idem 6. meth. inquit, naturæ beneficio gignitur, carnis autem generationis temperatus sanguis, & purus est materia, eodem referente 3. meth. Quapropter tempore quo carnis generationi studemus boni succi cibis æger nutriēdus est, & vino moderato, ut Gal. admonuit: ex illis .n. sanguinis bonus, & moderatus generatur: exhibemus autem vinū, quia cito nutrit. uiresq; auget iuxta Gal. in lib. de temper. Cæterum sarcotica non æque in omnibus corporibus carnem generant, siquidem in quibusdam tantum abest, ut vulnus carne repleant, ut potius carnem excedant,

quid ante sarcoticorum admotionem sit considerādum.

& Pau. lib 4. cap. 40. & Cęl. lib. 5. cap. 26.

medicamēta sarcotica non æquè in cor

uulnusq; magis cauum reddant, & non nunquam humidius, ac rubicundius, vt Auic. quar. quarti, cap. 2. meminit: sed hoc fieri posse multis causis sciendum est, aut enim propter medicamenti virtutem, quæ plusquam oportet, valida est, aut propter ægrotantis naturam, vel membri temperamentum, aut propter imbecillitatem medicamenti exiccantis, quæ membro affecto non respondet. Si propter potentiam medicamenti nimis exiccantis id contingat, siccitate sua carnem consumit, & colliquat: si autem pauca sit siccitas putredinem non potest prohibere, & vulneris humiditatem consumere: Certaque signa siccitatis immodicæ, vel paruæ medicamenti sarcotici elegantißime declarat Gale. 3. de composi. med. secundum gen. scilicet si caro non generatur ob magnam, & vehementem siccitatem, manifestè apparet carnis defectus in dies magis, & vlcus profundius efficitur ob carnis colliquationem tumor in labijs apparet, inflammatio circumcirca conspicitur, atque rubedo, & color simillimus colori salitæ carnis, pus subtile, ichores fluunt, & nonnunquam sanguis, punctio, & mordicatio quoque sentiuntur, hæc omnia medicamenti indicant fortitudinem, quod non solum remouendum est, sed intemperies, quam ex tali medicamento vulnus contraxit medicamentis aliquibus refrigerantibus curanda est, quorum nullum eo præstantius habeo, quod ex pompholige conficitur, quod nos discribimus: hoc enim intemperiem calidam non solum remittit, sed carnis

poribus oĩbus carné generant. & Gal. 3. meth. & Pau. lib. 4.

propterq̃s causas nõ æque in omnib. sarcotica carné producant.

Sarcoticũ immodicè exiccãs q̃bus notis dignoscãt. & 3. meth. & Pau. lib 4.

medicamẽtum ex põpholige p̃-

carnis generationem adiuuat. Verum propter debilem medicamenti virtutem, vt Gal. & Pau. aiunt vlcus humidius efficitur, caro minime excrescit, aut mollior seu humidior generatur, vel vlcus ob eam causam, vt 4. de composi. medica. secundum gen. ait Gal. humidum redditur nec antedicta symptomata adderunt: quod autem caro mollis gignatur, hoc fit propter imbecillem medicamenti siccitatem, vt ab Hipp. lib. de vlc. dictum est. Sarcotica itaque medicamenta, tum mollibus, tum duris corporibus, tum vulneribus in neruosa, tum in carnosa parte acceptis congrua parare poteris, & si mollis temperatura fuerit, mitiora, si fortior temperatura, vel si in neruoso membro vulnus sit validiora medicamenta parabis, vt 3. meth. scribit Gal. siquidem semper caro deperditæ carni similis generari debet, quæ medicamento intemperie parti deperditæ simillimo generabitur, vt si sicca pars fuerit à sicco medicamento, si humidior à minus sicco gignetur. Carnosæ igitur parti, & temperamento molli vnguentum resinum cōmune vel solum, vel cū sarcoticis pulueribus, de quibus suo loco dicemus, admixtum conueniet, corpori præterea duro, aut sicciori membro, aut carni molliori vltra modum nascenti isis vnguentum cærato humido Gal. sic admixtum, admouebis.

Recipe isidis cephalici partem vnam, cærati humidi Galeni partes sex, modo addendo, modo detrahendo isim, vel damascenum, prout maiorem, vel minorem optabis exiccationem. Si humidum

ſtātiſſimū, ad inflāmationem remittendā. notę ſarcotici medicamēti indicantes ī-becillitatem. Sarcotica medi. qualia debeāt eſſe.

& in lib. đ cō. me. ſ. g.

vnguētum carnoſæ parti, & molli conueniens. corpori duro medicamentū cō-modum.

cæratum Gal. in promptu non fuerit, sumere poteris vnguenti demasceni vnciam vnam, vnguenti rasini vncias v. simul admiscendo, hoc vnguento vulneris cauũ penicillis illitis, implebis, hac ratione vnguenta hæc ad temperiem quandam rediges, dignoscesq́; tunc esse intẽperata, si ex vulnere subtilius pus, vel sanguinis guttas vna cum pure exire videris, nulla causa externa præcedente, tunc enim vim medicamenti huius remittes, ad augendo resinum vnguentum, vel humidum cæratum Gal. vel aliquod aliud humidum vnguentum admiscendo, atq; sic temperatum hoc vnguentum solum vulneri impones, quod deinde linteolo illito cærato diacalcitidis, in quo maior, vel minor calcitidis quantitas pro corporis duritie, vel mollitie sit in oleo rosaceo colliquato, vel albo vnguento Paul. vel alio medicamento refrigerante admixto conteges, & quia facile in vulneribus istis inflammatio, seu rubor erysipelatosus excitatur, propterea libentius huiusmodi medicamenta ad mouebis. His obseruatis, vulneris cauum carne replebitur considerato in carnis generatione corporis proprio temperamento, & sanguinis bonitate, & quantitate perspecta: si enim corruptus, & copiosior flueret sanguis, ad carnem producendam, & ad vulnus glutinandum esset inutilis, integramq́; valetudinem impediret. Quapropter in cauo vlcere tria hæc spectabis, primum, vt in subiecta carne temperies sit, deinde vt, qui ad affectam partem fluit sanguis, sit bonus, tertio, vt sanguis in quantitate non pec-

qũo intemperatũ cognoscetur medicamẽtum.

quot in vlceris cauo carne replẽdo sint

peccet, vt 3.meth.ait Gal. Expleta vlceris inanitate carne internata, ſordibus omnibus remotis, vulnus, vt Gal. 5.meth.in fine ſcribit, coaleſcere poteſt, idq́ue fiet, quando caro ita cutim æquabit, vt nulla alia adſit inanitas præter illam in qua generari cutis debet, vt Gal. 3. de comp.med. ſec. gen. placuit, quia ſi cuti æqualis eſſet caro, eminentior, quam par eſſet, cutis gigneretur, & ſi vlcus magis cauũ eſſet, concaua, & ad videndum turpis cicatrix efficeretur: quare cum caro carni, quæ ſub cute eſt, æqualis fuerit, epulotica tunc admouebis medicamenta, quibus cutis vel caloſa potius caro iuxta cutim alterã, neq; eminentior, neq; ſubmiſsior producetur, niſi oſſis quantitas aliqua deſideretur, ſiquidem tunc ſemper caua cicatrix ſecundum oſsis, quod deſideratur magnitudinem, vt Hipp. 6. aph.45. ait oſtenderetur. Neq; vlla afficiaris admiratione ſi deperditæ cuti, cutis ſimilis non regeneretur, quia cum ſimilare membrum cutis ſit, regenerari nequit, ſed pro cute, calloſa duntaxat caro augetur, quæ, quemadmodum Gal. 3. meth. ſcribit, durior in dies redditur: propterea cicatricem inducentia medicamenta, vehementioris ſiccitatis, quam ea, quæ carnem producunt, eſſe debent, vt ſiccitate ſua duram, calloſamq́; reddere poſsint, non attrahendo neq; colliquando, vt cenſuit Gal. 5. de ſimp.med.fac. verum, vt modicè adſtringant, oportet, ſecũdum eundem Gal. 1. de compo.med. ſec. gen. abſque erroſione, & morſu, vt idem 3.meth. refert, & validiora, quam ad gluti-

consideranda.

& 4.meth. & Cęl.lib. 5. cap. 27.

q̃n epulotica medicaméta sit adhibẽda.

& in lib. đ vlc. & Gale. in cõ.

& 3.art.medi.

qualia epulotica eé debeãt.

& 3.meth.

& 5.de cõ. med.se.gc.

nantia medicamenta, vt duram crassamque partem carnis generent, quæ si cutis vicem gerat ex duriori, & craßiori materia debet constare. Sit igitur epuloticum medicamentum siccius maiorisq; stipticitatis, quam adglutinans secundum Gal. meth. ob adductas rationes. Atq; hæc medicamenta siue pro duro corpore, siue molli, siue pro neruosa, siue pro carnosa parte parari poterunt, modo in cærati forma, quale est cæratum minij, spumæ argenti, vt postea dicemus: modo ea in puluerem redigendo si libuerit, vel in alia forma, modo eundem semper intuearis scopum, vt cutis scilicet generetur. Si autem nimis excresceret caro cathæreticis medicinis poteris occurrere, cum in numero morbus sit, & in toto genere præter naturam, vt Gal. in lib. de caus. mor. scribit, sed ea adhibeantur modica, & combusta, & lota, quo minus mordeant, vt placuit Gal. 5. de cõp. med. sec. gen. quale esset alumen rochæ combustum, erugo æris combusta, & lota, & spuma æris ita vt dicemus præparata, calchantum combustum, & lotum, pro parte magis sensu prædita hermodactilus galla matura combustaque, & similia.

& 4. de cõ. sec. gen.

quibus medicinis carni ĩmodicè excrescẽti sit occurrẽdum & 4. meth.

cathæreEtica medicamenta

De vulnere partis carnosæ, vel alterius partis cum globuli, vel alterius rei præter naturam retentione.

CAeterum si globulus vi tanta impulsus non fuerit ita, vt membrum totum transfigere nequi-

quiuerit, neq; per aduersam regionem exire potuerit, sed in membro detineatur, aut inter musculos, vel sub membranis absq; ossis læsione, primum nunquid parietis angulũ quẽpiã, vel terrã vel ferreã armaturam, vel vestimenta duntaxat tetigerit expendendum est, quia, vt plurimum, globuli isti plumbei aut stamnei sunt, facileq; in contactu solidi corporis, vel asperiores, vel teretes efficiuntur, secumque rei, in quam prius impegerint, particulam in corpus trahunt, vt ferè fit quando lapidem vel parietem, vel ferream armaturam, vel loricæ hamum, quam maleam appellant, vel clauos, vel laminulas loricæ illius, quæ laminis ferreis fabricata est, vel terram, vel vestimenta percusserint: trahunt enim secum rei prius contactæ frustula quæ vna cum globulis in corpore retinẽtur & supprimuntur, & quæ ut difficilius coalescat vulnus causa sunt, vel potius nisi ea natura expellat, aut à perito medico eximantur, nunquã coalescit, semperq; copiosiora effluunt excrementa, & varia oriuntur symptomata. Cognosces autem nunquid huiusmodi aliquid cum globulo retineatur vel ex ægrotantis relatione, vel loricæ, vel vestimentorum inspectione si aliquid defuerit, vel ex tactu specili, vel coniectura. Quocirca si vna cum globulo detentum aliduid fuerit, cum illud quoque præter naturam sit, auferendum est, vt faciendum esse admonuit Gal. 3. art. med. in morbo qui in numero consistit, vt cum in manu sextus est digitus, uel in vesica calculus retinetur. Ita quo-

quibus dignoscendũ sit nũquid aliud p̃ter globulum ĩ corpore retineat̃.

quid ĩ corpore p̃ter naturã est ilud remouendum.

quoque cum in corpore globulus, vel aliud præter naturam retentũ fuerit si fieri potest illud remouendũ est, nisi naturæ viribus fidamus, quæ à corpore illud poßit abijcere, speremusq́; vulnus abs vllo alio incõmodo quanuis intus aliquid quod præter naturã sit detineatur coaliturũ. Si vero nulla in natura spes reliqua esset, chirurgia remouẽdum esset, quod etiam diuinus cognouit Homerus qui sic scribit.

Namq́; alijs multis est æquiparandus vnus.
Vir Medicus, qui infixa perite excidere tela
Vulneribusq́; superdare mitia pharmaca nouit.

Qua propter Cel. non sine causa chyrurgiam homini, & vitam, & mortem inferre posse aiebat, ideo globuli isti summa cura diligentiaq́; vna cum omnibus ijs, quæ præter naturam in corpore continentur tollendi sunt. Sed prius globulorũ, & eorum omniũ quæ sclopeto iaculãtur figura, magnitudo, & materia examinanda est, & licet vt plurimum quæ sclopeto iaculantur sphærica sint: tamẽ quandoq; ex cõtactu solidioris corporis, vel dũ à sclopeto exiliunt aliam induunt figuram, & quandoque ex sphæricis fiunt teretia, & nonnunquã deprimuntur; aliquando etiam quadrata quædam, vel plumbea, vel stamnea, vel ferrea, vel globuli intersecti, quibus æreũ filum insertum est proijciuntur, quos æratos globulos vocant. Neq; solum tela huiusmodi forma differunt, sed magnitudine interdum, & materia, quædam enim magna sunt, nonnulla parua, aliqua plumbea, alia stamnea, quædam ænea, & nonnulla (raro

in chirurgia mors, & vita.

ante globulorũ extractiõem quę considerãda.

globulorũ diuersitas.

ro

ro tamen) ferrea, vt plurimum enim plumbei vel ſtamnei globuli ſunt, qui ſclopeto iaculantur: æneì autem, vel ferrei, vel lapidei globuli bombardis emittuntur, & quanuis, vel forma, vel magnitudine, vel materia differant in vulneribus quæ intulerint eadem ſemper curandi ratio ſeruatur: magni tamen globuli in membro carnoſo occultari minime poſſunt, neque ob id etiam curatio mutatur, & quia in vno vulnere vnus globulus ſolus, vel aliquo alio fruſtulo, vel quadrato eſſe poteſt, non ob id quoque ad diuerſam curationem nos vocat, quandoque cũ plumbeo globulo innumera plumbei fruſtra emittuntur, quæ tamen eundem locum non petunt, quia dum à ſclopeto proſiliunt diſperguntur, diuerſaque vulnera ſi corpus cõtigerint faciunt, propterea coniectura, à globulo excepta, nec ne ſint, viſu, & tactu dignoſces, operamq; dabis ſi fieri poterit, vt ea à corpore eximas. Si vero cum globulis, vel quadratis plumbeis, aut ſtamneis in vulnere carnoſæ partis armaturæ ferreæ fruſtulum, aut loricæ hamum, aut rei alterius præternaturalis particulam non contineri liquido cognoſceres, neq; vrgeret dolor, neq; propè venam aut arteriam, aut in ſenſibili loco eſſent, (tunc enim illos extrahere vrgeret neceſsitas) parua admodum, vt eos educas ſolicitudine afficiaris: ſiquidem citra periculum in corpore coaleſcunt. Plumbum quippe, & ſtamnum quando nitroſitatem, & ſordẽ, ſi quam ex puluere contraxerunt, exuerint, & locus in quo retinẽtur à ſanie purgatus

quibus nũ quid à globulo, an à re alia vulnusfactum ſit dignoſcendum

plũbei globuli, aut ſtãnei quo minus coaleſcat vulnus nõ impediunt.

gatus fuerit, quo minus coalescat vulnus non impediunt, nec erugine obducuntur, quemadmodum metalla alia quamplurima: & quanuis propter eorum grauitatem locũ mutent, in partibus tamen illis abscessus alicuius causa non sunt, quin potius discedendo, & locum mutando medicinam relinquunt, & ita sensim locum relinqunt, vt ne ab ægroto quidem sensu id percipiatur, licet in corpore triginta annos retineantur: quandoq; tamen natura eos ad cutim summam detrudit, ibiq; abscessus causa sunt, qui si secetur facillime, & sine periculo, vt nos sæpe fecimus, eximuntur. Verum si sine maximo dolore globulos ipsos extrahere Medicus potest, quo tandem certior omnino fiat nunquid aliud in corpore detineatur, globulum eximet, sed hoc prima die, qua quis ictus fuerit molietur commodius, tum quia globulus tunc specillo tangetur facilius, & in recentis vulneris contrectatione, cum adhuc membrum calidum sit, minor accitur dolor, quam cum ab aere alteratũ refrigeratumq; fuerit, mecũq; in hoc ita senties, qui cũ forte fortuna ex equo cecidissem, plagamq; in sincipite accepissem, in ea statim digitum immisi, vt nunquid confracta esset caluaria explorarem. tũc nullum omnino percepi dolorem, cum autem post duas horas adhuc ambigerem non recte me vulneris essentiam explorauisse, iterũ in vulnus digitos imposui, ingentissimoq; dolore affectus fui, atq; hoc dictum sit, vt ostendam quanti referat vulnus calidũ an frigidũ pertrectes. Si igitur globuli illi euel-

globuli licet locum mutẽt abscessum nõ faciunt.

qñ globuli abscessũ faciunt.

minor dolor in contrectatiõe calidi vulneris q̃ frigidi percipitur.

euellẽdi erunt, vt id prima die efficias suadeo: quod si, vel imperitia, vel causa alia fuerit omissum, non ita facile deinde occasionem arripies, qua id moliaris: siquidem iam erit vulnus sensibilius redditum, & tumor iam aliquis aderit, & vulnus angustius erit effectum. Ad hæc si vel caro, vel membrana, vel membranosi tendines rumpantur, aut perforentur, concidunt, globulumq; sæpius tegunt, & intercludunt, qui deinde non sine ingenti dolore euelleretur: neque id mirum sit, quoniam si specillo tangi nequit, difficilius extrahetur, ac si omnino extrahere globulũ conareris, non citra dolorem intensissimum, maximumq; ægrotantis discrimen hoc præstares, minusq; hæc vitares incommoda, si postquam humores quieuere, dolorque fuerit sedatus opus hoc aggredereris. Quandoque etiam globulus cartilaginem percutit, quæ cum osse sit mollior, non rumpitur, sed flectitur, deinde eleuatur, ita, vt quandoque vulneris foramen constipet: & quanuis summa diligentia specillo, digitisque vulneris profunditatẽ explores, licet id statim post illatum vulnus facias, actum tamen agas, quemadmodum nobis sæpe in thoracis plagis non solum à globulo, sed à cædente telo factis, obtigit, in quibus vix vulneris foramen inuenimus. Quocirca si globulum prima die extrahere nequiueris, neque cum globulo aliquid etiam, quod præter naturam sit in corpore detineri verearis, sic, vt dictum est, facies, admotoq; oui albumine cum sale vulneri, globulum, natu-

prima die globuli euellendi sunt.

vlneris forame quãdoq; occultatur.

tu-


turæ, vt illum expellat, remittes. Sed si omnino extrahere globulum opus fuerit, dupliciter eum poteris euellere, aut enim per foramen, quod effecit, aut per oppositam partem incisam, si non longè à cute sit, educes: si enim à cute longè distaret globulus, aut si altius infixus esset, per effectũ foramen extrahendus esset omnino, dummodo specillo perciperetur. In vulnus igitur nostros hamos immittes, quibus globulum leuiter reuoluendo educere conaberis: habebis etiam forpices cauas, forpicem dentatã, cylindrum in manubrio habentem, & rostrum coruinum. At, cum forpice dentata, vel alio instrumento apprehensus globulus fuerit, leuiter quantum fieri poterit, educes: instrumenta autem ad id apta in picturis videbis: veruntamen minori dolore, incommodoq; nostris hamulis loco proprio descriptis globulos euelles, qui vulneris meatum non occupant, nec vulneris labra extendunt, sed cum post globulum immissi fuerint, leuiter si illos attraxeris, secum globulum educent. Non tamen hoc ita commode forpicibus, aut coruino rostro, efficeres: meatum enim vulneris obstruunt nimis, doloremq; non mediocrem inferunt, quando, vt globulum comprehendas, dilatantur: nerui enim tunc, aut tendines, aut caro ipsa in dilatatione illa comprimuntur, ut iñ sequenti pictura patebit.

dupliciter extrahi potest globulus.

instrumenta ad globulos educẽdos idonea.

hamulorũ in globulis extrahendis vtilitas.

forpices & rostrũ coruinũ ĩ globuli extractione quę faciant incommoda



Quippe si forceps b b, immittatur per vulneris foramen a, ad globulum c, vt illum comprehendat, dilatari magis debet, quam sit vulneris ipsius magnitudo d d, in qua dilatatione non mediocris commouebitur dolor, quem maxime vitare debemus.

Hoc

Hoc autem nostris hamulis non fiet, quoniam licet angustißimum sit vulnus, ingredi tamen possunt, globulumq; euellere absq; dilatatione, extensione, & incisione, quam illi non vitant, qui forpicibus illis vtuntur, vel coruino rostro. Horum igitur instrumentorum vsum semper fugiendum suadeo. At si hamulos nostros inutiles censebis ob ossa confracta, quæ carnem quandoq; diuellunt, & lacerant, ingentemq; cauum efficiunt, à quo hamulis illis globulus educi non potest: aliud habebis instrumentum forpicis formam referens, cuius vna pars sola, quæ veluti spathula quædam est, ad posteriorem globuli partem mittitur, & sic manu stabilis continetur, altera deinde pars intromittitur, ad globulum comprehendendum, præterea clauo quodam ambæ partes iunguntur ad modum forpicis qua calculi à vesica extrahuntur, vt etiam in picturis poteris intueri. Sed mehercule hamuli nostri, modo per proprium vulneris foramen extrahi globuli poßint, omnibus alijs instrumentis commodiores sunt & his (vt sæpe vidisti) quamplures globulos quamplurimaq; oßium frustula extraxi. Exquisita tamen diligentia adhibēda est semper, vt modo celeriter, modo tardiuscule, prout erit commodum, & æger tollerabit, opus absoluas, hoc semper agendo, vt tuto quod cupis, & quam minimo cum dolore perficias, sed si fuerit commodum rem quamcelerrimè poteris, perages: admonuit enim Gale. 14. meth. in humano corpore ita actiones perficiendas, neque hoc etiam tacuit in lib.

aliud ĩstrumentũ ad globulos euellẽdos

lib. de his, quæ in med. fiunt, vbi ostēdit aliquas esse actiones, quæ quam celerrimè sunt absoluendæ, vt incisiones aliquæ, suffusionum depositio: in hac igitur re periti, & exercitati Medici esse debent: extractum deinde globulum ægroto ostendes, afficitur quippe nō mediocri lætitia æger, quādo id, quod dolorem faciebat, esse amotum videt, præterea sanguinis fluxum sistens medicamentum, quale supra dictum est vulneri superpones. Semperq́ue quod faciendum est, vt vno tempore perficias, neque in sequentem protrahas, operam dabis. Aduersam partem incidere consueuimus, vbi caro crassa non est, parumq́; abest quin globulus cutim contingat, aut vbi propè ipsam cutim est, neq; neruus, aut os, aut tale quidpiam obstat, quominus ad ipsum globulum vsque sine periculo incidas, deinde hamulis nostris, vel spatula sinum aliquem habentem, in quo firmari commode globulus poßit, quemadmodum in pictura poteris videre, vel forcipe anserina etiam illic depicta, quam sic, quia anserini rostri referat similitudinem, libuit appellare, globulum extrahes, iterum post globuli extractionem specillo explorando nunquid adhuc aliquid præter naturam, vt sæpe fieri solet: quod secum globulus in fundum vsq; vulneris traxerit, detineatur, quod si fuerit, illud diligenter remouebis, neq; te lateat in casu hoc commodius cæteris instrumentis in tabellis nostris pictis; quam hamulis extrahi globulos posse, quia cum globuli ad cutim vsq; peruenerint, eam à musculis im-

Extract⁹ globulus ægro ostendēdus.

Vno tēpore semp quod agēdum est, perficere debemus, neq; in sequentē diem protrahendum.

Aduersa pars quādo inci.

Quo instrumēto in sinu contētus glo

bulus facili9 extrahetur.

pulsione sua, & ab alijs partibus separant, & dum laxatur, sinum quendam relinquit, à quo hamulis circumuolutus globulus educi non potest, libentius itaque forcipe anserina, quàm hamulis vterer. Si rectè globulos istos perquirere volueris, quod ab Hipp. & à Cel. lib. 5. proditum est, obseruabis .s. vt ægri corpus, in figura illa, in qua vulnus accepit, statuas, hoc pacto in quo loco globulus detineatur animaduertes, quod si ob imbecillas ægri vires hoc facere nequiueris, saltem in lecto, ita statui corpus debet, vt proximè ad eam figuram, quam, cum vulnus accepit, obtinebat, accedat: globulum deinde specillo, & digitis diligenter perquires, & inuentū leuiter instrumentis illis, de quibus paulo ante egimus, eximes: hoc idem obseruabis siue vestimenti, siue interioris tunicæ, siue corij, siue cuiusuis alterius rei præternaturalis frustulum eximas: quæ autem neq; stylo, neq; digitis percipi possunt, ea naturæ permittenda sunt, quæ si primis diebus nequiuerit, post aliquod tempus saltem ea extrudet, neq; aliud in huiusmodi vulneribus à Medicis est facien dum, cum quid retineatur (licet diligenter illud ex plorent) eos lateat. Præter hæc illud quoq; diligenter aduertendum, quid illud sit quod cum globu lo in membro contineatur, quandoque enim priusquam corpus feriat globulus, ferream armaturam percutit, aut diploidem, aut terram, aut saxum, & cum corporibus solidis occurrit, facilè aut extenditur, aut deprimitur, aut asper redditur, & rimulis illis

Qũo recte quis globulos explorare, & perquirere posset.

Quæ præter naturā ī corpore detinētur, atq; stylo ubi sint, aut digito ꝑcipi possunt naturæ sunt permittenda

Quid sit cū globulo in corpore retineatur uidēdū diligēter.

illis, & asperitatibus aliquid substantiæ illius, cui primum occurrit, adhæret, in corpusque trahitur, quod, vt quam primum educatur, vrget, idq; celerrimè semper agendum est, corpusq; in ea figura, in qua erat quando vulnus excepit, collocandum est, deinde vulneris, & eorum etiã, quæ à corpore eduxeris figuram considerabis, dabisq; operam, vt coniectura assequaris, nũ quid adhuc in corpore, quod præternaturale sit, relinquatur: & si adhuc aliquid esse deprehenderis forpicibus, aut hamis educes: præter id ferream armaturam num integra, an fracta sit inspicies, & frustuli illius, si quod in vulnere erit, quantitatem coniectura dimetieris: videbis etiam loricam ex ferreis hamis confectam nunquid illius pars in corpus cum globulo detrusa sit, & nunquid claui aliqui loricæ ex laminis ferreis fabricatæ, aut etiam laminula aliqua cum globulo etiam in vulnere fixa sit. Si igitur horum aliquid detentum fuerit diligenter explorabis, illudq; educes, siquidem quæcunque ferruginem, aut æruginem contrahunt, in corpore retinenda non sunt, quia ne coalescat, vulnus impediunt, quocirca illa, vt quãprimum euellas, operam dabis, siue in vulneris fundo, siue in latere fuerint. quandoque etiam globuli loricam ex ferreis hamis confectam ferientis, hamos ipsos rumpunt, extenduntque, quos in vulneris lateribus defigunt, & vix specillo tangi possunt, hos tamen, nisi post suppurationẽ, euellere non possumus, naturaque, vt plurimum, post aliquot dies eos

Figura rei p̃ternaturalis quæ extrahitur consideranda.

Quæ cõsiderãda sint, ut recte id qđ ĩ corpore retineatur sciamus.

Quæ ferruginẽ cõtrahũt uulneris cõsolidatione impediunt.

expellit, interdum etiam contingit, vt hamuli illi globulo infigantur, & ita pertinaciter plumbo adhæreant, vt nisi validißima forcipe eos non poßis euellere nonnullosque tibi globulos, in quibus tres, aut quatuor hamuli adeo infixi erant, ostendi, vt vix in globuli summitate apparerent, propterea si globuli, quibus hamuli huiusmodi adhærent in corpore retinentur, mirum non est, si nunquam vulnus coalescat: hamuli.n.ferrei semper ferruginem contrahunt, ideo cum globulo, & vestibus, & alijs, quæ præter naturã in corpore detinentur per proprium vulneris foramen, vel per incisionem in aduersa parte factam, siue in superficie, siue in fundo vulneris fuerint, euellendi sunt, modo quod cupis, te assequi posse non desperes, quemadmodum nobis in quibusdam obtigit, quibus hypochondrium ad cutim vsq; alterius lateris perforauerat globulus, fit enim sæpius, vt omnes corporis partes perforent globuli, aduersæ partis cute duntaxat excepta, quam neq; rumpunt, neque perforant, quoniam post illam solidum aliquod corpus non est, quod ictui resistat, ideo cedit, extenditurque, neq; ita facile rumpitur, atq; adeo interdum extenditur, vt ob vehementem extensionem vestimenta lacerentur, neq; solum vestimenta, sed etiam loricæ hamuli ferrei diuellantur, quemadmodum anno superiore in Mirandulensi obsidione in Illustrißimi Ioannis Vitelli strenuißimi militis curatione obseruaui, qui in postrema spinalis medullæ parte, dum inter cohortem hostium pugna-

Oẽs corporis partes interdũ excepta cute perforãt globuli.

Absque cutis perforatione quandoq; uestes, & armaturæ lacerantur, & diuellũtur

gnaret fortißimè, globulo ictus fuit, id quoque in Perusino quodā milite obseruaui, qui lorica ex ferreis hamulis confecta armatus, vulnus supra os iuguli exceperat, quod ad posteriorem vsque partem supra scapulam terminabatur absq; cutis perforatione, omnes tamen hamuli partem illam contingentes lacerati, atq; diuulsi fuerunt, non secus ac si per eos globulus transiuisset, atq; id propter ingentem cutis extensionem factum fuisse conieci, cutim deinde illam extensam secui, ac cum globulo sex hamulos extraxi: eandem quoq; extensionem in quodam milite leuis armaturæ obseruaui, qui sub axilla dextera inter loricam, & humerū globulo ictus fuit, qui tandem ad quintam vsque costam oppositi lateris peruenerat, costamq; ruperat absq; cutis perforatione: quapropter cum id animaduertas, quauis, etiam parua sectione globulum inuenies, illumque vna cum rebus alijs, quas secum traxerit, eo quo dixi modo extrahes. ac si forte aliquid in vulnere relinqueretur, nunquam ipsius vnionem sperabis: propterea morbum diuturnum futurum prædices, præsertim si læsa ossa fuerint, & si oßibus læsis cum globulo aliquid etiā, quod præter naturam sit, & quod specillo dignosci non poßit, accesserit id si prædixeris, calumniam uitabis, vt pri. prædic. dicebat Hippo. At si in osse aliquo infixi sint globuli, vt in osse tibiæ, vel fæmoris, vel ilij, vel alio quopiam osse simili, modo ita hæreant, vt neque compreßione, aut specilli impulsione, à loco moueantur. Si prædictis in-

Quando difficillime uulnus sanetur.

Prædictio arcet calūniā.

Quō instrumēto in osse fixus globu. possit educi.

instrumentis euellere non poteris, terebello cannula munito, uel solo ipso terebello, quemadmodum magis ex usu esse iudicabis, ut educatur dabis operam. quippe terebello globulum perforabis, terebellumque illud fac in globulo inseras, & ita commode extrahes. neque scalpello ad os circum circa excidendum, quo in alijs telis in oßibus fixis educendis egemus, quoniam globulus sua figura sphærica, & ictu comminuit os, & frangit, & ab alijs oßibus diuellit: quocirca quam facillimè istis terebellis globulum extrahes. Si autem in promptu terebrum non sit, ægrum dolore ne afficias. siquidem post inflammationis tempus, & post suppurationem, vel postquam contusum os abscederit, remouebitur, ac cum osse ipso egredietur, quoniam læsum os absque desquammatione retineri non potest, præsertim cum à vehementi illa contusione sit alteratum, idque post dies paucos sequetur, quare morbum longum futurum prædices, vt secundum Hipp. faciendum esse diximus, quo calumniam vites, neq;, quæ multis profuit, artem diffames: cæterum si aliquod principale membrum globulis istis ictum fuerit, vt est cerebrũ, cor, guttur, pulmo, iecur, intestina, venter, renes, aut vesica, vel in mulieribus vulua, & iam lethalia signa appareant, neq; citra discrimen globulus possit educi, manum admouere recusabis, cum nullo modo ægroto opẽ ferre poßis, ne etiã artis salubris, existimationẽ offendas. Verum si euentus incertus sit, prius quanti periculi res sit, præfaberis, deinde glo-

In uulneribus in membris prĩcipalibus accepṫis, quid sit faciendum.

globuli extractionem aggredieris, siquidem præter spem multa interueniunt sæpe commoda. ac si in huiusmodi vulneribus, in quibus salutis spem non omnino abiјecimus globulum relinqueres, præterquam quod ars hæc ob omni humanitate aliena videretur (vt alia, quæ à Paul. in cap. de extract. telorum dicuntur omittam) certa quoque mors sequeretur. si autem eximeretur bonam fortasse valetudinē æger consequeretur: quare nunquam globulorum extractionem, modo spes aliqua sit, ac specillo percipiantur, fugies. fiunt enim præter omnium spem monstra in chirurgia. Hoc etiam vide nunquid aut in venam, aut in arteriā impegerit globulus, ne magnum sequatur sanguinis profluuium, quod si esset non ita uenæ ipsius, aut arteriæ consolidatio speranda esset, vt si ab incidente telo cæsæ fuissent, tunc enim partes venam, vel arteriam circundantes coalituras speramus: hoc autē casu nihil simile expectandum, quia propter contusionem ruptæ sunt, & ambiens caro attrita, & diuulsa quoque est, hinc ideo magnus sanguinis fluxus non solum primis diebus, sed aliquot dies post sequitur, dum contusæ partes ob putrefactionem abscedunt. quapropter tunc venas illas, aut arterias laqueo excipies, vel ferro candenti adures, neq; ita facilè, ac si à gladio cæsæ fuissent coalituras speres, quia eorum pars, quæ attrita fuerit semper desiderabitur. Ad medicinas igitur, quas 5. meth. scribit Gal. confugies, deinde vulneris curationem suscipies, quemadmodum in vulnere

Quid sit agē dū ubi salutis, & mortis incertus euētus sit.

In chirurgia fiunt mōstra

Ex cōtusiōe uenæ, aut arteriæ ruptæ difficile coalescunt.

Venis uel arterijs ruptis quid sit agēdum.

Vulneris in neruosa parte accepti curatio.

in carnosa parte excepto faciendum diximus. Si in neruoso membro vulnus fuerit eodem modo, quo dictum est, victus instituendus, & sanguis mittendus, & corpus purgandum. Quod autem ad topica attinet remedia: cum etiam vulnera hæc contusionem patiantur, & ex Gal. concoqui, vt diximus, debeant, habitæ naturæ partis ratione, vnctuosa admodum cataplasmata, de quibus paulo ante egimus, omittenda, nisi forte dolor, aut aliquod aliud symptoma, quod ad se totam curam trahat, te huiusmodi vti cataplasmatibus cogat, vt quandoque esse faciendum elegantissime 4. meth. scripsit Gale. verum vulneribus istis ad leuandum dolorem tuto emplastrum ex vaccino lacte, pane, oleo rosaceo, vitellisq; ouorum, & modico croco, vel ex althea in oximellite, aut in lixiuio cocta, cui etiam rosaceum oleum additum sit, admouebis, vel quodpiam aliud cataplasma compositum ex fabacea farina in lixiuio cum oximellite decocta, vel pro fabacea farina hordaceam, aut eruinam, si haberi potest, aut aliam eiusdem facultatis assumes, vt 6. meth. scripsit Gal. vbi in antiquos inuehitur cataplasmata ex triticea farina cum hydræleo admouentes, quæ quidē in vulneribus cæsim factis vitanda sunt: in contusis autem vulneribus, in quibus sæpius nō mediocris vrget dolor, eorum confert vsus, quæ etiam cum dolorem non valeant remittere, vnctuosis magis quã doq; vtimur medicinis, & ad olei dulcis perfusionem vel embrocationem (vt cum alijs loquar) confugi-

Qualia cataplasmata, q̃ uulneri ĩ neruoso mēbro excepto sunt admouenda esse debeãt.

& 3. de cōp med. sec. ge

fugimus,ut nos,cum Illustriss. Macedoniæ Principi intrepido duci medicaremur,in Mirandulensi obsidione coacti fuimus, qui cum me ad vulneris, quod acceperat, curationem vocasset, maximoq; dolore infestaretur, qui totam ad se curationem vocabat, affectum mẽbrum oleo, quanuis neruis officiat, Galeni freti sententia 3.de cõp.med.sec.gen.irrigauimus,lanamq; cum œsypo (quam lanam succidã appellant) simplici oleo, & aceto imbutã, ut medicamenti virtus ad affectum locum perueniret, superposuimus: debẽt tamen medicamenta hæc actu calida admoueri,quando frigidum vlceribus,& neruis inimicũ est,ut adducto loco ait Gal.nec 5. aph. 18. tacuit Hipp.huiusmodi tamẽ vnctuosa medicamenta vulneribus istis, quæ in neruosis sunt partibus, moderatè magis, quam si in carnoso essent membro, imponenda sunt. post tres, vel quatuor deinde dies lumbricorum terrestrium puluerem oleo prædicto, quo affectum locum inunges,addes: Nec,aut ad calidiora,aut ad sicciora medicamenta primis diebus, dum,& contusio, & dolor adsunt, confugerem, siquidem in contusionibus istis adeo atteruntur, & contunduntur partes, ut quàm facillime ex quauis leui causa (licet mitia admoueãtur medicamenta) inflammatio excitetur,quæ acciretur facilius,si calida medicamenta,ut pix cum terebentina, & resina abietina (quibus nos in vulneribus ab incidente telo factis absq; instãmatione, & abscessu vtimur) vulneribus neruosarum partium admouerentur,

Vnctuosa medicamẽta parcius uulneribus in neruosis partibus acceptis quã carnosis sũt admouenda.

Fortia medicamenta primis dieb. unlneribus cum cõtusiõe nõ apponenda.

hæc

hæc itaque primis diebus uitamus. Verum post dies primos vulneri oleo nostro exiguam picis siccæ partē loco liquidæ picis addere non vereremur, præsertim si in genu, uel cubito vulnus esset, nullaq; eo tēpore extaret inflammatio. At si tendines aliqui ab ingenti illa contusione detecti fuerint, aloen hepaticam, thus, sarcocollam, uel puluerem lūbricorum terrestrium, ut putredinem arceas, & alia sarcotica loco suo descripta, admouebis: neque penicillos in vulnus immittes, & si aliquos velles imponere, breues admodum, mollesq; sint, ne dolor concitetur, qui primus in horum vulnerum curatione exhauriēdus est. Ad hæc, si os aliquod globulus percusserit, vt os ilij, vel scapulæ, vel alterius partis, absq; oßis totius fractura (quod fieri posset, si globulus latus uel tibiæ, uel fibulæ, vel femoris, uel radij, uel cubiti, uel humeri, petierit, quanuis in ictibus istis rarißime contingat, quin os à globulo ictum totum transuersim rumpatur) primis diebus, licet diligenter explores, vniuersum os esse ruptum non dignosces, post aliquot tamen dies in puris generatione, iam fractum os laxatur, ac dissoluitur, & per conscensum, ut Medici nostri dicunt, os uniuersum frangitur quanuis totum à globulo percussum non fuerit. Aliud quod te maiori afficiet admiratione, addam, os à globulo percussum, non solum in ea parte, quam petierit globulus, rumpi posse, sed in altera etiam parte, quam nō tetigerit, per quandam, ut ita dicam, reuerberationem, ut fieri in lignis sæpe solet

Tendinibus detectis medicamenta idonea.

Os totū esse fractum primis diebus quādoq: nō cognoscitur.

Non solū os in parte, quā globulus percusserit, sed in alia quoque parte possit frāgi.

let, quæ in vno latere percussa, in altero per consensum, & reuerberationem ingentis percusionis franguntur. itaque id una cum pluribus medicinæ candidatis, in nobili quodam nostro Bononiensi animaduerti, qui à sclopetario globulo ictus fuerat in maiore fibula circa medium curis, cum totius illius ossis fractura, neque in egressu vllo modo tibiam globulus lædere potuit, cũ sub ipsa interna parte versus suram per distantiam trium digitorum ab ipsa tibia egrederetur. cum autem, Bononiam aduectus nobilis hic fuisset, tibiam totã manibus pertractando, ipsamq; totam cum fibula per transuersum fractam reperi, infra ipsum vulnus in sex digitorum distantia, hoc tamen ita esse Bononienses Medici, qui cum ex castris Bononiam deduxerant, negabant, quos, tandem ratione, & experientia (quanuis, ut sui moris est, pertinaces essent, multumq; sibi tribuerent) in meam adduxi sententiam: hoc idem in alijs quamplurimis obseruaui, qui à globulis sclopetarijs vulnus inter tibiam, & fibulam & inter cubitum, & radium, sine magnorum osium fractura, acceperant: sed tamen modo iuxta vulnus ipsum, modo supra vulnus, modo infra, ossa illa per transuersum fracta deprehendebam, quod ob ingentem ruinam, & impetum, & quandã (ut sic loquar) reuerberationem, uel rem huiusmodi aliam, obtingebat. Et nos quoque turcam quendam arte tibiam annosi bouis, aut æneum pistillum oblongum, aut saxum, modò in parte ea quam percutiebat, modò in alia rumpentẽ pu-

Taxat Rota.

Turcæ historia.

pugno vidimus: neque tamen eo impetu quo globuli feriunt, res illas percutiebat: quocirca ad rem hanc animaduersionem uertas, & si per transuersum rupta esse ossa non deprehenderis, ita, ut dicemus, mēbra illa pertractabis. Præter hæc nunquid globulus alicuius oßis supercilium, aut appendices, aut parua digitorum ossa percusserit, uel aliud quodpiam os in plures partes cōminuerit, vel in membro detineatur, uel uniuersum membrum penetrauerit, expendes. Si intus detineatur, si fieri potest, eo, quo diximus, modò extrahendus est, & quicquid cum eo præternaturam in corpore fuerit, remouendum. Si solus in corpore fuerit, neque illa, de quibus supra egimus, adsint symptomata, naturæ, vt iam diximus, est relinquendus. Oßium deinde frustula, num forpicibus, vel volsella, vel alio instrumento remouenda sint, etiam atque etiā uidendum, discantque hoc Empirici, & carnifices Medici, & hi, qui callere optimè artem medicam uideri uolunt, qui dum ægrotis medentur, uel eius potius mortem inferunt, ut aliquid semper agere uideantur, nulla ratione habita, ossa quæcunque forpicibus, & uolsellis conantur euellere, & si magna, magnoque conatu ligamenta, tendines, membranasque cum oßibus diuellunt, inhumaniterque neruos rumpunt, ac laniant: non secus ac si brutorum corpora, aut lapides tractarent, in quibus experiri impunè licet multis modis: neque (modo os illud extrahant) ægrum maximis illis cruciatibus miserè ad internitionem perdu-

Num forpicibus uel uolsella ossa extrahēda sint uidendum:

Nonnulli taxantur Medici.

ducere verentur. Hi quantũ, dij boni, errent, quàm recte ad medicandum edocti sint, Gal. in lib. de his quæ in med. fiunt, ostendit: ubi fractorum ossium euulsionem multis rationibus prohibet, quia in eorum euulsione ligamenta rumpuntur, caroque, & membranæ, atque tendines, quibus ossa adhærent & coniuncta sunt, dissoluuntur, ex quo dolores uehementissimi fiunt, abscessus subsequuntur, & mors sæpe infertur, uel sinus profundi relinquuntur, uel uomica (quam fistulam appellant) ita magna fit, ut ei nullo modo natura mederi possit. Atque ossium extirpatio magis cauenda est, quando spes aliqua sit eorum frusta, siue magna, siue parua sint, callũ contrahere posse: naturæ igitur hoc opus permittendũ, quæ si callo comminutas ossium partes constringere nõ poterit, in nouæ carnis incremento: sine periculo, ea expellet, & carne noua sub osse genita, atq; osse per abscessionem, uel desquammationem expulso, cauum uniuersum citra naturæ incõmodum replebitur, quia sic Hipp. in lib. de fract. cap. scribit fragmenta, quæ à natura abscedunt, sponte decidunt, à carne enim ea expellentur subcrescente, quod non tacuit Cel. lib. 8. cap. 4. quocirca Galeno admonente, ossium frustula si parti alicui adhæreant, & si nullum pungendo dolorem inferant, ui non euelles: quod si quando per transuersum deducta sunt, uel à globulo ad partem neruosam, tendinosamq; delata, stimulent, uel si propter pus quod frustula ea à ligamentis, membranis, & à carne separat, ad aliquem de-

Ossiũ fractorum euulsio à Gal. prohibetur.

Extirpatio ossium quãdo magis sit cauenda.

& Auic. quarto 4. cap 2.

Ossa quando euellenda

descenderint locum, quem pungant, tuto volsella, uel forpice, uel alio instrumento sensim, ne magnus accersatur dolor, educes, quæ si à membranis, uel ligamentis diuelleres, maximum inde sequeretur incõmodum, quanuis minima ea frustula essent: quare si cõmodè ossa extrahere non poteris, opus ne aggrediaris, siquidem si primis diebus inflãmationẽ prohibueris, & ab ægro mortis periculum propulsaueris, satis erit, illa deinde educes ossa, si poteris, quando, post puris generationem, à ligamentis natura separauerit, vel vbi abscesserint, vel vbi ex alimenti defectu, à cæteris ossium partibus deciderint, si natura ea non extrudet. Si forte magnum quodpiam os globulus impegerit, illudque dissoluerit, vt os tibiæ, fibulæ, fœmoris, humeri, cubiti, vel radij, vniuersumque membrum perforauerit, & à sede remouerit, dignosces, si cum sano membro affectum mẽbrum contuleris, vel si prius membri ipsius naturalem compositionem scieueris, vt Gal. in lib. de oss. scibit, si liber ille legitimus Galeni Liber est, vel si membrum manibus pertractando inæqualitatem perceperis, vel si punctionibus æger afficiatur, vt Cels. dicebat, vel ex totius membri inflammatione, quæ semper omnes fracturas subsequi solet: post hæc cognita fractura digitis diligenter explorabis, nunquid vel ferri, vel panni, vel alterius rei præternaturalis frustũ in membro detineatur, quod quanuis aliàs sæpe faciendum admonuerim, tamen quia & vtile, & necessarium est, illud subinde inculcare expedit: ac si ali-

Quibus notis cõminutum os, & à sede propria remotũ cognoscatur. & 1. ad Glau.

aliquid retineri deprehenderis, arte, vt illud remoueas, si fieri potest, conaberis. Cæterum si componi ossa illa possent, & ad priorem figuram reduci, & in propria sede reponi, omni studio, vt id facias adnitėris, vt ab Hippo. in lib. de fract. scriptum est, atq; etiam in illius lib. cōmentarijs eius interpres Gale. scripsit longa oratione, quàm in præsentia adscribere longum, & superpfluum esset: cum ibi, quæ de hac re scribuntur, legere poßis: neque opus hoc naturæ est demandandum, vt scilicet ipsa luxata ossa reponat, aut fracta componat, quia id natura præstare non potest, vt elegantißimè dicebat Gale. in lib. de const. art. med. vbi ostendit, quæ naturæ, & quæ Medico quandoque negentur. Quocirca exercitatus Medicus blandißimè ossa illa, si poßibile erit, componet, & in propria sede reponet, deinde stupa in aceto madefacta, & expressa, oui deinde albumine, bolo armena, & alijs stipticis pulueribus, & oleo rosaceo (vt dolor leuetur, & fluxi humores resoluantur) obducta, non solum partem in qua fractura est sed supra, & infra ipsam fracturā in latitudine sex digitorum membrum circumdabis, obligabisq;, vel si libet, pro medicamento hoc (nisi sanguinis obstiterit fluxus) linteolum amplum cærato humido Gal. illitum, quod humores compescit fluentes, & dolorē sedat, admouebis, nullumq; peniculum, vel paruum admodum in vulnus immittes, deinde totum membrum idonea fascia deligabis, non tamen arctißime fasciam adstrinxeris, vt in fracturis, in quibus vulnus

Fracta ossa, si fieri pōt, cōponēda sunt & luxata in sede propria reponenda.

Quod medicamētū post quam cōposita ossa fuerint, aut in propria sede collocata mēbro sit adhibendum.

Cæratum humidum Gal. ossiū fracturis & luxationibus accōmodatum.

nus non adest, fieri solet, nullumq; in fascijs ipsis facies foramen, quemadmodũ nonnulli ætatis nostræ Medici, vt dicemus, facere consueuerunt; præterea ferulæ, seu asserculi, vel canales, in quibus vulneratum membrum, contineatur, fabricentur, ferulisq; illis membrum (ea duntaxat parte excepta, in qua vulnus est, ne dolor refricetur) fulcies, & non arcta fasciatura, ne exacerbetur dolor, & ne mẽbrum mortificetur, & ne oßium callus prohibeatur, deligabis, semper animaduertendo, vt differentia fiat à fractura cum vulnere, ab ea, quæ cum vulnere non est, vt Gal. admonuit, quo dolore, quam fieri potest, minimo æger conficiatur, & pus per vulneris orificium expurgetur. In tali igitur figura collocetur membrum, vt vulnus in decliuiorem partem vergat absque dolore, vt commode excrementa purgentur: Sed in principio in situ accliui membrum sit, oportet, ne ad vulnus humorum fluxus feratur, atque in hac figura totum triduum continebis, absque vlla remotione, aut admotione medicamẽtorum, vt Hipp. & Gal. in fracturis cum vulnere faciendum censuerunt, & inter cætera studendum, vt affectum membrum in ea colloces figura, in qua dolore non afficiatur æger, vt Gal. censuit in lib. de his, quæ in med. fiunt, qui sic scribit, primus idonearũ figurationum scopus doloris vacatio esse videtur, Galeno suffragatur Hipp. 4. de art. figurationum autem læsorum membrorũ tres sunt scopi, vt loco citato refert Gal. quorum vnus accliuis, alter decliuis, tertius æqualis

In qua figura mẽbrum in quo fractura cũ uulnere fuerit sit collocãdum, tũ in qua figura primis diebus contineri debeat.

Figurationũ membrorum tres scopi.

lis seu rectus, quos in varijs affectibus variamus, vt 3. de fract. facit Gal. qui modo membrum accliue collocat, modo decliue, vt 4. de art. modo æqualiter seu media positura. Accliue collocatur membrum in principio fracturarum, vel defluxionum quemadmodum esse faciendum iussit Gale. ne facilè humores ad membrum fluant, aut vbi sanguinis fluxus formidatur, vt Gal. 4. de art. scripsit. Decliue collocatur membrum, quando in eo vlcus est humidum, neq; sanguinis fluxum, aut humorum, aut inflammationem timemus, & in decliui illa figuratione sinus expurgatur, vt 4. de art. Gal. æqualiter vero membrum collocatur, cum nihil horum suspicandum est, & perfecta sanitas speratur: sed in qua uis figura membrum colloces, si illi pellem aliquam substraueris, maxime profuerit, in qua pus colligatur, ne linteola, vt aduertit Gal. inficiantur: In his igitur figuris affectum membrum continebis, quoad nullum inflammationis immineat periculum, vt 3. de art. scripsit Gal. Nec mireris, quanuis dixerim, & locum, in quo vulnus est, & membrum totum, in quo affectio est, esse fasciandum, neque vllum orificium, à quo expurgetur vulnus esse relinquendum, admiratione te potius nostræ ætatis Medici, atq; ex antiquis nonnulli afficiant, qui contra Hip. & Gal. placita scripserunt, volueruntque membrum in quo est fractura cum vulnere, hinc, & inde esse fasciandum, fascia circa vulnus ipsum, vbi fractura est ad formam χ. literæ Græcæ deducta, relictoq; forami-

Accliue mẽbrũ quando collocetur.

In decliui figura quãdo membrũ reponatur.

Aequaliter quando mẽbrum componatur.

Pellis membro affecto substrata ꝓdest.

ne pro vulneris curatione: quod grauißimis authoribus, rationi experimentoque aduersatur, vt 11. meth. Gal. admonuit, quo loco eos vellicat, qui nulla facta euacuatione, plenitudine, vel quo ad vires, vel quo ad vasa existente, topica adhibent medicamenta, quæ, vt pars illa inflammatione vrgeatur, in causa sunt, sic enim scribit. Quippe hi cum ex his
„ quæ ipsimet faciunt phlegmonas semper excitent,
„ non animaduertunt, sed iisdem semper erroribus im
„ plicantur, veluti Hipp. iis accidere dixit, qui hinc,
„ & inde oßium fracturas cum vulnere deligabant,
„ etenim illi cum phlegmonas in vulnere crearent, nõ
„ tamen destiterunt, rati id adeo non ex deligatura,
„ sed alio quopiam errore incidisse. Hipp. quoque in lib. de fract. vbi de fracturis cum vulnere agit, huiusmodi Medicos vndiquaque fractum membrum cum vulnere nõ deligantes, damnat: qui propter illam fasciaturam humores ad vulnus confluere cogant, qui deinceps abscessus, & inflammationis causa essent: sed id ob suam illam fasciaturam accidit, quæ humores ad locum illum fascia non circundatum, qui ex vulnere, & ex fractura iam imbecillis est propellit, quæ incommoda, si vniuersum confractum membrum in quo vulnus est obligaretur, & totum triduum sine medicamentorum remotione, sic permitteretur, vitarentur: eo tamen tempore si æstiuum tempus fuerit, splenijs vino imbutis membrum fouebis, & vino quoque irrigabis. Si vero hybernum tempus fuerit, lanam quæ vinum nigrum ad-

Non deligãtes vniuersũ mẽbrum cũ fractura damnat Hippo.

adſtringens, & oleum combiberit, qua affecta pars foueatur, admouebis: repelluntur enim vino humores, & oleo dolor miteſcit. Poſt triduum cum eo tempore vulnus ſuppurari incipiat, peritus Medicus forpicibus optime ſecantibus faſciam ſupra vulnus aperiet, quā apertam, & perforatam ſic relinquet, caueat tamen dum faſciam illam forpicibus ſcindit, & perforat, vt vulneris orificium detegat, quo commode pus eggrediatur, ne cæteræ faſciæ partes relaxentur. iccirco, vt hoc deuites, faſciam in medio ſeccabis, idoneaque medicamenta, & vulneri contuſo accomoda deinde admouebis, vt antea dictum eſt, rurſusque faſciatura duntaxat retentiua (vt ita dicam) vulneris orificium conteges, & deligabis, quoniam tunc iam humores quieuerint, atq; hæc Hipp. eſt, & Gal. ſententia, à qua poſt quam diſcedere nolui, fœliciter ſemper curationes fracturarum cum vulnere ceſſere, ſecus tamen dum meos præceptores aliter facientes ſequi vellem obtingebat. Nec te moueat contuſum eſſe vulnus, & quod ita ſanari facilè faſciatura, & medicaminibus ac ſi ab incidente telo factum fuiſſet, non poterit, quoniam, vt loco adducto ſcribeb. Hipp. & in lib. de fract. calu. oſſa abſque contuſione, & colliſione non rumpi poſſunt, & tamen eo quo diximus modo ex eiuſdē ſenten. fracturæ cum vulneribus curantur: cæterum innumeros vſus faſciaturæ perpende, quos Hipp. in lib. de his quæ in med. fiunt, & in lib. de fract. ſcripſit, faſciatura ſiquidem non ſolum diſſoluta oſſa re

Quādo in faſcia foramē ſit faciēdum & quomodo

Abſque contuſiōe, & colliſione oſſa non rumpuntur.

tinet in sua sede, & luxata in proprio situ, verum etiam ab affecto membro humores repellit, roburq; mẽbro addit, ne ex relaxatione, & uulnere confluentes suscipiat humores, rursus qui fluxerunt homores collectique sunt discutit, & resoluit, quanuis extra uenas sanguis esset. Si igitur in uulneribus istis cum fractura ob Medicorũ inscitiã, ut factum sæpe fuisse animaduerti, prætermissa fuisset ligatura, fascia tu membrum eo quo dixi modo diuincies: attendendo semper animũ, num inflãmatione uulnus illud urgeatur, quod facilè fieri posset, si primis diebus neglecta illa fuisset fasciatura, nihilominus diligenter eo quo poteris modo cõminuta illa ossa repones ac ferulis membrũ munies, neq; ita arcte illud fascia obligabis, quemadmodum si die prima medicinam fecisses, deligasses, relinquẽdo in fasciatura orificium à quo vulnus expurgetur, atq; si fascia deuinctum membrum ad perfectam vsq; curationem relinques, nisi forte aliquod insigne superueniat symptoma, quod te remouere fasciam vrgeat: sed tamen fasciæ remotionem quantum in te est fuge: neque secundo membrum ita vt prius obligari posse confidas, quia si Hipp. rationi, & exprimentis credendum est, si antequam comminutum os callum contraxerit fascia remoueatur, & locus propter maximam relaxationem debilitatur, humorque qui in callum vertebatur, ex quouis motu minimo dissoluitur, hinc abscessus inflammationes, & dolores sequuntur quæ omnia vitanda sunt, quocirca ne naturam interturbes,

Membrum à quo semel ligaturas remoueris nõ ita ut antea fuerat ligatum, deinde obligabis

&

& eam ob opere distrahas, fascias nullo modo si fieri potest dimouebis. Insuper si os abscessurum esset, vel ipsius desquammatio expectaretur, aut si ossis frustulum per transuersum membrũ à globulo esset detrusum, & ob fasciæ compressionem, dolorem, vel puncturam vereris, laxius membrum obligabis, & si arcte deligatum fuisset, ligaturam remittes, vt ossium frustula illa exire valeant. Abscessurum os & quicquid præter naturam in vulnere est, siue ferri laminula, siue panni frustulum, siue quiduis aliud sit, istis notis dignosces, ex puris subtilioris copia maiori quam vulneri illi conuenire videatur, exeunte, vt 3. de fract. de osse abscessuro scribebat Gal. ex carne laxa molliq́ue in ipso vulnere apparente, quo tempore remissiori deligatura, vt diximus vteris, quod si sponte post multum tempus os istud abscessurum esset, tunc fasciam remittere non esset opus. quoniam postquam discussus resolutusq́; tumor fuerit, qui primis temporibus vulnera solet inuadere, sponte relaxabitur fascia, & remittetur, asserculos tamen illos quibus membrum prius fulseras, nisi post tẽpus in quo inflãmationis imminere solet periculũ, non amouebis, & licet horum asserculorum vsus ab Hipp. in lib. de fract. interdicatur, non simpliciter, sed lege aliqua in fracturis omnibus non esse adhibendas ferulas Hipp. sententia intelligenda est: proinde quemadmodum me alias sæpe facientem vidisti, primis temporibus membrum in quo fractura cum vulnere est ferulis fulcies, ne propter aliquem

Fascia nullo modo, si fieri potest, remouenda.

Quibus notis q̃ abscessura sunt dignoscentur.

Quando remissiori ligatura utendũ

Ferulæ quando remouendæ.

motum à loco proprio ossa cadant, aut membrum inflectatur, & ita inflexa ossa callum obducant: In nostris præterea fracturis, etiã perpendendum, non solum per transuersum ossa rumpi, sed in minutissimas, & tenuissimas partes: interdum quoque osśis substantia deperditur, quæ modo abscedit, modo à reliquis osśis partibus ad aliam partem defertur, ita vt quandoq; osśis pars desideretur, quapropter exilius redditur membrum, & in sede propria confractum, vel luxatum os obfirmari non potest: in fracturis autẽ illis in quibus ferulas prohibebat Hipp. nulla osśis pars desiderabatur. quare primis diebus ferulis fracturas istas communies. Sed si ferulas ob abscessum aliquem aut in vulnere aut circa vulnus natũ neglexeris, cum bis in die æstiuo tempore vulneri medicari, & membrum fascia obuoluere necesse sit, ne (quod oscitanter nonnulli faciunt) à lecto aut puluinari aliquo membrũ affectum moueas, quandoquidem ex motu illo non mediocres irritantur dolores, qui licet à Medico floccifiant, vitandi tamen pro viribus sunt, cum bis singulis diebus acciantur, quia, & abscessus, & inflammationis causa esse possunt. Certissima signa osśis abscessuri hæc sunt, si pus subtile, & copiosum magis quam vulneris magnitudini conueniat fluat, si vlceris labra cceant, neq; coalescant, si æger internum quendam motum in membro percipiat, & tunc febres conuulsionesq; sequi facile solent, neq; proinde vllo modo fasciaturas illas intermittes, dabis tamen operam, ne

In qbus fracturis ferulas prohi. Hipp.

Osśis abscessuri signa certissima.

ne dum membrum eleuas, dolorem facias, ſiue ita membrum ex contuſione ſit affectum, ſiue ex inciſione, ſiue vnum os, ſiue duo comminuta, & confracta ſint, & faſcias ſic aptabis, membrumq́; pertractabis. Primum medicamenta vulneri adhibebis, ſub membro deinde in quo vulnus eſt faſcias, vt expediet amplas gradatim, vt a, b, c, d, ſubijcies, tantæque longitudinis eſſe debent, vt membrum ſi opus ſit duplici modo deligare valeant, linteolum deinde ſubſternes, vel ſubtile corium, ne lectus aut lintea inficiantur, cum apto puluinari, ex lino vel panno confecto, vt aptius excrementa colligantur, remouerique poßint, & faſciarum capita, modo nodis coniunges, modo acu ſi videbitur conſues, vt in figuris patebit. Has deinde faſcias ſine moleſtia diebus ſequentibus exſolues, vel diſſues, cum vulneri mederi, & pus abſtergere volueris, ſine membri eleuatione, & dolore: hoc pacto nos vſq; ad perfectam membri curationem medicari ſolemus, ſæpeq́; ægrotantes, vt quieſcant adhortamur, ſi priſtinæ valetudini reſtitui cupiunt. Nec fidem illis præſtes, qui ita affectum membrum abſque faſciatura permitti poſſe dicunt, quot enim ex faſciatura ſequantur commoda iam ex Gal. didiciſti: puluinaria deinde à latere vulneris, vt res poſtulabit collocabis, quibus etiam membrum confirmabitur magis. Hunc ordinem ſi ſequutus fueris, vulnera quamplurima dubio procul, ab inflammationibus vindicabis, recteq́; curabis, & me vera declaraſſe percipies, alio-

Quid in fra-ctuñs cum uulnere ſit primum faciendum, & quid ſecundo &c.

rumque nugas, quæ reuera sine docti viri alicuius authoritate, sine ratione experimentoque prolatæ sunt, paruifacies. Aliud scitu, & animaduersione dignum non prætereamus, ossa, vel carne, vel cute denudata aliquo oleo nõ esse inungenda, illud enim, quanquam siccæ naturæ sit, oßibus tamen, vt docet experientia aduersatur, huiusq; rei ratio reddi potest, quia quanuis sicci temperamenti os sit, siccisque medicinis, vt 6. meth. scribit Gale. gaudeat, tamen cum porrosum sit, & oleum tenuium sit partium facillimè per poros illos in os penetrat, nec inde facilè egreditur, quare putredine corripitur hac ratione oßibus oleum aduersißimum est, vt alias dijs bene fauentibus in nostris cõmentarijs in cap. 90. 6. lib. Paul. in quo de caluariæ fracturis sermo habetur fusius dicemus, quo circa super detectum os sicca pones filamenta, quousque futuræ inflammationis nulla adsit suspicio: vulneris verò labijs tetrapharmacum, vel picatum medicamentum, quæ olei viscíditate carent admouebis, & si libet nostro etiam oleo vulneris labris tuto etiam adhibebis, in cæteris ea quæ iam docuimus omnia obseruabis, non neglectis his quæ à Medicis vniuersalia dicuntur præsertim in victus tenuis institutione, vt 4. de fractu. fuit Hipp. sententia, vbi affectos fractura cum vulnere, ita, vt qui in capite vulnus accepere esse tractandos asserit: Eorum sententiæ nec subscribas, qui alijs fracturis cum vulnere fortasse sic esse medendum dicunt: non autem ijs quæ ab istis tormentis bel-

Osſib⁹ oleũ aduersatur, & quare.

Super detectum os filamenta sicca ponenda.

Labijs uulneris q̃ medicamẽta adhibenda.

Qui uulnere cum fractura affecti sũt eo mõ, quo ij qui in capite uulnus accepere tractandi.

bellicis fiunt: quoniam ex Hipp. sententia, omnes fracturæ cum contusione sunt. similiter ergo, vt cæteræ fracturæ cũ vulnere sunt pertractandæ: quod si tibi molestum esset, eo quo diximus modo fasciam illam, qua obuolutum est membrum, in quo cum vulnere fractura est incidere: tuto etiam mẽbrum illud fascijs circundabis, modo illo quem Pau. lib. 5. cap. 109. de fract. cum vul. docuit, in fascia parua orificia relinquendo, pro vulneris curatione, illam quæ à lateribus vulneris deducendo ad figuram χ. Verum præter ea quæ à Paulo fuerunt declarata, postquam membrum cõmunineris, & illud fascia, vel hoc, vel antedicto modo obligaueris, puluillum ex stupa conceptum (tantæ magnitudinis craßitudinisq; , vt ora illa in fascia derelicta tegat) in aceto madefactum, & deinde expressum, & medicinis illis, de quibus paulo ante diximus, illitum, illi orificio relicto admouebis, quem fascia, quæ membrum ter poßit ambire, non nihil arcte deligabis, quam deinde post tres dies solam, cũ medicamentum adhibere vulneri opus fuerit, vt iã à nobis dictum fuit, remouebis. neque ob id ab Hipp. præceptis discedes: quoniam hoc etiam pacto vndiquaq; membrum vniuersum fractura cum vulnere affectum, circundatum, & cõmunitum erit, si diligenter quæ diximus omnia obseruantur. hæc eadem obseruabis si in vulnere illo globulus sit, quem educere non potueris: ferulis tamen leuioribus quàm si solum fractura sine vulnere esset, & sine globuli retentione, membrum ful-

Alter modus fasciandi mẽbrũ, in quo fractura cũ uulnere fit.

Leuiorib[9] ferulis mẽbrũ ĩ quo fractura cũ uulnere fit, si ĩtro globulus retineatur est fulciendum.

fulcies, modo nullum aliud adſit ſymptoma, vt dolor, gangræna, pruritus, inflãmatio, eryſipelas, exeſio, aut putrefactio, quæ ſæpe in iſtis vulneribus ſolet adeſſe, aut ſphacelus, aut œdema, aut ſcirrhus, ſi in iunctura affectus ſit, aut propè ipſam iũcturã, aut vlcus fluidũ aut ſordidũ, aut caro addita, aut ex vetuſtate calloſitas (ut ſic dicã) labiorũ, ut Gal. 4. met. declarabat: quibus omnibus ſymptomatibus niſi fuerit conſultum, ſiue ſola ſit fractura, ſiue cum vulnere, ſiue ſolum adſit vulnus, nunquam fieri poterit, vt vulnus ſanetur, vt citato loco dicebat Gale. & Hipp. in lib. de vulc. qui ſic ſcribit, ſi aliquod in vulnere adſit ſymptoma illud conſolidari nequit: quapropter ſymptomatibus ſumma cura occurrendum, cum quandoq; magis quam vulnera ipſa, ac cæteri affectus præternaturales vrgeant, vt 12. meth. ait Gal. totamq; ad ſe curationem vocent, vt idem 11. meth. ſcribit. Symptomatibus igitur prius proſpicies, quando, ſi adfuerint, vt ſanetur vulnus: eſt impoßibile, & ſi vrgeat neceßitas faſcias ipſas, quibus membrum iam deligatum fuerat, etiam diſſolues: Dolorem præterea ſimplices fractura ſequi, ex his quæ in lib. de fract. ſcribit Hipp. perſpicuum eſt, verum eius cauſa diligenter indaganda, nunquid ſcilicet ob os aliquod pungens, an ex mala membri figuratione, an ex vltra modum calidis medicinis, an ex humore ad locum affectum fluentem, qui partes extendendo continuum ſoluat, & malam inducat intemperiem, an à ſimili alia cauſa con tin-

Et Cel. lib. 5 cap. 26.

Vulnus cum ſymptomate nõ ſanari poteſt.

Sĩplices fracturas ſequitur dolor.

tingat. nisi enim morbi causam scieueris, ut præter naturalem remoueas affectum impoßibile est', vt dicebat Gal. in lib. de const. art. med. Si propter os pungens infestet dolor, tactu, & leui contrectatione, vel verbis ægrotantis dignosces, mitescetq; dolor huiusmodi fasciarum remotione, aut relaxatione, ferulisq; amotis, vel si illud os, si fieri poterit, extraxeris. Si ex medicinis contingat, exercitatus Medicus, ex carnis colore percipiet, easq; mutabit, & in membro contractam intemperiem remittet, & fascias laxabit. Si ex humorum defluxu, si nullum ex prædictis symptomatibus, neque signum aliquod futura prædicta significet symptomata, adsit, tumor & futuræ inflammationis signa apparere incipient, cui illis rationibus, & medicinis, de quibus paulo ante egimus, prospicies, curamq; totam ad ipsam inflammationem conuertes, & fasciam remittes. Si noxius pruritus accedat, ex sanici acrimonia cutim exedente id ab ægro percipies, & ex pustulis in cute apparentibus: membrum itaq; aqua perfundes, & lauabis temperata, vt saniem illam pruritum facientem eluas, quod faciendum Hipp. & Gal. censuerunt: nos etiam quandoq; aqua ipsa salsa membrum madefecimus, nec non linamentum ex vnguento aliquo succo plantaginis diluto, vel ex albo vnguento Pauli, vel Rhasis cũ camphora paramus, & illud penna exceptum, inter fasciam & membrum ponimus, aut partes membri illius pruritu affecti, vnguento populeonis, & similibus, quibus facilè pru-

Et in lib. de inæq. intẽp.

Dolor ex pũgente osse quõ cognoscatur, & remittatur..

Doloris notę ex fortib. medicinis.

Ex defluxu dolor quõ deprehendatur

Pruritus à quibus colligatur, & quibus medicinis sanetur.

pruritus remouetur illinimus, absq; fasciarũ remotione: si tamen pruritus huiusmodi non remoueretur, fasciam relaxabis, vt commodè mẽbrum inungas, & pruriginem arceas: sic etiam idoneis medicinis tumori alicui phlegmonoso aduenienti, & in abscessum prorumpenti prouidebis. Cæterum si in vulneribus sine ossium fracturis, vel cum fracturis, phlegmon superuenerit, vt fieri sæpe solet, vt 3. & 8. meth. scribit Gal. ne phlegmon adaugeatur, prohibere oportet: facilè autem prohibebis, vniuersalibus, & concoquentibus, vel si rursus vniuersalia ipsa ratione noui morbi suborti cum concoquentibus reiterabuntur, & repetentur. Sed si in parte alia quam in ea in qua vulnus, & fractura illa erat (vt fieri sæpe solet in plagis quas bombardici globuli faciunt) phlegmon suppuretur, suppuratorio aliquo cataplasmate facilè ad exituram (vt cum Arabibus loquar) deueniet: quę etiam si opus fuerit, lanceola potius quam falcato illo instrumento, quo nostrates Medici in secandis huiusmodi abscessibus, vti consueuerunt, secabis: quia acutum magis, subtilemq́ue aciem habet lanceola, partesq́ue dissecantur facilius, & per carnem sine ferè noxa, doloreq; transmittitur. Falcatum autem illud instrumentum, cum sit magis crassum, minus ad abscessus dissecandos, vtile est, multaq́; incommoda, quæ lanceola vitantur, affert. Hoc itaq; modo in abscessu collecta sanies effluet & expurgabitur. Quod si cutem nolles secare, medicamento aliquo eruptionem

Quibus modis phlegmoni fracturis superueniẽti occurri possit.

Phlegmoni alia in parte quàm ubi ẽ fractura orti quõ medendum.

Lanceola potius quàm falcato istrumẽto absces sus secanda.

nem

nem in cute faciente & abscessum adiuuante, vti posses, quale à Gal. in lib. de cõp. med. sec. gen. describitur. Primũ igitur vt abscessum aperias medicaminibus attrahendi & colligendi vim habentibus operam dabis, & ad id maxime accommodum esset basilicum vnguentum Mes. quod abscessus rumpit, materiam ad cutem attrahendo, si res hoc medicamento non cedit, ad alia medicamenta à Gal. & à Paul. descripta confugies, vt ad emplastrum ex radicibus narcisi, in mulsa coctis, cum radicibus iridis, vel ad emplastrum aliud, ex mollibus arundinum radicibus, cum melle, & similibus factum, aut ad aliquod scepticum medicamentũ in forma olei per artẽ chymicam destillati, aut ad aliud quod siccæ sit substantiæ, quod infra describemus. Verum nisi à medicaminibus huiusmodi aperiatur abscessus, ferro ut disseces melius est, minor siquidem fit dolor, neq; locus inflammatur, & cito sanies effluit. Naturæ tamen si permitterentur abscessus, sponte omnes rumperentur, propter saniem carnosas partes, cutemq; ipsam errodentem, & propter expulsiuam virtutẽ, quæ continue ad exteriora superfluitates expellit. Sed si intensus infestaret dolor, & periculũ impenderet, ne pars aliqua princeps, aut neruosa, aut venosa, aut arteriosa, exederetur, abscessum excidere cogeremur, vt cito sanies euacuaretur, neq; naturæ, prouincia hæc esset deleganda, propter vrgens periculum. Quin sæpe ante perfectam abscessus suppurationem, vt impendentia pericula vitemus, ipsi

& à Pau. lib. 4.

Cutem rumpentia medicamenta.

Sponte si naturæ permittũtur abscessus rũpũtur.

Quãdo coacti abscessus dissecemus.

Qũo ante perfectã suppurationem incidantur abscessus.

lan-

lanceolam adhibemus, vt si in articulo aliquo, vel in pectore, vel circa anum, vel in oculorum angulis, vel in iuncturis abscessus esset, ne ex puris acrimonia, & nitrositate corrodantur, & corrumpantur tendines, & affecti membri motus aliquis deperdatur, vt in lib. de motu musc. ostendit Gal. vel ad nobile aliquod membrum pus descendat: quod facilè contingeret, si in pectoris partibus abscessus esset, proinde ipsum excides, antequam pus cutem erodat, & ad interiorem thoracis partem penetret, & vomicam seu fistulam efficiat, vt Auic. docuit: hac etiam de causa abscessum circa anum ortum, ante suppurationem diuidimus, ne propter loci humiditatem vomica fiat, vt in lib. de fist. scribit Hipp. sic etiam abscessus in angulis oculorum ortis, vt vomica vitetur, vt ait Aet. diuiduntur: quapropter in his affectibus curandis, horum grauissimorum virorum, à quorum placitis nunquam nos discedimus, authoritatem non diffugies: ipsos deinde diuisos abscessus sic curabis, ac si suppurati, & aperti sponte fuissent, medicinis scilicet pus mouentibus. Principio igitur diebus primis tetrapharmacum, aut nostrum digestiuum lotum impones, vel digerens medicamentum, ex terebentina, & oui vitello confectum, admouebis, vel alia similia medicamenta à Gal. in lib. de compo. med. sec. gen. & 13. meth. descripta adhibebis. Si verò sinus esset, uel vlcus humidum linteolũ diaphœnicino vnguento in melino, uel anetino, vel omphacino oleo colliquato illitum ad-mo-

abscessus ani ante suppurationem secãtur, & qui in oculorum angulis oriũtur, & quare.

Secti abscessus quomodo curandi.

nouebis: quod etiam mirum in modum prodesset, quanuis adhuc suppuratus abscessus non esset, & in membro robur extaret, vt ait Gal. 4. de comp. med. sec. gen. posses quoque nonnunquam adstringente vino vlcus ipsum abluere, quod si hæc parum prodessent medicamenta, ad alia, locis suis à medicinæ authoribus descripta confugies, de quibus abũde Pau. & Gal. 2. ad Glauc. scripsere. In excidendis abscessibus à Pauli præceptis lib. 6. cap. de abscessibus descriptis non discedes, nec ab ijs, quæ à Gal. 4. de anatom. administ. & multis alijs locis tradita sunt, de quibus DEO fauente in nostris cõmentariolis in 6. lib. Pau. agemus. Gangræna quoque non solum fracturis, sed vulneratis membris, & exulceratis, aut alio morbo affectis accidere solet, verũ nos hoc loco solum de gangræna, quæ fracturis, & alijs partibus absq; vlcere accidit, agemus, quæ nihil aliud est, quàm principium mortificationis (vt ita dicã) membri, cui adhuc ademptus sensus non sit, sed hebetescat, vt Gal. 2. ad Glau. scribit, quæ quidem licet ob multas causas fieri poßit: eius tamen, vt plurimum præcipua causa est, vehemens inflammatio, cuius occasione propter sanguinem plurimũ in affecto loco impactum, & propter arterias ob loci angustiam se se dilatare nequeuntes membrum (nisi citißime præsto simus) emoritur. Gangrena igitur si medicinis non curatur aut remittatur, propter eius malitiam, & propter humorum multitudinem in affectum sæuiorem desinit, in membri scilicet extinctio-

Diaphœnicinum nõ suppuratis abscesfib⁹ etiã utile.

Gangrena quid sit.

Et in lib. de tumo. prꝑter nat. & Paul. lib. 4 & Aet. 4. tetra. sermo. 2.

Gangrenæ causæ.

Gangrena in quẽ affectũ desinere soleat.

ctionem, vel in sensus mẽbri illius hebetudinem. Sed hebetudo hæc gangrenæ nomen nõ meretur, nec ita debet nominari: Sed secundũ Arabes ascachileos, & secundum Latinos syderatio, cum scilicet membrum sensu destituatur, ac quasi stupescat, vt in paralesi fieri solet: differt tamen à paralesi syderatio non parum, quoniam hæc membri corruptionem sequitur, & à similitudine membri emortui sic nuncupata est à Gal. 4. de diff. resp. à Græcis σφάχελον vocatur, vt Pau. ait, & ut etiã à Gal. 7. de anat. adm. & 7. aph. 50. scribitur: vbi ostendit sphacelum, cutis, carnisq́; & neruorum esse corruptionem, quæ si ita sæuiat vt ossa etiam ipsa carie infestentur, esthiomenos nuncupatur, vel sphacelus, quoniam sic quandoq; capitur à Gal. 4. meth. & in lib. de tumo. præter naturam, verum nomen hoc esthiomenos, idem apud Arabes, & Græcos significat, vlcus nimirum depascens & exedens putrefaciendo, vt ait Gal. in lib. de tumo. præter nat. conueniunt igitur esthiomenos & sphacelos, quia exedit vterque, & depascit: quapropter gangrena medium quoddam erit, inter inflammationem & sphacelum seu esthiomenũ: non .n. in gangrena tantus est sensus, vt in inflammatione, nec ita sensu membrum caret, vt si sphacelo infestaretur, quæ tanto sæuior est, & peior inflãmatione, quanto syderatione leuior est inflammatio. Syderatio totius est membri substantiæ corruptio, quæ cum adest curari nullo modo potest, absq; membri amputatione: primis tamen diebus quando adhuc per-

Syderatio à paralesi, in quo differat

quid sit sphacelus Gal.

Et 2. ad Gla. & 14. meth.

Syderõ absque membri amputatiõe nõ curatur, nisi cum adhuc perfecta non est.

perfecta syderatio non est, sed gangrena, quæ ad syderationem tendit, vt Gal. 4. de fract. ait curationem admittit: curabitur igitur euacuato, quam fieri potest, sanguine plurimo, in affecto membro impacto, propter quem membrum corrumpitur. Tota itaq; cutis, multis, profundisque vulneribus, vna cum subiecta carne secanda est, vel frequentibus, & altis caprificationibus incidenda, absq; substantiæ exitio, membrum ad propriam figuram, & humorum symmetriam, vt in uera morborum curatione fieri solet, transferendo: Sed in omnium morborum curatione vt sæpe Gal. admonuit, ipsorum causa prius inuenienda, & abscindenda est, deinde ad ipsam quæ facta est ægritudinem, deueniendum, proinde gangrenæ causæ, quanuis variæ sint, & ab omnibus scribantur, sæpius tamen inflammationis sequitur magnitudinem, vt 4. de art. legitur: fit itaq; vt plurimum à sanguine copiosissimo, in aliqua parte collecto, siue propter dolorem fuerit attractus, siue sanguis ille propter vulnus in illam defluxerit partem, siue propter partis imbecillitatem fuerit susceptus, qui deinde cum euacuari, aut difflari non possit, corrumpitur, sic enim scribit Gale. in lib. de inæquali intemp. quippe quæ perspiratu carent celerius putrescunt, & calor ita ibi ferueſcens, calorem præter naturam accendit, qui postea natiuum extinguit calorem, perinde atq; maximus ignis exiguam flammam, & membrum comburi, & mortificari incipit, nutrimentoque membrum, & vitalibus

Nō perfecta sydera. quō curetur.

In morborū omniū curatione, causa morbi, prius inuenienda, & auferenda

& 2. ad Glau

Gāgrenæ cā frequens.

Sanguis collectus in parte aliqua, & qui difflari nō possit, putrescit facilè

ſpiritibus priuatur, & ita deinceps, cutem, carnem, neruos, & oſſa deniq; corrumpuntur, vniuerſumq́; membrum emoritur, idem in lib. de tum. præter nat. refert Gal. fieri quoq; poteſt ex membri magna refrigeratione, vt ijs ſæpe ſucceßit, qui per niuem iter facere, quibus etiam perniones accidunt, ideſt affectus illi qui à noſtratibus Bononienſibus buſanchie dicuntur, vel mal de la mula, deinceps membri illius mortificatio ſequitur, ſed in primis ſtupor fit, & hebes redditur ſenſus, propriusq́; membri mutatur color ob frigus ſpiritus vitales animales & naturales intercipiens, ex quo gangræna primum afficitur membrum, totum deinde emoritur, fitq́; ſyderatio. Atque frigus affectum huiuſmodi poſſe conciliare perſpicuum euadet, ſi ad longum frigidorum medicamentorum vſum adhibueris animum. quæ heriſypelatibus, & inflammationibus admota, adeo quod ad particulam influebat prohibent, & quod in parte ipſa continetur, diffletur, impediunt, vt ne ſpiritus quidem illuc deferantur, aut per halitum reſoluantur, hoc etiam fieri hyberno tempore cum niuibus terra contecta eſt, aduertere poteris, quẽadmodum eleganter Gal. 2. de compo. cauſ. mor. ſcripſit, vbi morbos vel ab aeris ambientis frigiditate, vel ex vicinitate rei frigidæ fieri ſcribit. Sciendum tamen quanuis, vt membrum corrumpatur, inflammatio cauſa ſit, tamen ad eam cauſam quæ impedit tranſpirationẽ reduci poſſe, ſiue prohibita hæc tranſpiratio à medicinis frigidis, ſiue à frigore, ſiue à mul-

Ex magna refrigeratione gangrena

multitudine collecti sanguinis causam habeat, & quia transpirationi variæ causæ possunt obstare, proinde curationis scopi mutari debent, neque mali quidā Medici imitandi, qui vni morbo, vno semper modo nulla distinctione, aut ratione causæ habita, quæ ipsum morbum fecerit, citraque delectum eorum, quæ ab ipsis, quos profitentur, authoribus docentur, medicari solent, & se bonos esse Medicos ob duos aut tres medicinæ canones, quos uix ītellectos memoriæ mandauerint putant, partem alteram medicinæ, chirurgiam, nempe ipsam omnino contemnendo, sed boni Medici, nec ne sint, aliorum esto iudicium. ego autem quomodo hoc nomine sint digni non planè intelligo, vna vix parte medicinæ intellecta, & reliquis, quibus ars ipsa perficitur, de quibus Gal. in lib. de fract. & Auicen. scribunt, neglectis. Sed vt ad rem redeamus, ab arcta supramodum ligatura fieri etiam gangræna potest, quæ meatus per quos deferuntur spiritus occludat, ita vt pars illa spiritibus destituta emori, & putrefieri cogatur, vt sæpenumero in fracturis, vel luxationibus obtigit, in quibus arcta nimis fasciatura obligatum membrum fuerit, vt 6. meth. ait Gal. vel ex maxima, & longa compreßione aliqua, in parte aliqua facta, vt longo tempore iacentibus in lecto obuenit, vel cū craßi humores in venis, vel arterijs, vel neruis contenti, spiritus quibus animantium vita tenetur intercipiunt, vt 4. primi scribit Auic. in fracturis, tamen & luxationibus ex hac causa rarißime fit gangræ-

Ex materia uenenosa gāgrena.

na, si eidem Auic. credimus. Fit etiam ex materia aliqua venenosa ad membrum aliquod delata, quod tu quoque anno M D LII. cum multis alijs medicinæ candidatis obseruasti, in iuuene illo, quem apud diuum Petronium veterem inuisimus, qui febre mala, & venenosa correptus, tandem materia illa ad dextrum crus delata, crus vniuersum sua malitia interfecit, & ad syderationem deduxit, nullo (quod admiratione dignum est) apparente, vel tumore, vel rubore, nulloque dolore præcepto. Sed solum quædā frigiditas ab ægro percipiebatur, quæ tandem digitorum pellem reddidit liuidam, in eaq; quasdam excitauit vesicas, & in summa totum crus interfecit, ex quo nos deinde crus ipsum vniuersum excidere (vt vidisti) coacti fuimus: Fit quoque

Ex arteriarū & uenarū sectione gāgre

gangræna ex arteriarum, & venarum, quæ spiritus, & alimentum ad membrum deferunt, sectione, cui ea quæ gangrænæ ex alijs causis ortæ admoueri curatio non potest: Fieri quoque gangræna potest

Ex medicamento mortifero, & uenenoso, uel ex ictu aīalis uenenati gāgre.

ex medicamento mortifero, ac corrumpendi facultate prædito, quale esset capitellum, quod vulgo ruptorium dicitur, vel aliud septicum eiusdem facultatis, vel ex aliquo medicamento venenoso calido, vel ob istum animantis venenati, qualis vipera est, de cuius morsus venenositate scribit Gale. in lib. de

Gāgrenæ ortæ à uenenosis medicinis & animalib. uenenatis signa.

Ther. ad Pisonem. Signa autem gangrænæ, ab huiusmodi mortiferis medicinis, & animantibus venenatis factæ, licet innotescant, ea tamen subscribam, primum magna sequitur inflammatio, & ab initio

tu-

tumor, & rubor perspicuus apparet, pulsatiles dolores percipiuntur, durities tactui, & sensui retinens deprehenditur, & in ægro caliditas comprehenditur, sensim deinde locus liuidior efficitur, & rubor inflammationis, dolorq; ille remouentur, torpor sentitur, & sensus immutatus videtur, vt 4. de art. ait Gal. Cæterum si specilli cuspide, vel acie nouaculæ pars pungatur vel dissecetur, obtusus quoq; in ea percipitur sensus, vnaq; effluit sanguis: si aũt ex tactu specilli, vel ex incisione nouaculæ pars non senserit, licet sanguis egrediatur, gãgræna amplius non est, sed syderatio, aut syderationis principiũ, vt iã ex Gal. & Aet. sentẽtia diximus, in qua etiã parte, licet quoq; alte specillum figas, aut eam nouacula excidas, nullo modo sentiet, vt grauissimi adducti scriptores censuere, siue in summa parte, siue in profunda fiat incisio, à qua deinde flauus humor subtilis fœtidus admodũ, & aquosus egredietur, & carnis color viuidus non erit, vt Cels. lib. 5. cap. vlti. scripsit. His perpensis rursus in præsenti curatione videndum, an gangræna sit facta ex suborta inflammatione, an ex ingentibus fasciarum compressionibus. Si ab inflammatione orta fuerit, ligatura ipsa dissoluenda, & ætate, tempore, & viribus consentientibus, sanguinem mittere expedit, & victus ratio (vt dictum est) instruenda: post hæc vt 8. & 14. meth. ait Gale. optimus Medicus (vt par est,) morbi tempora expendet, & nunquid morbus tanquam gangræna sit curandus, an tanquam sphacelus

& 7. apho. 50 & 2. ad Glau

Gangre. quã do amplius non est, sed syderatio.

& Gal. in lib de diff. mor.

Gãgrẽnę ab inflammatione factæ curatio.

Vna gangrena curatur si statim medicina ei fiat.

Quibus gangrena curatur.

Et Gal 4 meth. & 2. ad Glauco.

Post caprificationes gãgre. affectus locus quib⁹ lauandus sit & quæ apponenda emplastra

lus, seu syderatio, proprijs signis dictus videbit. Si vera gangræna fuerit, ei si quamprimũ medicinam feceris sanabitur, sin minus in syderationem (tanta morbi illius sæuitia & malitia est, vt adducti authores scripserunt) & corruptionem transibit: sanabitur itaque gangræna caprificationibus profundis, quas indocti Medici formidant, sanguinis fluxum verentes, & largam euacuationem, & quo maior est gangræna, maioribus indiget caprificationibus, & si turgidæ venæ in parte gangræna laborante fuerint, hæ protinus incidendæ, vt sanguinis copia in ipsis detenta statim euacuetur, vt Aetio placuit, siquidem vt plurimum ob sanguinis abundantiam, membrum, arteriasque comprimentem, grauantemque, ita vt ad caloris euentationem attolli nequeant, pars corporis mortificatur, quapropter vt suo munere fungãtur arteriæ, & ne naturalis suffocetur calor, moliẽda via est, qua calor euentetur, vt Paul. præcepit lib. 4. cap. 19. post hæc medicamenta putrescentibus membris conuenientia, apponenda, qualia sunt siccantia, vt inter alios authores Aet. admonuit, & inter cætera post caprificationes salsa aqua affectum locũ lauabis, vt crassior sanguis, & qui alioquin ibi concresceret, egrediatur, vel aceto cum sale, aut lixiuio, in quo lupini decocti fuerint, emplastrum deinde ex eruina farina si haberi potest, aut ex loleacea, vel hæc etiam si non adsit, ex fabacea farina cum oxymelite super dabis: per se oxymel quoq; conduceret, quippe hæc

me-

medicamenta,ichores,putredinesque abſumunt,& detergunt ſua ſiccitate,frigiditate autem quod nondum vitiatum eſt roborant, malam eam intemperiem remittendo, & putredinem arcendo: aut poſt ipſas caprificationes, & lotiones cæratum diaphœnicinum ita à Gal.1.de compo.med.ſec.gen. in hoc caſu laudatum affecto loco admouebis:vbi vero feruor ſubſederit, vulneris curationem non relinques (ſi illud in hoc affectu fuerit) vnctuoſa medicamenta omittendo, pro ut ſymptomata,quæ vulneri coniuncta fuerint, ſuadebunt, ut inferius uidebis, & meth. iſta, uera gangrænæ curatio perficitur, quam ad hanc uſq; diem,qui noua ſe ſcribere iactant ſcriptores, non docuerunt, quibus nihil aliud ſibi curæ eſt, quam ea quæ ab alijs ſcripta fuere in ſuas chartas ut transferant,impoſturam potius hominibus rudibus facientes,quam quod ex uſu ſit aliquid docentes,neq; (proh pudor) curationem ab alia curatione diſtinguunt, ut in capitibus quæ de gangræna ſcripſere patet: in quibus pro gangrænæ curatione, medicamenta exedentia deſcribunt, quæ non affectioni huic,ſed ſyderationi ſeu ſphacelo per accidẽs conueniunt: uera enim curatio eſt,quando affectum Vera curatio quādo fit.
membrum uel in figura, uel in temperie,ad naturalem ſtatum reducitur abſque ulla amputatione, & alicuius partis ablatione, ut in libro de plen. dicebat Gal. non autem quando putrida pars aliqua exciditur, & locus deinde ſanatur, quia, & ſi ſequitur ſanitas, non tamen uera ſanitas nuncupari de-

bet, sed per accidens, vt ex adducto Gal. loco colligere possumus: Istis remedijs sæpius nos in fracturis incipientes gangrænas sanauimus, & vltra putredinem serpere prohibuimus. Atq; si ex nimis arcta fasciatura membrum interfici inciperet, idem esset faciendum, & fasciatura remouenda, deinde vt dictum est sanguinem mittes, quanuis si in sanguine nullum adsit vitium, & in membro duntaxat sit constipatio, quæ spirituum descensum, ad membrum pro illius vita, & alimento prohibet, quibus tamen spiritibus succurrere etiam possumus lotione aquæ calidæ salsæ, leui facta caprificatione, non tantum, vt sanguis in membro peccans euacuetur, quantum, vt inflammatio, quæ gangrænam sequitur remittatur, & ad naturale temperamentũ membrum reducatur. Siquidem ista attractione, atque caprificatione, calor spiritusque vna cum sanguine ad membrum attrahuntur, & locus aliquo modo euacuatur, deinde ex his quæ diximus medicamentum aliquod superdabis, & tibi fœliciter res cedet, dummodo morbi causa (vt diximus) prius à te fuerit recte explorata, & cognita: Si autem gangræna ex frigore duxerit originem (quanuis de hac re locus iste sermonem nõ postularet, tamen maioris doctrinæ gratia, id etiam obiter dicemus) membrum prius decocto aliquo calido lauandum, & fouendum est, vt naporum, lupinorum, florum anethi, & similium decocto, quod illarum partium obstructiones, spirituum descensum prohibentes, remo-

Gãgrenę ex arcta fasciatura curatio

Gãgrenæ ex frigore curatio.

mo-

moueat: Omni igitur cura, ſpirituũ viæ aperiantur, vel decoctis ſupradictis, vel caprificationibus leuibus in ſumma mẽbrorũ parte factis, vt innatus calor euentetur. Neq; indoctos imiteris Medicos, qui eodem ſemper medicamento, gangrenæ ex quauis cauſa factæ, medentur, incognita morbi eſſentia, & cauſa, & ſtultè gangrænæ, ſyderationis remedia adhibent, & ſyderationi grangrænæ medicinas faciunt: ſic etiam præpoſtere depaſcentia curant vlcera, ex eadem cauſa, ex qua gangræna, originem habere exiſtimantes, quorum omnes in præſentia errores recenſere, longum eſſet. verum ſi diligenter quæ à Gal. ſcribuntur videris, nunquam decipieris. Si autem corruptionis membri, medicamentum frigidum admotum loco affecto inflammatione, aut eriſypelate cauſa fuerit, cum nigredo apparuerit, non amplius eryſipelate, vel phlegmone, locum illum laborare dici poteſt, vt elegantiſſime dixit Gal. 1. de comp. med. ſecun. gen. cap. de diaphœnicini natura, quo tempore aqua calida lauandus eſt locus, & fouendus, caprificandusq;, deinde diaphœnicinum, in oleo veteri colliquatum, admouendum, vt citato loco dicebat Gal. tranſeundumq; ad curationem, quam pro gangræna, ob magnam inflammationem facta, deſcripſimus: Quod ſi ex craſſis humoribus (quanuis rariſſime fiat) in membro fiat corruptio eos pluribus modis poteris attenuare, vel oxymel exhibendo, vel decoctum hyſſopi, pulegij, tymbræ, origani, & ſimiliũ, vt 10. meth. faciebat Gal. quos, poſt-

Membri propter frigidũ medicamentũ corruptiõ curatio.

Corruptiõis ex craſſis humoribus cura.

postquam attenuati fuerint, catharctico aliquo medicamento educes, vt causam remoueas: vt verò viæ in affecto membro humoribus crassis obstructæ aperiantur magis, emplastra ex farinis calidis, & oxymelite confectis, appones, & si morbus exiget, partem ipsam caprificabis. Si ex attritione, vel cõpressione, vel venarum, vel arteriarum incisione, vel laniatione, contingat gangræna, tunc huius gangrænæ curationis spes non extabit, præsertim si vasa omnia, membrum nutrientia dissecta fuerint, & nulla adsit spes nutritionis illius membri, nec membrum illud, vllo modo, quin totum corrumpatur, & syderetur, prohibere poteris. Sed tamen, ne partes omnes proximæ membri illius corrumpantur, cum cæsa illa esse omnino dissecta videris, antequam aliqua adhibeas medicamenta, totum membrum excides: ablata enim iam via est, per quam spiritus, & alimentum pro vita, & nutritione deferantur: Cognosces autem venas illas, & arterias excisas esse, ex anatome, tum ex pellis quadam corrugatione, quæ infra vasa ipsa excisa fieri solet, membri quoq; extremi sentitur frigiditas: cuius similem, cæteras corporis partes manibus contrectando, non percipies: Quapropter statim membrum excides, idque facies, antequam virtus imbecilla reddatur, vt nos experti fuimus, in nobili quodam ciue Papiensi, qui cum in extremitate cubiti, inter iuncturam manus, in carpi interna parte, vulnus accepisset, cum arteriarum manus nutrientium incisione, eius manum,

Gãgrenæ ex attritiõe uel compressione, uel ex uenarum, arteriarũque incisione cura

Incisas uenas, aut arterias esse quibus dignosci possit.

vt ipsum ab interitu seruarem, amputandam iudicaui, licet tunc nullum adhuc syderationis signum, in manu appareret: futurum tamen sphacelum, sumpta ab arteriarum, & venarum incisione, indicatione iudicaueram, contra multorum Medicorum, qui ad ipsius ægroti curationem accersiti fuerant, sententiam; qui antequã manus excideretur, prius emplastra illa ex oxymelite, cum farinis iridis, deinde ignem experiri volebãt. quorum ego sententiæ aduersabar, & ea esse optima medicamẽta pro gangrænæ curatione factæ, vel ex inflãmatione, vel ex humorum quamplurium collectione: non autem ex venarum, aut arteriarũ incisione dicebam: ipsi autem in sua sententia pertinaciter perstabant, mihiq; iuueni Medico, vera tamen dicenti, refragabantur. quare ob gregem illum Medicorũ, illius manus abscisio in sequentem diem delata fuit: ea autem die, tum quia exactius rem perpenderant, tum quia futuram corruptionem timebant, tum quia pericula futura ægroti affinibus prædixeram, eos tandem, tanquam coactos, in meam adduxi sententiam, & vt manus amputaretur, quo brachium a putrefactione vindicaretur, assensere: quocirca, quasi iam mihi omnino Medicos illos assensuros esse non dubitassem, instrumenta expedita clam deprompsi, illicoque manum excidi ægroto persuadendo, me arteriam quandam aut venam, quo sanguinis fluxum, compescerem, esse illaqueaturum, nec ipse ad tertium usque diem, sibi excisam fuisse manum, resciuit.

uit. dabam ſiquidem operam, ne dum mederer, vulnus inſpiceret, & poſtquam medicamenta admoueram, in cubiti extremitate, manicam ſtupa plenam, & linteolis contectam, ita aptabam, vt manũ omnino referret. Hoc etiam modo tibias excidimus, in quibus ſub genu venæ, & arteriæ crus nutrientes diſſectæ fuerant: ſtatim enim crus totum amputaui, caprificationibus, emplaſtriſq; iſtis, tanquam inutilibus omißis. Si verò à ſeptico medicamento facta fuerit gangræna, remouenda primum illa ſunt medicamẽta, & intemperies inducta, alterantibus medicinis eſt corrigenda: Si ex morſu animalis fuerit, medicamenta, quæ virus illud à forma ſpecifica reſpiciant, & quæ intemperiem illam calidam, poſſint mutare, adhibenda, & demorſus locus caprificandus, ſanguisque in eo contentus, euacuandus. Nec extra rem, affecto loco cucurbitulas applicare fuerit, vt impactum in membro virus, euacuetur, & retrahatur, ne ad principalia mẽbra deferatur, totum deinde membrum, licet tumefactum ſit, emplaſtro obducendum, cum terra cimolia, vel terra cinerea, quam iſti cretam vocant, in aceto diſſoluta, & ſucco ſemperuiui, vel lactucæ, quod medicamentum, quanuis repellens videatur, ictibus tamen viperæ, & cuiuſuis animalis venenati, ſua frigiditate aduerſatur, cũ venenati animantis morſus calidus ſit ſi Gal. & Cel. credendum eſt. præterea ratione terræ, à qua animalia virus contrahunt, maxime ſalubre hoc eſt medicamentum, quanuis maximus

Gangrenæ à ſeptico medicamẽto factæ cura.

Gãgrenæ ex morſu uenenati animantis curatio.

Venenati animalis morſus calidus.

mus tumor appareat, vt nos ſæpe experientia docuit. Si verò propter ipſum virus, vel propter venenatam materiam critice ad membrum delatam, in ſyderationẽ deſierit, id cognoſces præcedentis morbi eſſentia, & natura bene explorata, optimeq́; perpenſa, hoc pacto facilè cauſam, quæ ſyderationem fecerit, cognoſces: difficile tamen erit huic ſyderationi, vel ſphacelo, ſalutare remedium adinuenire: etiam ob medicamenta minime valida admota, aut non oportuno tempore adhibita, vel prætermiſſa, vel ob morbi malitiam, primæ ſpeciei poſſet ſyderatio euenire cutem, carnem, & ſimiles partes alias, duntaxat corrumpendo, quam aſchachileon Arabes vocant: quæ etiam fieri poſſet, vel propter vlcera prauam ſaniem emittentia, qua madefacta caro corrumpitur, vt Gal. 2. de fract. ait, vel etiam propter maximam inflammationem: nullo etiam vlcere exiſtente, vt iam diximus. proinde ſi ex ingenti inflammatione fuerit talis ſyderatio, primum cognoſces, quia in membro illo nullum erit vlcus, tum ex ipſis caprificationibus abſq; dolore, & ſenſu factis, tum ex perforatione ſpecilli abſq; ægrotantis læſione, tum ex nigredine in particula contracta, tum ex partis molitie, tum ex ſanguine non defluente, tũ ex malo carnis colore, tum ex ichoribus fœtidis, ab ipſis caprificationibus effluentibus. Si verò ex vlcere, ex quo malignæ ſordes fluant facta ſit, dijudicabis ex fœtore ſæuiſsimo, qui à partibus illis exhalatur, ex loci denigratione, ex ichorum profluuio:

Gãgrenæ ex materia uenenoſa critice ad mẽbrũ delatę cognitio, & curatio.

Ob medicamenta oportuno tempore nõ admota, uel nõ ualida ſyderatio.

Notæ gãgrenę ex inflammatione.

Gãgrenæ factæ propter malignas ſordes ab ulcere defluẽtes notæ.

Si

Si nõ extiterit vlcus, post repetitas caprificationes, ad valentißima remedia confugiendum, cum vt talis remoueatur affectio, nullo modo fieri poßit, nec æger viuere, aut curari, nisi parte illa membri corrupta, exiccata, & ablata, vt scripsit Gal. 7. aph. 50. & hoc quam citißimè faciendum, quoniam partes corruptis partibus proximæ, velociter corrumpuntur, vt 2. ad Glau. dixit Gal. & ita esse faciendum admonuit Pau. lib. 4. cap. 19. quod commode fiet, vt Cel. inquit lib. 5. cap. vl. incisione, & medicamento aliquo: Sed elegantius Gal. 14. meth. & 6. de comp. med. sec. gen. scribit, vbi communem insanibilium morborum scopum docet, dicens: Insanabiles partes à corpore esse amouendas, quæ ferro exciduntur, interdum igne, nõnunquã adurentibus medicinis, verũ Gal. per insanabiles illos morbos, intelligit morbos factos ab atra bile, quibus nullo modo prosunt medicinæ, vt cancer confirmatus, & huiusmodi: Verum priusquam ad validiora deueniamus remedia, nunquid hæc quæ dicemus medicamenta conducant, experiemur: Aegyptiacum igitur primum admouebimus, quod constat ex ærugine æris, alumine rochæ, melle crudo, & aceto æquis partibus admixtis, & coctis, & hoc vnguentũ, vel solum adhiberi potest, vel vt exiccet magis, illi posses addere lupinorum decoctum, in lixiuio factum: cui etiam posses addere eam salis cõmunis quantitatem, quæ manu posset comprehendi; & tale medicamentum, putrefactionem arcet, & putrefactam,

& 2. ad Glau.

& in lib. de tumo. preter natu. & Cel. lib 7. cap. ul. & Auic. 3 4. 4. & 4. cap. de putred.

Quæ prius medicinæ tẽtandæ ante maiora remedia.

& corruptam partem à ſana ſeparat, & abſcedere cogit, & eſcharam inducit, & ſanam conſeruat partem, ac tuetur, vt 4.4. ait Auic. vnguento hoc licinia ex filamentis conſepta illiniantur, quibus vlcus quoad caro corrupta remota fuerit, impleatur. cognoſces autem remotam eſſe, cum bonam carnem in vlcere apparentem videris, ad pus laudabile, & fœtore carens, & firmam, ſolidamq; carnem naſcentem: quod ſi medicamenti huius efficaciorem vim deſiderares, prædictis adijce ſublimatum, & ſingulis decem vncijs prædicti vnguenti in fine coctionis, adde drachmã vnam argenti puri, putiq; ſubtiliſſimè leuigati: Et ſi morbus adhuc non cedet, tritos optimè aliquos paſtillos Polydæ, aut Paſionis adde: probatur etiam calchanthum combuſtum putrefactæ parti impoſitum, & arſenicum, quod vocant ſublimatum, vel ſolum, vel in vino diſſolutum, aut linamento aliquo exceptum, & inter ſanam, & affectam partẽ poſitum: ſiſtit.n. hoc medicamentum conſeſtim morbum, cum dolore minimo, & ſi opus ſit, vt melius medicamẽti vis penetret, ſpecillo corruptam carnẽ à ſana ſeparabis: In horum medicamentorum vſu, vt tutius res agatur, corporis ægrotantis temperatura (vt ſupra aliàs diximus) eſt diligẽter conſideranda, nam vt Gal. 2. ad Glauc. teſtatur, ruſtici corpus, quod natura durum eſt, validiſſima ferre remedia poteſt: mulieres, infantes, vel pueri, quia molle habent corpus, leuiores poſcunt medicinas: virile etiam corpus album, molle balneis aſſuctum, &

Corruptam carnem remotam eſſe quibus cognoſcatur.

In fortiorũ medicamentorum uſu ægroti temperamentũ cõſiderandũ & partis affectæ natura.

inexercitatum: leuia etiam exposcit medicamenta. Partis præterea affectæ natura est consideranda: nunquid neruosa, carnosaúe sit, & nunquid facilè, an difficilè putrescat. siquidem neruosa pars, quia maxime sensibilis est, fortia remedia non feret: præterea carnosæ, & humidæ partes putrescunt facilius, quocirca citißimè illis non leuia medicamenta sunt apponenda, quale Aegyptiacum esset, & lupinorum decocto, in lixiuio facto partes illæ fouendæ: Sed quando medicamenta hæc admouentur, defensiuum parti sanæ, quæ corruptæ est proxima, applicare mirum in modum conducet, quo facto eschararæ casus procurandus, aut tetrapharmaco medicamento, vt Gal. 2. ad Glauc. scribit, vel alio simili vnguento, quod si alicui in appositione tetrapharmaci, & similium, viderer mihi met non constare, cum dixerim humida, & concoquentia, gangrænæ, & syderationi nullo modo conuenire, sed exiccantia. Responderē nunc amplius nec gangrænam, nec syderationem esse, quoniam iam extinctæ partes sunt, nec ratione gangrænæ aut syderationis admouentur, sed alterius symptomatis gratia, vel vt crusta cadat: post cuius casum; si adhuc iuflāmatio adsit: quam etiam adesse credendum est, ex tot calidorum vnguentorum appositione, vnguento pompholigis, quo nullum aliud præstantius inflammationi illi, atq; intemperiei calidæ, & siccæ, quæ præcipua corruptionis erat causa, occurres, quemadmodum nos sæpe fecimus. nec post ablationem causticorum medi-

Inflāmationi post casū eschaiæ relictæ, quibus occurres.

camentorum calida adhibenda ſunt medicamenta, ſed frigida propter adductas rationes, & vt nos docuit experientia: quia ſæpe ex calidorum medicamentorum impoſitione, intendi corruptionem videbis, ex iſtis enim inflammatio augetur, & aduſtio deinde ſit, quapropter meth. à nobis tradita procedendũ eſt, niſi gangræna, & corruptio ipſa cauſam traxerint à ſanie, in particula aliqua contentã, in magnis abſceßibus, quæ ſua nitroſitate, & acrimonia partem mortificet, quæ ſi educeretur, nec gangrænam, nec corruptionem faceret, & ſponte corrupta pars à ſana ſepararetur: Verum ſi ſæuiret morbus adhuc, propter maximam humoris corrumpentis malitiam, ad ferrum confugere cogereris, & ſic putrefactam carnem, à ſana ſeparatam nouacula excideres, vel forpicibus emortuam illam carnem, ſolum ad viuam vſque ſecares, vt facilius medicamenta ipſa vim ſuam exercere, & ſemiputridam partem exiccare poſſent, vt Gale. 2. ad Glauc. & Paul. ſcripſerunt: Poſt exciſionem eſcharam inducens medicamentum ſuperpones, qualis eſſet calcitis ſimplex, vel calchanthum, quod apud nos facilius reperitur, & melius feceris ſi efflorescentiam illam albam, quæ ſupra calchanthum noſtrum eſt, impoſueris, quæ quidem calcitidi magis aßimilatur, quam interior calchanthi pars, vel ſandaracam Græcorum, quæ pars eſt auri pigmenti, à natura magis elaborati, aut ipſum aurum pigmẽtum, aut æris æruginem, & ſimilia, vt argentum etiam ſublimatum,

Poſt cauſticorũ medicamẽtorum ablationẽ calida medicamenta non ſunt admouenda.

Et Bucaſ. capite 189. & Celſ. lib. 7. cap. ul.

Eſcharam inducentia medicamenta.

tum, quæ omnia si comburerentur, eorum obtunderetur acrimonia, & magis id fieret, si deinde acerrimo aceto abluerentur, vt in præparatione calcitidis faciendum esse admonet Gal. in lib. de compo. med. sec. gen. & ex compositis medicinis, proderunt antiquorum iam dicti pastilli, nec inter cætera medicamenta sine dolore exedentia, præcipitati puluis vltimũ obtineret locum, nec orbiculi de minio Ioannis de Vigo essent etiam negligendi: Vbi igitur medicamenta hæc imposueris, linteolum frigido aliquo medicamento imbutum, vt inflammatio prohibeatur superdabis, vt 3. de comp. med. secun. gen. docet Gal. Istis igitur morbis hoc pacto medicinas facies, & modo mitia, modo fortiora, pro vt magis, minusúe putrefactum fuerit membrum admouebis. Si leuioribus medicinis opus fuerit, præcipitati pulueren accipies, quem si conferre non videris, ad fortiora confugies, vt aliàs dictum est, & tuto poteris calchanthum cum Aegyptiaco admouere, aut antiquorum pastillos, aut nostram aquam, desuper deinde ponendo filamenta Aegyptiaco vnguento illita, modo recto iudicio id facias, quod, nec scriptis, nec verbis exprimi, aut doceri potest: Aduertendum tamen est in horum medicamentorum impositione, vt ante optime purgatum corpus sit, quia si impurgatum corpus esset, phlegmon posset acciri ut 4. met. dixit Gal. propterea quod acrium medicamentorum proprium est, humores ab vniuerso corpore ad affectum locum trahere: qui ita facilè remoueri non pos-

Et in lib. de simpl medi. fa. & 4. meth

Acria medicamenta humores attrahunt.

possunt ut 5. meth. dixit Gal. in fine, vbi de malignis vlceribus agit. & 3. de composi. med. sec. gen. & in lib. de sanguinis miss. vbi cuiusdā patientis scabiem palpebrarum meminit, cui acria admouere medicamenta statuerat, tamen propter corporis plenitudinem, hoc facere ausus non fuit, ante corporis purgationem, quod etiam faciendum admonet Auic. 4. 4. cap. de vul. putrid. & si ob morbi sæuitiem, ad medicamenta hæc fortiora confugere coactus fueris, antequam purgans pharmacum exhibeas, humorum coctionem expectare non curabis, quoniam humores corrupti, prauique coctionem non admittunt, vt Galeni fuit sententia. præterea ob morbi malitiam, non expectata humorum coctione purgans medicamentū est dandū, vt ipse Gal. 10. meth. illi exhibuit, qui tumorē linguæ patiebatur cui fortia catapotia exhibuit: quapropter illico catharctico aliquo medicamēto corpus purgabis, nisi forte in ægroto parua fuerit humorū malitia, vel non magnus fuerit morbus: posses enim tunc admouere hæc medicamenta, ante corporis purgationem, vt ostendit Gale. 1. de compo. med. sec. gen. posses etiam hoc facere, si corpus plethoricum non esse, vt 11. meth. scripsit Gal. quare si parua fuerit humorum malitia, & vlcus paruum debiliora admouebis medicamenta, absque noua alia purgatione, & tale medicamentum posses admouere, æruginis æris scrup. i. tutiæ præparatæ drach. i. minij drach. i. misceantur, & fiat pulvis subtilißimus: lauabis etiam vlcus aqua aluminosa,

Corrupti humores coctionē non admittunt.

Quādo ante corporis purgationem acria admoueri possint medicamēta

& 3 de uulg. morb. 62.

Medicamēti modice artis descriptio quæ putredini resistit.

nosa, quæ supra modum vlceribus malignis prodest: aqua etiam forti, vbi magna putredo fuerit vti poteris, quæ tantæ virtutis est, vt statim carnes molles ac semiputres, paucißimo cum dolore vel saltem breuißimum tempus infestante, exiccet, operatur enim quam celerrimè, vt sæpius vidisti, & quam citißimè actuatur, & eius acredo ab humiditate putridi vlceris, vel corruptæ carnis remittitur: mecumq; senties aquam hanc præstantißimam esse, in corruptionibus istis, & maxime salutarem, præsertim vbi contusa caro, & corrupta à sana non separatur, sed sanam illi proximã inficit, & corrumpit, vt in vitiato pomo fieri solere animaduertimus, in quo pars corrupta pomũ totũ succesßiuè (vt ita dicam) corrumpit: aqua proinde ista statim malitia, & corruptio illa extinguetur: si itaque aqua hac vti volueris, goßipione, vel lini filamentis, specilli cuspidem inuolues, aquamque illam filamentis illis, vel bombice sic excipies, putrem deinde carnem contin ges, & manum aliquantisper continebis, vt facilius actuetur, atque hoc pacto madefactum vulnus filis siccis replebis, & refrigerans aliquod vnguentum, vt præternaturalis calor quo affectum vlcus est, & ex acribus medicamentis contracta intẽperies remittatur, impones, quale illud esset, quod ouorum albumina optime concussa capit numero tria, boli armenæ vncias duas, oxymellis simp. vncias duas, quo lintcolum illines, & vulneri, & proximis vulneri partibus admouebis, & bis, terúe, prout morbi magni-

Qũo aqua forti utendũ & quid post quam aqua hac ulcus fuerit madefactum, sit faciendum.

gnitudo postulabit, sic affectæ parti medeberis, donec corruptam carnem separari, & morbi vim remitti cognoscas, post hæc medicinas quæ inductam escharam remouere possint, admouebis, quale esset vnguentum pompholigis, & præcæteris quotiescunque ad ægrum accesseris, vlcus aqua plantaginis, vel calibeata, in qua rosæ, cum hordeo, camphora, & alumine rochæ decoctæ fuerint, lauabis: in qua aqua si tendo aliquis sit detectus, puluis huiusmodi infundatur, qui partem vnam aloes hepaticæ, & cadmiæ præparatæ, (quam tutiam, vel pompholigem appellant) partẽ mediam capit. Exedens aqua illa, & corruptam carnem tollens, sic paratur. Sume calchanthi libr. duas, aluminis rochæ, (quod liquidum volunt nonnulli) libr. vnam, salis nitri libram mediam, simul calchanthum, & alumen trita misceantur, & in vase terreo ponantur, & igni admoueantur, non tamen vsque ad rubificationem, sed tantum, vt partes tenues per halitum resoluantur, & ab ignis vi exiccẽtur. postea addito nitro in vas, quod botiam dicunt, recipiantur omnia, luto sapientiæ inuolutum, & contectum, cũ capello (vt aiunt) & vase, quod stillas recipiat, optime etiam omnibus orificijs, & partibus, vbi vasa hæc committuntur, & coniunguntur luto constipatis, & ad ignẽ secundi gradus, hoc est per cineres, secundum artem chymicam sublimentur, & destillentur: destillatam deinde aquam, in vase vitreo optime clauso, & obturato ad vsum seruabis: verum in principio ignis il-

Medicamentũ, intemperiem ex usu medicamentorum acriũ contractam, remittens.

Vlcus quib⁹ aquis lauandum, & qui pulueres in aqua inijciẽdi si nudatus tẽdo fuerit.

Quibus illa aqua exedẽs & fortis prę paratur.

Qualis ignis esse debeat.

le secundi gradus sit mediocris, qui gradatim augeatur, prout eorum, quæ in botia continentur fit resolutio, & aqua ista vti poteris, si calchanthi oleum, aut sulphuris defuerit, vti etiam poteris aqua tartari, quæ cæteris leuior est, & hæc in principio vteris, cum semper à leuioribus sit inchoandum. At si morbi vis sit talis, vt vinci difficile queat, & vlterius malum serpat, post partis corruptæ incisionem, candenti ferro ulcus inures, ut dixit Aet. 2. tetra. ser. 4. & id facere præstiterit magis, quã si aliquod quod potentia cauterio afficiat, admoueris, ut Buca. placuit. actuale .n. (ut isti dicunt) cauterium, parti robur addit, & malitiam citißimè aufert, & paruo dolore afficit, nec quemadmodum potentiale (ut sic loquar) malam relinquit intemperiem, & ut semel dicam nullum remedium præstantius ipso igne est, modo Gal. præcepta 14. meth. obseruentur, ut scilicet operatio citißime fiat sine dolore si poßibile est, uel saltem cum dolore paucißimo, & tuto. Sed quod medicamentum partis corruptionẽ aliquã, tutius, & citius, & cũ minore dolore remouebit, quã candens ferrum? quapropter post putrefactæ carnis sectionem, locum tantisper ferro ignito adures, dum mollis illa caro, durior, solidiorq; effecta fuerit, caue tamen ne plusquam par sit, partem illam inuras, sed solum quoad caro illa putrefacta, perfecte exiccata sit, perurendum ulcus est: quando exiccata fuerit caro illa, tactu id cognosces: post hæc dolorẽ remittentia medicamenta appones, qualis esset por-

Candẽti ferro an pharmaco quod potẽtia cauterio afficiat in ulceribus putridis sit potius utendum. & Haly. abb. 9. pract. Actualis cauterij cõmoda.

Quãdiu perurendum sit putridum ulcus.

porri succus, quem Gal. 2. ad Glauc. laudat, in cuius sententiam omnes etiam Græci iuere, uel (ut nos solemus) oui albumen cum aceto, & aqua rosacea concussum subinde admouebis, eschara deinde ut cadat, operam dabis, uel butiro, uel emplastro ex triticea farina, aut hordeacea, cum hydrelæo, aut tetrapharmaco unguento, quo etiam Gal. utebatur: Tandem si adhuc putrefactio aliqua relicta fuerit, eam aliquo ex medicaminibus dictis auferes: Nos tamen frequentissimè ingentes corruptiones, his de quibus paulo ante egimus medicinis remouimus, nostra præsertim illa aqua, absque ferro aliquo ignito, utimurq; sæpius hoc remedio, quia nimis ab ægrotantibus ignis formidatur, semper tamen summam diligentiam adhibeas oportet, ut corruptionis causam remoueas, quod consequeris, si purgantibus medicinis, sæpius humores malos in corpore contentos, eduxeris.

Dolorem remittentia.

De membri sphacelo affecti, & corrupti excisione.

SI morbus iam tantam fecerit corruptionem, ut carnem, neruos, ossaq; uitio affecerit, ut fieri nõnunquam 2. de fract. dixit Gal. ac spiritibus naturalibus, uitalibus, & animalibus membrum priuauerit, ita vt curationis nulla spes reliqua sit, neq; solũ partem illam non seruare posse speremus, uerũ etiam ne sensim proximæ partes corrumpantur, impendere

Si eo peruenerit corruptio, ut curatio desperetur mẽbrum excidendum est.

re periculum videamus, membrum, ut ante diximus excidendum est: quandoquidem, ne proximæ partes corrumpantur, membri quod paulatim emoritur sectio, vnicum restat auxilium, licet miserrimum vt Cel. inquit. si quidē quod putruit, tāquā venenū suo contactu, quod adhuc sanū, & integrum est corrumpit, & inficit. Totum itaq; membrum abscindēdum, vt Hipp. ait 4. de art. cum membrum denigratum, & emortuum fuerit. Sectio autem secundum Cel. 7. lib. fiet hoc modo: loro aliquo prius membrum supra corruptam partem deligabis arctissime, ita vt aliquo modo obstupescat, nouacula deinde infectā partem à sana separabis vndequaque, ad ossa vsque, post hæc serra optime fabricata ossa quam citissimè præcides. præterea venæ, arteriæq; sectæ, & semicorrupta illa caro, candenti ferro adurenda, primo aptissimum erit falcatum instrumentum, deinde alio instrumento, vel gladij formam habente, uel aliam formam, vt sanguinem comprimas, vti poteris, vel si videbitur, membrum illud, à quo putrefacta illa pars abscissa fuerit, ad sanam vsque partem in simplex oleum feruens, aut cum sulphure colliquato admixtum, immerges: Verum candentia hæc ferramenta eadem omnia, quæ ipsum oleum vel simplex, vel cum sulphure admixtum efficeret, præstabunt. Sed tamen vt cautius res peragatur, loco, à quo excisum membrum fuerit, puluerem combusti chalcanthi, quod ab Arabibus colcotar nuncupatur insperges, deinde dolorem sedans medicamen-

Quod putriuit suo cōtactu reliquū inficit.

Quando mēbrum sit abscindendum

Q̄uo fiat sectio, & quid post sectionem faciendum

Locus à quo mēbrum fuerit abscisū

mentum, & sanguinis fluxum compescens appones. Aliter tamen recentiores Medici putrefactum mẽbrum præcidentes faciunt, qui vno, & eodem tempore instrumento quodam candenti, gladij magni formam habente, membrum excidunt, & carnem, venasq́;, & arterias adurunt, vtunturq; huiusmodi instrumento, ne sanguinis magnum sequatur profluuium, nec quot incõmoda (quæ mox ostendemus) sequantur animaduertunt. Nos tamen corrupta mẽbra, ita vt diximus amputare solemus, & hunc secandi modum nostro marte excogitatum, & multis rationibus munitum semper seruabis: Membro igitur in sana parte arctißimè deligato, si à iunctura corruptio distabit, vel propè articulum, aut in ipso met articulo, si ipsi articulo proxima fuerit corruptio, membrum transuersum amputabis, vt Hpp. fuit sententia 4. de art. Si autẽ in sana parte secaretur membrum, modo sectio illa supra genu, vel supra cubitum fieret periculosißimum esset, propter insignia vasa, quæ ibi adsunt, & propter principalium membrorum vicinitatem, quare supra articulos illos, seu iuncturas, & præsertim supra genu, nisi coactus, sectionem facere non auderem. Facta ergo sectione, in sana parte, potiusquam in ægra, nouacula optimè cædente, quam celerrimè ad os ipsum vsque, antequam scindatur os, instrumento falcato candenti vasa omnia, à quibus sanguis profluit, quæ in summa parte sunt, adures, & fluxum sanguinis sistes. serra deinde os præcides, & rursus alijs idoneis

calchãti puluere est aspergẽdus.

Recẽtiorum medicorum modus in excidendis mẽbris dãnatur

In q̃bus locis sectio in parte sana facta periculosa.

neis instrumentis ignitis, quæ in extremitate globulum quendam habent, oliuæ vel sphærulæ similitudinem referentem, vasa illa, quæ in sana parte sunt adures, & calchanthi puluere cum sarcocolla insperges, vt craßiorem crustam contrahant, deinde platisma ex pilis leporinis conceptum, ouorum albuminibus, bolo armena, aloe, & similibus oblitum, vt sanguinis fluxus comprimatur, admouebis, & stupam eodem oblitam medicamenro superdabis, defensiuumq; sanæ parti adhibebis, membrumque fasciatura (vt aiunt) retentiua obuolues, accliue præterea mēbrum collocabis, ne facilè ad excisam partem sanguis fluat. Tertia die medicamentis illis, posca, vel vino nigro prius madefactis (vt facilius à pilis, & à vulnere remoueatur) remotis, penicillos, & puluillos ex filamentis mollibus conceptos, & tetrapharmaco vnguento illitos, quibus eschara remoueatur, vt 2. ad Glauc. faciebat Gal. & dolor, inflammatioq; remittatur, vt idem 3. de fract. admonebat, admouebis: qui rursus in oleo hypericonis, vel momordicæ, tum ad dolorem leuandum, tum ad coctionem adiuuandam madefieri debent: Nec ex memoria excidat, super vasorum præcisorum orificia, puluerē aloes hepaticæ, & boli armenæ orientalis ponere, qui non solum sua natura emplastica sanguinis fluxum compescet: verum etiam à putredine, neruos, tendines, vasaq; tuebitur. Absoluta coctione nullo superueniente symptomate, leuiter in principio, medicamento abstergente inferius descri-

Post p̄cisionem q̄ apponēda sint medicamenta.

Membrū p̄cisum quō locandum.

Tertia die post mēbri ĩcisionē quid sit faciendū.

Præcisorum vasorū osculis, q. puluis semꝑ apponendus sit.

ſcripto, vlcus abſterges, ad ſarcotica deinde, & tandem ad epulotica deſcendens medicamenta: inſtituta ante ea victus ratione, quæ affectis maximis vulneribus conuenit. In membrorum amputatione antedictum malui ſeruare modum, quam antiquos aliter membra præcidentes ſequi. Verebar ſiquidem ſi eos imitarer, ne ingens aliquod ſequeretur incommodum, vel ex ſerra, vel ex ægrotante, vel ex miniſtris, quod opus impediret, & maius deinde fieret ſanguinis profluuium, propter quod facilè æger deinde moreretur. Quocirca, ne in hac re peccarem, falcato noſtro inſtrumento prius ſiſto ſanguinem, quam os abſcindam, aut inurem: cæterum ſi ferro illo cædente, & candenti præciderem membrum, vt eodem tempore, & ſecarẽ, & cauterio afficerem (quod tamen Medicis noſtræ tempeſtatis placet) Cel. aduerſarer grauiſsimo authori, qui lib. 8. capi. 3. neruos igne calefacere prohibet, & ab Hipp. in lib. de art. & Gal. in eiuſdem lib. com. ſententia diſcederem. quocirca, ne à principibus medicinæ diſſentirem, neq; aliquid offenderem, neque cum noſtri temporis Medicis in eodem errore verſarer, membrum, eo quo diximus modo excidere placuit; ſiquidem, poſt inciſionem nouacula factam, nerui quia ſtatim contrahuntur, ſi ignitũ admoueatur ferrum non aduruntur: præterea membri abſciſio celerius abſoluitur hoc modo, quam ſi gladio illo ignito, & cædente eodem tempore, membrum, & abſcinderetur, & inureretur, atque hoc pacto, opus, breui tẽpore,

Quare potiꝰ ãtedicto modo, quam recẽtiorũ more mẽbra ſĩt excidenda.

pore, pauco cum dolore, & tuto, ut Gal. 14. meth. iubebat, perficitur, vt cuique hæc quæ docemus diligenter perpendenti, manifestum erit. Si autem quis obijcerit me abscisionem in parte sana fieri iubere contra Pauli placita lib. 6. cap. 84: qui inter sanam & corruptam partē membrum amputat, sana omnino parte, intacta: Dicerem id in omni abscisione esse faciendū non suadere, & veram esse Pauli sententiam in excisione, non totius membri, sed partis alicuius corruptæ: quæ tamen adhuc os ipsum non vitiauerit; ita vt membrum vniuersum sit amputandum: si.n. os vitio esset affectum, & pars ea putrefacta quæ relinquitur adureretur, in exiccatione illa os detegeretur, & carne detectū relinqueretur, quod deinde amouere esset laboriosum cum carne amplius tegi nequeat, & debeat discedere, vt in lib. de fract. scripsit Gal. Sed si infectum os fuerit, quandoq; in sana parte secare erit rationabile, ne corruptum os derelinquatur, & post carnis excisionem os ipsum deinde excidere, præsertim quando sana illa caro, post venarū, & arteriarum obstructionem (vt ita loquar) sæpius vt cauterijs afficiatur non eget, vt si semiputrida, corruptaq; caro relinqueretur, quæ sæpe candenti ferro adurenda, exiccandaq; esset, vt citato loco Galeni fuit sententia, & sic Pau. sententia & Gal. 2. ad Glau. intelligenda est, cui cæteri quoq; probati subscribunt authores. Verum cum duobus modis excidi membra possint, an in sana parte sint amputanda, an vt Paul. lib.

Obiectio.

Et Gal. 2. ad Glauco.

Non semper in sana parte præcidendum membrum.

lib.6.cap.84. & Gal.2.ad Glauc. dicebant, inter sanam & corruptam, quid de hac re sentiam fatebor ingenuè, dicamque, perpetuo, neq; in sana, neq; inter sanam, & ægram partem esse membrum secandum, quia in sana parte excidere quandoq; profuerit magis, quàm in corrupta, præsertim cum non certo sciamus, nunquid maligna illa putredo vlterius sit progressura, & hoc tempore secandum in parte sana membrum est, quod si membrum vlterius corruptum iri, certo sciremus, tunc inter sanã, & ægrã partem transuersum membrum possemus secare: obseruando tamen hoc in ipsa incisione, quæ fiet inter sanam, & affectam partem, vt primum sectio carnis putrefactæ fiat, deinde antequam secetur os ignito ferro, tota semiputrida caro exiccetur, quoad fuerit consumpta, & ipsa inustio ad sanam partem peruenerit. post hæc os ipsum proximè carnẽ, quam poteris maximè secabis, ne denudatum post sectionem, & detectum relinquatur: In hac incisione nullus dolor fiet, nec vlla sanguinis sequetur profusio, cum iam caro illa emortua sit, atq; si debilis virtus esset, non imbecilior redderetur, ita vt si in sana parte sectio fieret: Quando autem hoc faciendum sit, docere est difficilè, fortasse longo vsu sine præceptore disces, sat sit ex Gal. sententia sectionem hoc modo fieri posse ostendisse: Sed vt transuersum dissectum os contegatur in membrorum incisione ministris iubere soleo, vt amputandum membrum contineant, & ad se quantum possunt membri illius cutem

Vtrum in sana parte, an inter corruptã & sanã partem excidendum mẽbrum sit.

In incisione quæ inter sanã & affectã partem sit, quid obseruandum.

Vt dissectũ os contegat quid faciendum sit.

tem, carnemque trahant, vt dissecta pars, in cutis, & carnis musculorum relaxatione, facilius tegatur, atq; ita quandoque statim os illud contegitur, vt nullo modo conspiciatur, ex quo facilius curatio absoluitur. hoc tamen commodo careremus, si extra carnem os promineret, quod chirurgia esset deinde remouendum, & si naturæ permitteretur, nisi post longum tempus abscederet. In iuncturarum amputatione vt os contegatur, diligentius soleo obseruare, iubeoq; ministris, vt quantum in ipsis est, pellem, quæ supra iuncturam est, ad se trahant, facta deinde arctißima ligatura, mēbrum in ipso articulo, excido, vasa præterea sanguinem effundentia inuro, post hæc vt ministri, quam contraxerant manibus pellem, carnemq; remittant, impero, quæ quandoq; bonam iuncturæ partem, non nunquam totam iuncturam sponte contegit, non secus ac si dedita opera manu attraheretur coniungereturq;, & nullis, vel paucis saltem, vt sanguinis fluxus compescatur, membrum eget cauterijs quippe à pelle illa vasa conteguntur, & fluens sistitur sanguis: sed tamen, vt melius pellis cōmittatur, digitis non nihil eā attrahes, deinde eo modo, quo pelles suuntur, illā consues, dando operā, vt omnino iunctura contegatur, emplasticis postea medicinis vulnus, vt dictū est communies. Neq; hunc modum amputandorum membrorum à me relatum, & obseruatum Venetorum lictores ignorauerunt, qui facinoroso alicui homini manum excisuri, pellem, eo (quē diximus) mo-

In iuncturarum amputatione, ut os cōtegatur diligenter obseruandum.

Mos, qui à lictoribus Venetorum in manibus facinorosorū hominū amputandis obseruatur.

modo ad ſuperiora contrahunt, & poſt manus amputationem, illico contractam pellem laxant, & diligenter circa iuncturam conſuunt, vulneriq; ventrem gallinæ morientis adhibent, nec vllum deinde fit ſanguinis profluuium. Nec hoc à Gal. ſententia abhorret, qui 5. meth. ſcribit, ſanguinis fluxum ſiſti, ex propriæ cutis ſuperpoſitione, quapropter tuto hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatisfecerit illum te docuiſſe non me penitebit, daboq; operam dijs volentibus, vt propediem, & maiora, & vtiliora intelligas.

DE ERYSIPELATE.

VVlneribus etiam inflãmationem illam quæ eryſipelas dicitur in lib. de vlc. ſcribit Hipp. & ex eiuſdem ſententia, non ſolum (æſtiuo præſertim tempore) circa vulnus, ſed ipſo etiam vulnere naſcitur. Et Paul. lib. 4. Auic. 4. 4. Gal. 3. & 4. meth. *In iſtis autem vulneribus à ſclopetarijs globulis factis, quoniam ex vehementi contuſione, & attritione maximus accitur dolor, qui humores attrahit, ſæpiſsimè eryſipelas contingit. verum cum eryſipelas variæ accerſant cauſæ, vt ſæpe alias admonuimus, eius cauſa quæ fuerit eſt exploranda, & remouenda, quod etiam in omnibus alijs morbis curandis obſeruandum diligentiſsimè eſt, ſiquidem morbi cauſa non ablata, morbum ipſum remoueri eſt impoſsibile, vt Gal. 3. art. med. & in lib. de optima ſec. ad Traſib. dicebat: eſt autem eryſipelas inflãma*

Eryſipelas uariæ accerſunt cauſæ. Morbi cauſa non ablata. Morbum ipſum auferre eſt impoſſibile. Et 14 meth & 2 ad Glau

tio

Quid sit erysipelas, & unde fiat & Gal 4.meth.

tio à flaua bile facta, vt in lib. de tum. præt. nat. ait Gal. quæ tamen fit vt plurimum ex malorum humorum abundantia in corpore existentium, vt Hipp. in lib. de vlc. dixit, aut ex vsu medicamenti alicuius calidi nimis, vt Gal. in lib. de inæq. intēp. refert, qui sic scribit, Iā ex medicamētis, quæ foris corpori occurrunt, inæqualis intemperies gignitur, &c. aut ex ambiente aere calido, vel etiam ex stricta nimis ligatura, vel causa alia procatarctica, vt ex contusione forti, quemadmodum in istis vulnerationibus contingere solet: ex forti enim contusione cum grauis excitetur dolor, humores attrahuntur, & præcipuè biliosi, qui tenues admodum sunt, prompteq; fluunt: Rursus duplex fieri potest erysipelas, purum ex flaua bile, & non purum, ex sanguine flauæ bili admixto, vel alteri humori, vt citatis locis legitur. Atq; erysipelas, vel vlceratum esse potest, vel non vlceratum, vt 14. meth. scribebat Gal. de vlcerato, hoc loco verba non faciemus, sed de eo solum, qui ex sanguine flauæ bili admixto fit, quod erysipelas phlegmonosum dicitur. erysipelas à sanguine tenuiori factum dicitur etiam phlegmon erysipelatosus, semper ab humore vincente nomen assumens, vt adductis locis scribit Gal. Notandum tamen est, rarißimè ex puro quopiam humore morbum fieri, vt 2. ad Glau. scribebat Gal. Erysipelas circa vulnus esse cognoscetur, quando vndiquaq; rubor apparebit in partium vulneri proximarum superficie, quas si digito compresseris, rubor ille statim di-sce-

Duplex erysipe.

& 5. aph. 23.

Phlegmō erisipelatosus

Ex puro humore rarissime fit morb

Quando esse circa uulnus erisipelas cognoscatur.

ſcedit, ſed vbi remoueris digitum illico rubor ille recurrit, vt 2. ad Glauc. dicebat Gal. & Auic. 3. 4. cap. proprio, vbi quæ ſcripſit omnia ex Gal. deſumpſit, ruborq́; in ſola cute eſt, vt in lib. de tum. præt. nat. ait Gal. atque hanc affectionem ſæpe ſubſequitur febris, vt Celſ. oſtendit cap. de accid. vul. quare ſi vulnera hæc febris ſequatur, ſi eryſipelate correpta ſint non mirum erit. Si verò non ſolum cutis ipſa, ſed uulnus eryſipelate laboret, vulnus ſenſibilius reddetur, quam ſi caro ſymmetriam propriam ſeruaret, & ita quandoq; efficitur ſenſibile, ut vix ſpecilli bombice inuoluti, leuem contactum ferat, carnis prætereа color rubicundior videbitur, & nonnunquam puſtulæ excitantur miliares vt 4. 4. cap. 6. dixit Auic. quæ nonnunquam per cutem ſerpunt, quarum cauſa eſt vitioſus humor ſalſus, vel bilioſus in corpore exiſtens, aut acris ſanies partes illas erodens. Si puſtulas has cacochymia excitauerit, cognoſces ex corporis tēperamento, & ex victu, quo æger ante vſus fuerit, quare victum qui alteret inſtitues, & corpus vniuerſum purgabis. Si ſanies acris puſtularum illarum cauſa fuerit, victum quoque alterantem inſtitues, & vnguentum ex lythargirio, vel cæruſa, uel minio, quod in plumbeo mortario, cum aceto, & ſucco ſolani, vel plantaginis ſit cōfectum, admouebis, & leuiora, & fortiora huiuſmodi parabuntur medicamenta, pro vt puſtularum circa vulnus, vel in ipſo vulnere exiſtentium, malitia poſtulabit. Si itaque malignæ fuerint, & fortius me-

Et 13. meth

Vulnus eryſipelate laborans ſenſibilius redditur

Ex cacochymia puſtulas miliares, in eryſipelate genitas eſſe quibus notis cognoſcatur.

Malignę puſtulę fortius poſtulāt medicamentū.

dicamentum requirant, eas decocto radicũ lapati, & chelidoniæ maioris cum sale lauabis, aut similia medicamenta, cum prædictis succis admouebis. Sed si pustulæ circa vulnus, vel prurigo sine vlceribus inueteratæ fuerint, post habitis vulneribus, mirum in modum humoris peccantis conferet euacuatio: humores autem in loco contenti caprificationibus euacuari poterunt, vel hirudinibus, pustulis ipsis, vel partibus pustulis ipsis proximis admotis, ad topica etiam iam dicta remedia confugere poteris, quæ si tantæ virtutis non fuerint, vt morbum illum omnino poßint auferre, pustulas illas nostra aqua, vel sulphuris oleo, vel calchanthi, leuiter madefacere poteris, vt malitia illa, & mala illa intemperies in parte contracta, remoueatur, & extinguatur, Galenum imitando qui 4. de comp. med. sec. gen. in lepræ curatione, induratam cutem, & fœdam iubet abradere: nos tamen pro abrasione, caustico aliquo, vel acri medicamento utimur, in morbis huiusmodi inueteratis, quod quanuis aliquem inferat dolorem, maxime tamen confert: adhibemus frigida medicamenta, quibus tandem remouetur excitatus dolor, & huiusmodi causticis medicinis, inueteras tales affectiones, & impetigines sæpius curauimus fœliciter. Si extra vlcus erysipelas phlegmonosum fuerit, præter dicta symptomata aderit tumor maior, & durior, nec rubor ille, quem compreßione digitis facta expuleris, ad locum tam cito regreditur: aderit etiam intensior dolor, ut apud Gal. & alios me-

Pustulæ inueteratæ, & prurigo sine ulceribus q. bus remoueantur.

Quibus notis erysipelas phlegmonosum extra ulcus existẽs dignoscatur.

medicinæ authores poteris legere. Verum quanuis inter puri eryſipelatis, ſigna, dixerim eſſe rubedinē, non tamen de puriſſimo eryſipelate dictum fuit, ſed de eo, quo dari ſimplicius poteſt, quoniam ſcis Gal. in lib. de plenitud. carnem, & ſanguinem ſolum rubere dixiſſe, ideo cum ibi rubor ſit ſanguinis peccatum uidetur indicare, qui re uera tenuiſſimus eſt, nec eryſipelatis ueri proprius eſt color, ſed flauus color: puri eryſipelatis eſt proprius, abſq; tumore ullo, & grauitate, ſicut Gal. in lib. de plen. ait, quoniam peccans bilis tumorē nullum, nec grauitatem facit: diximusq́; illud eſſe purum eryſipelas, reſpectu alterius eryſipelatis, quod ſi ex ſuccis uitioſis, bilioſisq́ue fiat, curabitur, ſi humores ipſi euacuabuntur, ſecus autē, nunquam vulnus curaretur, aut coaleſceret: huiuſmodiq́; humores multis modis euacuari poterunt, uel ſanguinis miſsione, ut Celſ. ait, ſcopis ſtantibus, qui in ſanguinis miſsione ſpectari debent, cui aſſentire uidetur Auic. 3.4. ſed ſanguinis miſsionem eſſe faciendā dicit ipſe quando materia eſt inter duas cutes, hoc eſt, quando materia, & cutem, & carnem occupauerit, morbusq́ue fuerit factus, qui magnus poſsit nominari, tunc ratione morbi magni, & peccantis ſanguinis, miſsio illa ſanguinis conueniet: licet Gal. 2. ad Glauc. & 14. meth. & Paul. lib. 4. in eryſipelate ſanguinis miſsionem prohibere uideantur. quam tamen, licet Celſ. & Auicenna probauerint, non ſemper tamen in omnibus eryſipelatibus ſanguinis miſsionem probauiſſe,

Rubedo ĩ puriſsimo eryſipelate nõ eſt.

Flauus color proprius eſt puri eryſipelatis.

Eryſipelatis ex ſuccis uitioſis, bilioſisq́ue curatio.

In omnibus eryſipelatibus non conuenit ſang. miſsio.

uisse, est intelligendum, sed in non exquisito, uel ubi plethorico corpori contingit, tunc enim sanguinem audacius mittimus, quàm ubi bili est sanguis admixtus, atque æger inflammatione ingenti, magnaq́ue febre uexatur, post sanguinis mißionem, catarcticum medicamentum propinamus, quo uitiosus humor educatur, ut Hipp. in lib. de ulce. his uerbis docebat, si uulnus erysipelas occupauerit, corpus purgare oportebit, per superiora, uel inferiora. Hippocrati assentitur Gal. 4. & 14. meth. qui etiam sic scribit, quid opus est dicere? erysipelati nullum præstantius remedium, quam medicamentum flauam bilem educens: bilem itaq; purgabis rore melleo quem manna appellant, uel simplici uel rhabarbaro admixto, uel electuario ros. Mes. vel caßia fistulari, vel mucaro rosaceo, & similibus medicamentis, quæ omnia recenserem, nisi me superfluo facturum putarē, si in nostros hos sermones, ea quæ ab alijs longa oratione, & doctißimè scripta fuerunt, transferrem.

Quibus peccās bilis purgetur.

Exigui erysipelatis curatio.

Si erysipelas exiguum fuerit, acri clystere vteris, vt Gal. 2. ad Glauc. dixit, purgatio quoque sola, absq; sanguinis mißione conferret. Si febris aderit, quam excitauerit erysipelas, medicinis alterantibus (bile euacuata) remittetur. Si autem ab humorum agitatione febris ea sit facta, ut fieri sæpißimè solet primis diebus, quando vulnus acceptum est, præsertim si corpus, aut putredini paratum, aut malis refertum humoribus, aut uehementi affectum dolore, propter contusionem, vulnus acceperit, medici-

Febris ab erysipela. uel ab humorū agitatiōe excitata, q̄bus remoueatur

vicinis temperatè euacuantibus, & alterantibus medicamentis, & congrua victus ratione remouebitur, & vsu frigidorum, & humidorum, quæ corporis temperamentum, & humorum illorum abundantiam alterent, vt 10. meth. de ephæmeris, & putridis febribus dicebat Gal. si erysipelas ab extrinseca causa ortum esset, aut ex acrium, vel calidorum medicamentorum appositione, vel ex calido aere ambiente, vel ex forti constrictione, vel ex contusione, nulla stante in corpore cacochymia, vel plenitudine, quam adesse, vel abesse facilè deprehendes, per vniuersalia discurrendo, neque venæ sectione, neq; purgatione vlla opus erit vt Cels. ait lib. 5. sed duntaxat extrinseca causa auferenda. Topica deinde sunt admouenda, quæ à quacunque causa factum sit erysipelas (modo in corpore cacochymia nõ sit, quia tunc ad membrum aliquod humores repellerentur) frigida esse debent, vt Hipp. in lib. de vlc. refert, vbi exemplum solani adducit, non tamen adstringentia debent esse, aut parum saltem adstringere, vt Gal. 10. de simp. med. & alibi cum humiditate: vt Paul. lib. 4. cap. 58. Tamen cum circa vulnus sit erysipelas quod exiccationem postulat, non mirum, si etiam vnguentum cærusæ, in quo camphora est, succo plantaginis, vel solani, vel semperuiui, & similium lotum, apponitur, & vnguentum albũ Pau. vel vnguentum album Rasis, in quo sit camphora, vel camphora careat, & infrigidans Gal. 11. meth. & 6. de tuen. val. descriptum. Verum vt medica-

Erysipelatis à causa extrĩseca orti curatio.

Et Gal. 2. ad Glauco.

Topica erysipelati cõuenientia frigida eẽ debẽt. Et Gal. 10. dẽ simp. med. f. & 1. de cõp. med. se. gen. & Gal. 2. ad Glauco.

Vnguẽta nõ nulla erysipelatib. conuenientia.

Parti erysipelate laboranti sæpius apponi, & remoueri medicaméta debent.

menta hæc maiorem afferant vtilitatem, sæpius remoueri debent, & recentia iterum apponi, vt Gal. dicebat, quoniam cum calida effecta sunt, non modo non refrigerant, sed calefaciunt, quapropter remouenda sæpius sunt, præsertim si in vulnere, vel circa vulnus magna adsit inflammatio, conferet etiam vnguentum ros. Mes. cauendum tamen, ne in vulnus cadat ne propter vnctuositatem vulneri officiat, sed eo solo, vel alicui succo frigido admixto, vulneri circumiacentes partes inungantur. Ad hũc quoq; vsum aptum est vnguentum de spuma argenti, vel populeonis, præsertim vbi aliquis infestet dolor, quibus linteolum illines, & vulneri, cui prius propria medicamenta adhibita sint, superdabis. Et si vlcus erysipelate vrgeatur, medicamenta ista, aqua rosacea, vel plantaginis abluantur, aut lacte caprino, aut vaccino, aut mulieris lacte, bono temperamento præditæ, vel aliquo ex prædictis succis frigidis, & siccis, quibus intemperies remittetur, neq; vlceris indicationem contemnes, quoniam non nihil siccabis. Ad mitiora etiam si opus sit confugere poteris medicamenta, vt ad vnguentum pompholigis, & ad linamenta sicca, quæ etiam paranda sunt quia vulneri intensa febris coniũcta est, vt, & vlceris, & totius corporis intemperies, quam febris ipsa excitauit, remittatur. Neq; admiratione afficiaris, si semper frigidis his medicinis, digerentia aliqua admisceantur, quale oleum est, siquidem semper opera est danda, ne ex frigidorum medicamentorum

Quare semp digerẽs aliquod mediciniserysipelati cõueniẽtibus misceatur.

torum appoſitione, membrum durum reddatur, & transſpiratio prohibeatur, ne (vt dictũ eſt ex Gal.) fiat corruptio, caueq; ſemper, ne medicamenta hæc, quæ huiuſmodi vlceribus, quibus febris coniuncta fuerit, adhibebis, ſubluere obliuiſcaris, quoniam vniuerſo corpore, inflammatione, & febre affecto, indicatio curatiua ab ea caliditate ſumi debet, vt in libro meth. docuit Galenus.

De vulnere depaſcente, vel ſerpente, quod à Græcis νομή dicitur.

Inflammatione affecta, vel vlcera, vel vulnera, depaſcentia quandoque fiunt, vt Hipp. in lib. de vlc. quæ vlcera ſerpentia, herpetes eſthiomeni, nomæ, phagedenæ, & vlcera maligna putreſcentia nuncupantur: verum vlcera hæc, quanuis uarijs nominibus appellentur, & in eo quod magis, & minus eſt differant, omnia tamen ſub herpetis curationem reducuntur: dicebat enim elegantiſſime Galenus 2. ad Glau. quatuor eſſe inflammationũ ſpecies, phlegmonem ſcilicet, eryſipelas, herpetem, & carbunculum, quaſi illud innuens, quanuis alia inflammationum genera reperiantur, ea ad vnam harum ſpecierum poſſe reduci, veluti bubo, phyma, phigetlon, ophtalmia, peripneumonia, pleureſis, & ſimiles affectus, qui ad phlegmonem reducuntur, qui quidem tantum ratione loci quẽ infeſtant, differunt, & quibus à læſa particula nomen inditum eſt, ita quoq; vl- Quatuor inflãmationũ ſpecies.

cera depascẽtia, noma, phagedena, aphtæ malignæ in ore vlcus putridum ad herpetis esthiomeni curationẽ possunt reduci, qui herpes vlcus est malignum, profunde depascens, quamuis inter se, in eo, quod ma ius, & minus est differant, vt noma, & putridum vl cus, quæ sunt tanquam genera omnium vlcerum ma lignorum, quæ cadunt super ulcus malignum, & ser pens, vt optime dicebat Gal. 5. de comp. med. sec. lo. cap. de aphta, & 5. meth. vbi vlcera penis putrida vocat. Aduertendum tamen, putredinem in vlcere, causam veram non esse nominis vlceris, neq; malignitas propria ulceris est differentia, cum vlcus, & putredo per se esse poßint sine malignitate, quæ tamen si contingat accidentalem efficit differentiam, vt ait Gal. 6. aph. 45. Phagedena quoque est vlcus serpens, & malignũ, veruntamen profundius quam herpes exedit, vt Paul. lib. 4. cap. 45. ait, ita ut cutem, & carnem exedat, ut in lib. de tum. præter nat. & 6. aph. 45. & 14. meth. scribit Gal. ubi cur exedat rationem reddit, dicitque id fieri ob craßitiem, quæ profundioris exulcerationis causa est, quibus tamen eodem modo curatio adhibetur, cum tantum inter se, ueluti genus, & species differant, ut adducto loco Paul. dicebat, neque tantum est nominum uarietas curanda, ut in lib. de const. art. med. referebat Gale. de qua tanta solicitudo habenda non est, dummodo recta intentio curatiua habeatur. quapropter existente in uulnere, uel ulcere malignitate serpente, eadem quæ herpeti esthiomeno

Et 3. meth.

est

est adhibenda curatio. Verum cum herpes, & omne malignum vlcus, ab humoris biliosi, acris, & mordacis abundantia fiat, qui malus ex adustione efficitur, corpore prauis humoribus referto existente: vt Hipp. in lib. de vlc. retulit, si moueri debent, eorum causa est abscindenda, medicinis humorem peccantem attrahentibus, vt Hipp. in lib. de vlc. ait, quemadmodum etiam de erysipelate dictum fuit, & purgatio, quantitati humoris peccantis debet respondere, eadem exhibendo medicamenta, quæ gangrænæ iā conuenire diximus, quæ adustos euacuent humores, rectaq; victus ratio instituenda, qua calida totius corporis intemperies mutetur. Cæterum considerandum quoq; est, depascentia fieri vulnera, non solum propter vitiosos succos in corpore contentos: verum etiam propter acria medicamenta, & mordacia, vulneribus imposita, quoniam exasperata ab illis fuerunt, præsertim si illa vulnera in cacochymo fuerint corpore, & quod mala victus ratione vsus fuerit. Ex contactu putridæ carnis depascentia quoq; vulnera fiunt, vt in vulneribus, à sclopetarijs globulis illatis, sæpenumero patet, in quibus contusa putrescit caro, quæ deinde contactu suo bonam inficit carnem, redditq; vulnus exedens, & malignum. quod etiam fit, quando caustica parti alicui admouentur medicamenta, quam cauterio afficere volumus, vt ad partem illam humor aliquis reuellatur, aut deriuetur, ab huiusmodi cauterio, si combusta illa caro, & putrefacta non remoueatur,

exe-

Herpes, & maligna ulcera unde fiant, & eorũ curatio.

Et Gale. 6. apho. 45. 3. de tempe 4. meth. & 2. ad Glauco.

Et Gal. 2 meth. & Auic. cap. de ulce. putrido.

Acria medi. ulcus depascēs efficiūt

Cōtactus putridæ carnis depascēs ulcus efficit.

Ex intẽperie calida & sicca uulnus exedens fit.

Quibus notis ex intemperie calida & sicca exedens factum ulcus fuisse dignoscemꝰ

exedentis vlceris causa est. Ex mala quoq; intemperie calida, & sicca in membro aliquo contracta, exedens quoq; vulnus fit, atque exedens vulnus, ab huiusmodi causa factum fuisse, his notis dignosces, ex febre, ex sicco vlcere, ex non mediocri siti, qua æger afficietur, ex ichoribus feculentis, vt Cel. ait 5. lib. cap. de accid. ex croceo colore, quæ notæ omnes bilis redundantiam significant, vt Gal. 1. prog. com. 25. scribit, non nunquam vlceris labia quasi inuersa sunt, vel eleuata, rubor circa vulnus extat, venulæ in vlcere albæ, & cum citrinitate quadam, apparent, & in toto vlcere inæqualitas quædam conspicitur. exacta quoq; sensibilitas, dum pertractatur, & abstergitur vlcus, licet leuißimè pertractes, vel abstergas, percipitur, neque vlcus ipsum in eodem statu permanet, sed diebus singulis augetur, maiusq́; efficitur: Si omnia hæc signa, vel ex his signis, multa vlceri inerunt, malignum esse vlcus significabunt: Remotis causis istius affectionis, ad localia est deueniendum, non ad medicamenta frigida, & humida, quæ erysipelati conueniebant, sed à frigida, & sicca, quemadmodum Gal. 2. ad Glauc. scribit, & inter cætera vnguentum pompholigis, pro remotione inflammationis, & erosionis, admouebis, indicatione semper sumpta ab vlceris propria differentia: non autẽ à tempore, vt Gal. 3. meth. docuit. corrosiuis enim, & inflammatis vlceribus vnguentum hoc confert, quorum malitiam in principio remittit, & carnis adiuuat generationem.

Depascentis ulceris causa remota ad topica deuemendũ est.

Et 14. meth. & Pau. cap. proprio.

Vlceris depascẽris medicamẽta qualia esse debeant.

Vnguẽta exedentibus ulceribꝰ idonea.

rem. admouere etiam posses vnguentum de calce, à quo, si vlceris malitia illa non vincatur, ad fortiora confugies: Nec inutile fuerit sanguinis fluxum ab ipsis vlceribus prouocare, vt Hipp. dicit, & Gal. 4. meth. ex ipsius Hippocratis sententia: Quocirca vlcera ipsa, vt sanguinis fluxum irrites, aspera re aliqua perfricabis, sanguinemq; effluere sines, siquidem cum ipso sanguine, praui etiam humores, in parte illa qui infixi erant, euacuabuntur, vt dixit Auic. 4. 4. cap. 9. vel hirudines applicabis affectæ parti: frigidum deinde aliquod, & siccum medicamentum, impones, locumq; aluminosa aqua lauabis, quæ vlceribus istis conducere mirum modum solet, nam valide influentes humores repellit, & qui fluxerunt exiccat. partem etiam infrascripto decocto lauabis, quod recipit rosarum rub. malicorij, balaustiorum, vel citrinorum mirabolanorum, nucum cupressi, partes æquales, aquæ calibeatæ, vel aquæ plantaginis q. s. & vt validius vlcera ab humorum influentium malitia vindicentur, defensiuo partes circa vulnus, illines, in vulnus deinde puluerem aliquem refrigerantem, & exiccantem immittes, qualis esset puluis, qui ex his constat. Recipe lithargirij, plumbi vsti, cadmiæ præparatæ (tutiã vocant) stimij partes duas, æris combusti, & præparati, partem vnam, lapidis hematitis veri, quo fabri ad inaurandum vtuntur, vt aurum, quo loricas, aut aliquid aliud obducunt, magis splendescat, pul. corallorum, pul. mirabolanorum, partes duas, omnia in tenuissimum

A depascentibus ulceribus sanguinem prouocare cõfert.

Aluminosa aqua depascentibus ulceribus conducit.

Decoctũ exedentibus ulc. conducens.

Puluis refrigerans, & exsiccans.

mum puluerem redigantur, qui in vlcere ponatur, deinde penicilli, vel splenia concipiantur, quæ vnguento pompholigis, vel calcis, vel cærusæ, vel albo vnguento Pau. vel vnguento minij, cum camphora, vel sine camphora, illinantur, & vulneri admoueantur. Cæterum post huiusmodi pulueres, & linamēta vlceri adhibita, puluillos posca imbutos, vel alio decocto frigido, & stiptico, vel vnguento aliquo ex dictis, frigido, & sicco illitos superpone: Si admota hæc medicamenta vulneri non medebuntur, & in dies magis morbus serpat, & augeatur, iterū corpus purgabis, & audacter fortia applicabis medicamenta, cauendo, ne nimis in eorum admotione insistas: ad medicamenta igitur escharotida confugies, & nonnunquam ad ignem, vt Gal. 2. ad Glau. facit, qui inter cætera præstantißimum est remedium, quod si æger candens ferrum, propter timorem, vel propter nimis delicatam naturam reformidauerit, & medicaminibus morbum cessurum speres, acriora admouebis medicamēta, quanuis Hip. in lib. de vlc. vlceribus istis sicca conuenire medicamenta, & mordicationis expertia dixerit: sed talia medicamenta cōuenire intelligit, si malignū non sit vlcus, & putrescens, vt Gal. 2. ad Glauc. ostendit, quapropter verenda non sunt medicamenta, istorum vlcerum malitiā superantia, quibus si morbus non cedet, vt in tractatu de sphacelo primæ speciei diximus, ad ignem confugiendum est. poteris igitur in primis admouere puluerem præcipitati, vn-

Si exedēs ulcus medicinis nō cedit iterūcorpus purgandum est, deīde ad fortiora medicamenta transeundū.

Ignis depascentibus ulceribus præstātissimum remedium.

Et Gal. 4. meth. & 2. ad Glauco.

vnguentum ægyptiacum calchanthum, aut aquam nostram fortem, quæ in istis exesionibus præstantissime operatur, uel ea medicamenta, quæ in capite de corruptione scripta sunt, adhibere, gradatim procedendo, siquidem medicinis istis, siue igne vlceris malitiam vinces, vt nos sæpe fuimus experti, & tu quoque vidisti.

DE SORDIDO VLCERE.

VVlnera atq; vlcera, quandoque sordida adeo redduntur, ut ῥύπαρα à Græcis dicantur: emittunt enim quandoque crassum adeo excrementum, & copiosum, vt totius vulneris, vel vulceris cauum repleatur, ac si diutius talia emiserint excrementa, in vulnera, siue vlcera depascentia tandem desinunt, & si malitia effluentium humorum augeatur, in sphacelum euadunt, quem ascachileon Arabes vocant, & tandem in ipsum esthiomenum desinunt morbum, vitamq; adimunt: huiusmudi vlcerum causæ, vt 4. de com. med. secun. gen. refert Gal. sunt praui, & crassi humores, sanguinis naturam quodammodo referentes, qui feruescentes, venenositatem, & malignitatem non paruam contrahunt. Talia quandoque vulnera, vel vulcera redduntur, ex longo unctuosorum medicamentorũ vsu cum prauis succis, vel, vt sæpius fit, sine succis ipsis, vel ex medicinis debiliter exiccantibus, vt 4. de composi. med. sec. gen. scribebat Gal. vel quando vulneri alteri,

Sordidorum ulcerũ causę

teri, aut morbo, natura intenta est, vlcus quoq; sordidum fit, propter abstergentia fortia medicamenta, quæ vlcus excauant, vt 4. meth. scripsit Gal. potißimumq; huius causæ signum esse iudicabis, si indies cauum magis vlcus efficiatur, & extra robur appareat, & pauci ex vlcere ipso profluant ichores: Si ex medicamenti imbecillitate, tale redditum sit vlcus, cognosces ex albedine, quæ tanquam tela quædam, totum ambiet vlcus, & virtute illorum medicamentorũ, & ægrotantis perpensa, & ex subalbis venis, quas cum perspexeris, ne vlcus depascens fiat formidandum, pauca præterea effluunt excrementa, qua excrementorũ effluxus à sordibus prohibetur: quæ etiam transpirationem impediunt, & euentationem caloris innati, ex quo partis corruptio sequitur, & exesio. Si sordidum effectum sit vlcus, quia alteri morbo intenta sit natura, cognosces ex ipso vulnere, & si internas, externasq; causas omnes exploraueris, non erit difficilè, sordiũ illarum causam inuenire: Sordidum vlcus (si huiusmodi fuerit affectum, propter malos humores, quemadmodum fieri sæpenumero solet) si corpus purgaueris vniuersum, vt 4. meth. censuit Gal. deinde topica adhibueris conuenientia, & si inter cætera, vt ab vlcere ipso fluat sanguis operam dederis, vt cum ipsò sanguine praui euacuentur humores: & si etiã vlcus ipsum muria, vel marina aqua, vel salsa ablueris, & linteolo aliquo, vel abstergente aliquo medicamento, vlcus illud absterseris: si valde sordidum

Et 4. de cõp. med. sec. ge. Signa sordidi ulceris ex fortitudine, uel ex imbecillitate medicamentorum.

Sordidi ulceris ex prauis humorib. curatio. Et 4. de cõ. med. sec. ge.

dum vlcus non fuerit, tale adhibere abstergens medicamentum poteris, quod recipit mellis ros. terebentinæ lotæ partes duas, farinæ hordei partem mediam, thuris partem quartam: medicamento etiam huic posses addere aristolochiæ, & iridis, partem octauam: quod si maiori opus esset abstersione, vnguentum apostolorum admouebis, vel isis cephalicum Gal. & singulis isis partibus, quinq; partes cærati humidi, aut vnguenti resini, vel digestiui loti, potes addere, hoc modo. Recipe isis cephalici drac. i. cærati humidi, drach. v. & misce, vel R. vnguenti damasceni, partem i. vnguenti resini, vel alterius vnguenti ex dictis, partes v. vel vi. & misce: Posses etiam ægyptiacum admouere, vel puluerem præcipitati, quia cum magnæ sint sordes, leui medicamento auferri non possunt: præstantissime igitur medicamentum hoc absterget absque dolore: Quod si supramodum sordidum videbitur vlcus, absq; inflammatione: abluere etiam illud aqua saponaria, vel lixiuio poteris. emplastrum deinde aliquod frigidū superdabis, vel vlceri circumiacentibus partibus vnguentum ex bolo armena admouebis, & puluillos posca imbutos, & vnguento aliquo frigido illitos, adhibebis, & hac via perges, quoad purgatum fuerit vlcus, vt 4. de comp. med. sec. gen. Gal. admonebat. Neque in sordidis his vlceribus, quemadmodum in alijs morbis, à leuioribus medicinis est incipiendum, sed à fortioribus, vt 4. de comp. med. sec. gen. dicebat, quoniam sordes est veluti tegumentum,

Abstergētis medicamenti cōpositio.

Validę abstergētia medicamenta

In sordidis ulceribus à leuiorib. medicinis non est inchoandum. & 4. meth.

quod

quod medicamentorum mordicationi resistit: descendendum præterea est ad leuiora medicamenta, postquam ablatæ sordes fuerint, quia tunc iam sensibilius redditum vlcus erit, à qua sensibilitate sumenda est indicatio qualitatis medicamenti: Aduertendum tamē inter cætera illud est, vlcus sordidum, factum propter oleaginosorum medicamentorum vsum, leui abstergente medicamento egere, quale illud esset, quod ex melle rof. farina hordei, & oleo abietino, aut terebentina constat, quod si leue nimis medicamentū videbitur, ad validius confugies: non tamē statim ad ea, quæ validissima sunt medicamenta, deuenies, nisi omnino phlegmonis generationis remota suspitio fuerit. Vitabisq; magis validissimorum medicamentorum vsum, si febris adfuerit: ex horum enim appositione, periculum esset, ne propter inflammationem, vlcus depascens efficeretur, aut abscessu locus afficeretur, quem ἀποτομα Græci vocant: tunc enim filamentis siccis, aut leuiter abstergente medicamento, purgare vlcus niteris, quibus, licet perfectè vlcus purgare non possis, ne sordidius fiat, saltem prohibebis, quoad febris, vel remittatur vel auferatur, & futuram amplius inflammationem non timeas. Si lethale vulnus esset, aut propter ipsum, magnū veremur morbū, & propter sordes ipsas vlcus malum fieret, vt causam primum remoueas, opera est danda, & prout tempus consuluerit (modo vlcus abstergas) & leuibus, & fortibus medicinis abstergentibus vti poteris, & si quæ

Vlcus ex medicinis oleaginosis factū sordidū medicina leuiter abstergēte eget.

Valide abstergētia medicamēta uitanda, si febris adsit.

Lethalia ulcera, & sordida quomodo abstergēda.

Sordidum ulcus ex ualidis medicinis redditū, q.bus notis

quæ dixi omnia fideliter memoriæ mandaueris, & tuto vlcus abstergetur. Si ex validis medicamentis sordida effecta fuerint vlcera, videbis (vt iam dixi) in dies vlcus, & maius, & profundius, & rubicundius fieri, & ichores, & subtile pus, calidumque admodum effluere, ac si mitiora imposueris medicamenta, ex animi sententia succedet curatio. Aptißimum itaque erit pompholigis vnguentum, linteolum deinde frigido aliquo medicamento illitum superpones. quod si hæc non profuerint medicamenta, & malignum magis vulcus fiat, magisque diebus singulis exedat, carnemque corrumpat, ad medicamenta, in capit. de depascentibus ulceribus descripta, confugies: Si postquam purgatum vlcus fuerit, nullum adsit symptoma, & cauus repleatur, dubio procul ulcus coalescet: Verum si forte fortuna vlcus aliquod sordidißimum esset, & ualido medicamento ad abstergendum esset opus, æris squamma præparata, aut præcipitati puluere, ulcus ipsum inspergere, ne verearis, & pulueribus ipsis, sicca adijce filamenta: deinde linteolum frigido aliquo medicamento illitum, ne facilè vlcus inflammatione afficiatur, adhibe, præmißis semper conuenientibus purgationibus; quæ si non contulerint, & sæua magis sequantur symptomata, ad alia medicamenta, quæ ante à nobis suis locis dicta fuere, transibis.

Cognoscatur & quæ medicinæ deinde illi conueniant.

Medicamenta ualidissime abstergẽtia.

M De

De ulcere ſinuoſo, & ualde humido.

QVamuis abundè Gal.2. ad Glau. de ſinuoſo, ac valde humido vlcere ſcripſerit, ſtatuimus tamen nos, hic etiam nonnulla adſcribere, non ut aliquid noui doceamus, ſed potius, vt quæ ſparſim à medicinæ authoribus ſcripta fuere, hoc loco oculis ſubijciamus, ac præponamus: libenterque hoc negotium ſuſcipimus, præcipuè, cum ſymptoma hoc facta à contendente re ulcera, ſæpius ſubſequatur, neque quæ dicemus à noſtro abhorreant inſtituto, & ea quaſi innouata, & à tenebris eruta fortaſſe ui debuntur. Sinuoſum, aut humidum vlcus illud appellamus, à quo longe maior, quàm vlceris magnitudini, quæ in ſuperficie apparet, puris copia egreditur: Sed cum hoc uarijs cauſis fieri poßit, ſumma diligentia, propria cauſa eſt exploranda, ſi recta inſtitui curatio debet. Humidum igitur ulcus fieri poteſt ex ingenti aliqua contuſione, in membro cum uulnere facta, ut fieri ſolet ſæpe in uulneribus à ſclopetarijs globulis illatis, qui vehementi ſua contuſione, non ſolum uulneratas partes, ſed uulneri circum iacentes, nonnunquam ita atterunt, & contundunt, ut oſſa percuſſorum membrorum, proluxentur uel ſubluxentur: quod quanuis primis diebus, aliquibus ſignis non pateat, poſt aliquot tamen dies, cum extenſa ligamenta, extenſique tendines, relaxantur, uel ob excitatam inflammationem, uel ob pus genitum, dolores inferunt graues, & maximi ſaniei efflu-

[Margin: Vlcus humidũ, & ſinuoſum quod.]

[Margin: Humidi ulc. uariæ cauſę.]

*effluxus, causa sunt: Neque mirandum, si primis diebus, proluxatio non animaduertatur, quoniam in proluxationibus, non ita ligamenta, ut in ueris luxationibus extenduntur: cum igitur minor fiat extensio, minor quoq; fit læsio, quæ quidem, cum parua sit, illi natura, quæ in ipso principio fortis existit, facilius resistit imbecillis, deinde reddita affectio fit manifesta, puris*q*; maximam copiam, si deinde effluere uideris, non est quo admiratione afficiaris, quippe scribit Hipp. in lib. de fract. cap. mirandum non esse, si uulnera talia, à contusione facta, maiorem puris copiam emittant, quoniam vulnerum à contusione factorum, proprium est humorum, & puris copiam magnam emittere: sic enim scribit: Telis*
autem id potissimum os scindit, & latentibus, & "
cõspicuis, collidit, & ita prorumpit, ut desidat, quod "
teretem, orbiculatum, planum, retusum, graue, & "
durum, idem quoq; carnem collidit, maturat, & la- "
cerat: uulnera præterea, sub huiusmodi telis, à la- "
teribus, & in orbẽ caua fiunt, purulenta magis, atq; "
humida, & longiori tempore purgantur: quæ om- "
nia, cum in uulneribus istis obseruentur, quorsum "
magnum humorum copiam, ab istis uulnerationibus "
profluentem, mirabimur? Cæterum ob ortam aliquam inflammationem, ulcera aliquando vltra modum efficiuntur humida, quæ uarijs modis ad abscessum, seu ad exiturã (ut cum Arabibus loquar) uel ad suppurationem perducitur, modo in ipsa corporis superficie, modo in profundo, modo propè ul-

cus ipsum, modo in remotiori parte, & pus modo in parte aliqua excipitur, modo per uulnus per giros uarios, & plexus descendit ita, ut ipsum ulcus quanuis exiguum uideatur, humidum tamen reddatur, ut fieri sæpe in vulnerationibus, à tormentis bellicis factis, vidimus: Humidum quoque vlcus redditur, quando os aliquod abscessurum est, vt 3. de fract. scripsit Gal. vbi oßis futuræ desquammationis signa
" describit, sic dicens, Pus copiosus emanat, quam par
" sit magnitudini vlceris: Tale etiam reddetur ulcus, si quid in ipso, quod præter naturam sit, detineatur, vt ferè fit in plagis, à bombardicis globulis factis: trahunt enim sæpenumero secum globuli, vel vestimenti, vel loricæ frusta, vel ferreos hamulos, quibus retentis, vulneris agglutinatio prohibetur, semperque pus tenuius, copiosiusq; quàm vulneris magnitudini conueniat, egreditur, ita vt humidum vlcus fiat, vt diebus superioribus, non semel dum mecum medicinam exerceres, animaduertisti, præsertim in vulnere Illustris Domini Astoris Baglioni, qui in Mirandulensi obsidione dum Mirãdulenses milites, qui ex præsidijs exierant, incursionesq; faciebant, acriter persequeretur, globulo sclopetario ictus fuerat, supra regionem oßis ilij, non procul à dextro inguine, cum fractura appendicis illius, ac transfixione (vt ita loquar) sexti, & septimi musculi, qui ad superiora crus mouent, & quanuis lorica ferrea esset indutus, globulus tamen profunde penetrauit, secumque frustula vestimentorum, loricæque ferreæ tra-

traxit, quæ ex vulnere nunquam exitura (ut scis) indicaui, ad id prædicendum ductus quod ex vulnere copiosißimum efflueret excrementũ: quapropter si in huiusmodi vulneribus, humorum ingentem copiam effluentem uideris, aliquid præter naturam, in vulnere detineri, iudicabis: Nonnunquam etiam peniculorum filamenta, in ulcere ab imperito Medico derelicta, vt sæpe obseruaui, vt pus copiosius effluat, vlcusq; humidũ reddatur, efficiunt: Humidum quoq; ulcus quandoq; fit, ex partis imbecillitate, ob saniem debilitantem, vt 4.4. cap. 28. scribit Auic. Rursus tale vlcus redditur, ex mala aliqua intemperie, in vlcere, vel circa vlcus ipsum existente, vel propter prauum humorem, in corpore illius, qui vlcus patitur contentum, qui quidem humor ad vlcus defertur, humidiusque, quam par sit vlcus reddit. Atque hæc quæ dixi omnia facilè conijcies, si probè causas omnes consideraueris. Sed si propter contusionem, humidius effectum vlcus fuerit, ex ægrotantis relatione dignoscetur, vel vulneris circulari figura, & tumore circa vlcus existente, ex vulneris inæqualitate, & ex dolore, quemadmodum Paul. in cap. de extractione sagit. dicit, vbi contusorum vulnerum signa, vt suo loco diximus, recenset, in quorum curatione, quæ proprio loco declarata sunt, obseruabis: Nullaque afficieris admiratione, si ex illis vlceribus, copiosius pus effluxerit, nec omnino laudabile, dummodo alio symptomate non corripiantur. Sed si ob inflammationem, quæ suppura-

Pus copiosi⁹ quã par sit, ĩ uulnere aliquid præter naturam detineri significat.

Quibus notis pus copiosum exire, ꝓpter contusionẽ cognoscemus.

Quibus notis humidũ effectũ fuisse

ulcus ꝑpter suppuratam inflãmationem dignoscetur.

ta fuerit, vlcus humidum sit, cognosces id, quoniam iam inflammationis signa præcesserint, dolores nempe pulsatiles, rubedo, febris, et durities, vt 14. met. scribebat Gale. quæ symptomata omnia remittentur, cum vlcus expurgari cõmode poterit. Si autem sinum aliquem esse, fueris suspicatus, specillo plumbeo, vel argenteo, ut nihil te lateat, explorabis: & si adesse sinum omnino perceperis, carne vt repleatur, operam dabis, modo exiccantibus medicinis appositis, modo instrumento aliquo in sinum ipsum iniectis, vt 2. ad Glauc. admonebat Gal. Verum cum huiusmodi medicamentis vti volueris, nunquid symptomata omnia remota sint, aduertendum est, dolor nempe, inflammatio, tumorque, ac nunquid amplius ullum futuræ inflammationis immineat periculum, quandoquidem talia si adessent symptomata, aut si inflammationis periculum impenderet, tuto his medicamentis vti non posses, vt 3. meth. longa oratione scripsit Gal. & vt nos experientia comprobauimus: huiusque rei ratio est, quia si in ulceribus istis, uel inflammatio, uel tumor existeret, medicamenta exiccantia qualia sinui conueniunt, ut carne replea tur, illa adaugerent symptoma. Nullo igitur existente vel dolore, uel tumore, uel inflammatione aut alio symptomate, præter cauum ipsum, vel sinum curationem hoc pacto institues. Primum lotiones aliquas leues, vt aquam hordeacem, cum melle ros. iniicies, idque magis facies, si adhuc ulcus aliqua inflammatione vrgeatur, vel si non longum tempus abie-

&2. ad Glau. & in lib. de tumo. præt. nat.

Exiccantibus medicinis utimur, remotis ab ulcere omnibus symptomatibus.

& 3. de cõp. med sec ge.
Quare existẽte aliquo symptomate exiccantibus uti non possumus.

Sinus curatio quomodo instituenda.

abierit, poſt quam receſſerit inflammatio: vel cum hordeo roſas decoques, uel ariſtolochiam, uel centaureum minus, uel maius, poteris etiam cum hordeo ipſo ſymphitum, rhus, aloen, & ſimilia concoquere, uel ſola etiam, uel cum roſaceo melle admixta, & ſi fortiori egere exiccatione videbis, mulſam ſolam inijcies, vel melicratum, vt Gal. 3. de comp. med. ſec. gen. dicebat, uel uinum cum melle coctum, uel ſimplex uinum, ſi tempus conſolidationis fuerit, vel thermarum aquam, qualis aqua Porretæ, uel aquam ſpōte à mineris ſcaturientem, uel aluminoſam aquam, uel lixiuium dulce cum melle, & ſimilia: vel prædictis decoctis, partem aliquam Aegyptiaci unguenti addes: confert enim ſupra modum ſinubus, qui difficilè conſolidantur, ut nos, & ratio, & experientia docuit. ſiquidē corruptam carnem exedit, & bonæ non officit. in ſinubus .n. ſæpius molles carnes generantur, quæ niſi remoueantur, optimā ſequi conſolidationē impediunt: ſed unguentum hoc, omnia quæ ſinubus ſanandis conducunt, præſtat: habenda tamen ſemper ratio eſt, in fortium medicamentorum uſu, ne ulcus ſcilicet inflammatione laboret, ut 4. meth. admonebat Gale. poſtquam ulcus laueris, illud exiccabis, aliquo unguento deinde penicillos, qui ulceri ipſi inſerantur illines, dehinc latum linteolum medicamento etiam aliquo idoneo illitum, ut diaphœnicino Gal. aut alio medicamento debiliori, uel fortiori, quod corporis temperamento non aduerſetur ſuperdabis, in linteo

Simplicia ulceribus exiccādis idonea

Aegyptiacū ſinuib⁹ cōſolidādis aptiſſimum.

Poſt ulc⁹ lotum quid faciendum.

Foramina ī linteo faciēda quib⁹ cōmode pus ex purgetur.

ipso foramina constituendo forpicibus, unde ulcus commodißime expurgetur, ut adducto loco Gal. placuit, ac si non ab re uideris esse, isis cephalicum cum cærato humido, uel ros. oleo colliquatum in sinum iniicies, aut diachartu, ros. oleo admixtum, tum ut eius acuitas remittatur, tum ut commode in ulcus ipsum demitti poßit, quod medicamentum in sinuum curatione Gal. 2. ad Glauc. commendabat. Post hæc membri cõmodum situm requires, ut pus sponte euacuari poßit, vt 4. meth. & locis adductis Gal. præcipiebat, modo lectum ipsum eleuando, modo deprimendo, modo membrum ipsum attollendo, modo demittendo, pro ut ulceris orificium consulet, & pro ut expurgabitur sanies, ut fusius docuit: Quod si cauus carne non replcatur, & non consolidetur, habita semper ratione habitudinis totius corporis, & generationis optimi sanguinis, tum qualitate tum in quantitate, ac aliorum de quibus 3. meth. Gal. meminit, in caui ulceris curatione, fortiora medicamenta extra poteris applicare, ex metallicis confecta, ut epispasticum de quo Gal. 5. de simp. med. facult. scribit, quod humorum fluxum prohibet, fistulasque sanat, & sinus exiccat, uel medicamentum ex squammis compositum, ut 4. de compo. med. sec. gen. idem docuit Gal. Cæterum post prædictas lotiones, & prædicta medicamenta sinui imposita, & iniecta, sinus consolidationem, puluillis fundo ipsorum sinuum appositis, curabis, modo neque inflammatio, neque aliud adsit symptoma, uel nouas

Isis cephalicũ & diacarthu finibus prosunt.

& in lib. de comp. med. sec. gen.

Situs mẽbri ut cõmode pus purgetur est quærendus.

Fortia medicamẽta quæ extra ulceri admoueri possunt. Epispastici uires.

Post lotiões quibus cõsolidatio sit curanda.

uas

uas ſpongias in decocto, quod ſcribemus madefactas, & expreſſas, circumpones; atque alligatio incipiat quidem in fundo ſinus, finiat autem ad os, & linteorum circumuolutiones fundum ſinus ſine dolore conſtringant, paulatim vero relaxentur, vſque ad os ſinus, vt 2. ad Glauc. dicebat Gal. ſi nouæ non adfuerint ſpongiæ, lineum pannum duplicatum, in lixiuio cum nitro noſtro, quod in vetuſtiſſimis parietibus colligitur, ebullitum capies, huncq́; pannum pro molli ſpongia, & noua, ſinubus circumpones: decocti deſcriptio eſt huiuſmodi. Sume nuces cupreſſi numero triginta, abſinthij, roſarũ rub. florum camomillæ, anethi, ſingulorum manipulum vnum, in vino omnia decoquantur ad tertiæ partis conſumptionem, & his ſi libet nõnunquam alumen rochæ addatur, ſed vas, in quo decoctio hæc ſit, optimè obturatum ſit oportet, ne vini tenuiores partes per halitum reſoluantur, & decocto hoc ſinum lauabis. Quod ſi validius optaueris medicamentum, exiccantia magis addere poteris, vt nitrum, alumen noſtrum rochæ, vel decoctionẽ illam cum aquis thermarum facies, & ſimilibus. quod ſi medicinis iſtis non agglutinetur ſinus, animaduertes, nunquid id, vel propter incommodam expurgationem, & propter puris retentionẽ accidat. quod ſi deprehenderis, opera danda eſt, vt viam, qua commode ſanies expurgetur moliaris, vt 2. ad Glauc. admonebat Gal. quandoquidem, ut aiunt, quod à putrido tangitur, putridum redditur: Expurgabitur autem com-

Decocti exiccãtis deſcriptio.

Contactũ à putrido putreſcit.

commodè, si sinus orificium angustum secueris, & ad effluxum puris, sectionem ipsam feceris: facilè enim hoc modo pus expurgabitur, & in fundum sinus facilius medicamenta immittentur, cum in hac parte, carne repleri sinus primum debeat, non in superficie: & si in fundo sinus pus detineretur, maior cauus efficeretur: Posses etiam lanceola sectionem ex aduerso facere, si non longè ipsius sinus fundus à cute distet: quod si sectionem hanc ex aduerso factam fœliciter cessuram non putares, vel quod opposita pars à sinu longè distaret, vel quia æger perpeti non posset, fistulam aliquam in fundum usq; sinus, immittes: deinde per fistulam, acum hamos ad modum ferri quo lanceæ muniuntur habentē, quam in picturis depictam uidebis, mittes: in cuius extrema parte, sericum insertum sit filum, hanc acum deinde manu impelles quoad aduersa sinus pars transfigatur, quam deinde euelles, sed filum sericū, quod secum acus traxerit, in mēbro relinques, ut inde facilius pus effluat, quod si ampliore foramine sit opus, aliud sumes instrumentum lanceolæ formam habens, & in extrema parte foramen in quo filū inseri potest, ut dictū est: huius tamen instrumenti cuspidem cæra obduces, ne in ingressu carnem compungat: cum uerò ad fundum sinus peruenerit instrumentum hoc, ad partem, quæ tibi ad sinus expurgandum commoda magis uidebitur, impelles, quo sanies poßit effluere: in sinubus enim dissecandis, nihil est utilius, quàm opportuna, & commoda sectio,

Instrumēta apta ad sin⁹ in aduersa parte secandos.

In dissecandis sinubus nihil utilius quam cōmoda sectio.

à qua

à qua facilè pus fluat, ut 2. ad Glauc. Gal. placuit, modo huiusmodi sectio, absq; neruorum, uenarum, arteriarumq; læsione fieri poßit, hac uia sinus facilè agglutinantur, sananturq; neque tot medicinis opus erit, siquidem natura ipsa, quasi sua sponte, sinus ipsos carne replet, consolidatq; ut Gal. Paulo, cæterisq; aßiduis Medicis placuit, & quemadmodum hoc etiam experientia comprobatur: Quod si in sinubus forte fortuna à carne cutis esset separata, nec ut fieri sæpe solet lotionibus, nec puluinaribus, nec comprimentibus cũ fasciatura expreßiua, ut aiunt, quemadmodum 2. de fract. Gal. docuit, nec spongijs circumiectis, nec cæratis, nec emplastris à Gal. descriptis impositis, ullo modo carni adhærere posset, totam illam cutem, secundum membri longitudinem, dissecabis. Sed cum maximum uideatur incommodum, tantam pellem nouacula (spathula lignea, prius sub ipsa cute posita, ut Pau. lib. 6. cap. de sinubus) dissecare, nostro instrumento in tabellis picto, facilè cutem illam uniuersam, quanuis sit multa, ad punctum temporis dissecabis, tuto, & pauco cum dolore, quemadmodum 14. meth. esse faciendũ scribebat Gal. Cuspidem igitur instrumenti nostri cæra inuolues, ne dum in sinũ mittitur, carnẽ lædat, quod ubi immissum fuerit, manum attolles, cutemq; uniuersam, una sectione præcides. Nec Bucasis forpicibus utaris: non enim commodæ uidentur in sinuum dilatatione, aut saltem paucis sinubus conueniunt: Quod si in cute duo sint foramina, aut plura

Cutis, q̃ carni adhærere nõ potest est dissecanda.

Instrumẽta ad cutẽ dissecãdam apta.

Bucasis forpices nõ aptæ ad sinus dilatandos

ex

ex Gal. decreto 2.ad Glauc. ubi de laceroso ulcere sermonem facit, foramina illa ad unum tantum foramen sunt redigenda, quoniam si à carne cutis separata sit, carni illa nunquam adhærere poterit, aptissimum erit ad id faciendum, nostrum instrumentum pro fistulis ani dissecandis fabricatum, & in tabellis descriptum, quod ea parte quæ specillum imitatur, in sinum immittes, & si uidebitur cõmodum, uel rectum, uel in partẽ aliam inclinatum, attrahes, facileq́; & cõmodè hoc instrumento, ex duobus foraminibus, unũ constitues, nulla supposita spathula, vt antiqui præcipiebant, & quanuis æger non quiescat, facilè tamen locum dissecabis. Post sectionẽ, sanguinis fluxum sistes, oui albumine, cum stupa, vel alia emplastica medicina: Sequenti verò die, vlceris curationem aggredieris, quemadmodum symptomata vlceri ipsi cõiuncta persuadebunt. Verum si propter ægrotantis impatientiam, qui potius vt 14.meth. scribebat Gal. maiores ferre velit dolores, ac diuturniorem curationẽ, quam incisionem, septicum aliquod appones medicamentum, si quæ in aduerso latere dissecanda cutis est, sit sinui proxima. Posses itaq; calcem viuam, cum sapone nigro, admouere, vt Paul. lib.6. cap. de palpeb. affectibus docebat, nam medicamentum hoc, calce recenti præparatum sit, in horam, si ad magnitudinem auellanæ admoueatur, cutem ad membranam vsq; carnosam, vel ad carnem vsque, cum pauco dolore aduret. sed si vetusta calce præparetur, intra duas, tresúe, aut qua-

Instrumẽtũ aptũ ex duobus foraminib⁹ ad unũ foramẽ constituendum.

Post sectionem quid faciendum.

Septicũ medicamẽtũ ad sinus aperiẽdos aptum.

quatuor horas, id præstabit, secundum partis, cui admouebitur, temperamentum, quod in admotione omnium causticorum non solum, sed in omnium medicamentorum applicatione est considerandum, vt 3. meth. ait Gale. nec totius corporis temperatura simpliciter exploranda, sed cuiusuis affectæ partis, vt eidem 1. ad Glau. placuit: pars enim ipsa affecta docet, quantum refrigerandum, aut calefaciendum sit, quantumq; sit humectandum, aut exiccandum, & præter hæc, non solum naturalis temperatura, sed aduentitia, quæ quandoq; propria sit, vt 8. meth. ait Gal. est consideranda: Sed vt ad rem redeamus, nec septicum hoc medicamentum, de quo paulo ante egimus, si plusquam par sit, loco cui admotum fuerit, adhæreat, ea quæ cætera caustica pareret incommoda: singulis enim horis, medicamenti huius vis imbecillior redditur, quare inter cætera medicamenta caustica, medicamentum huiusmodi comprobauimus. Admouere etiam poteris septicũ illud, quod paratur ex prima aqua, ex qua sapo fit, quæ magistra dicitur, quæ in vase æneo tandiu coquitur, vt ad mellis crassitudinem redigatur, sine alterius rei admixtione: quanuis nonnulli, chalcanthum, & similia addant, & septicum hoc præstantissimum est, & postquam aqua illa ad mellis crassitiem perducta, ab igne remota est, durescit, lapidescitq;, debetq; in vitreo vase optimè clauso seruari ac in sicco loco reponi. si enim secus fieret, in aquam rursus mutaretur. septico itaq; hoc quando vti volue-

Corporis totius tẽperatura nõ solũ cõsideranda ĩ applicatione omnium medicamẽtorũ sed cuiusque membri particularis.

Septicum aliud.

lueris, in cupa glandis, vel ſine cæreo ponatur, parti deinde per horam tantum admoueatur, quoniam citiſsimè operatur, hoc medicamentum, vbi remoueris, locum diligentiſsimè abſterges: niſi enim abſtergeretur, ſphaceli cauſa eſſe poſſet: Sed poſteaquam in huius ſeptici medicamenti mentionem incidi, publicæ vtilitatis gratia, quædam quæ tibi non ingrata futura arbitror, & quæ te mihi ſemper accepta laturum, certo ſcio, addam: neque me ab hoc propoſito nonnullorum ingratitudo (quæ in noſtra hac vrbe maxima eſt) remouebit, qui vt hæc noſtra diſcant experimenta, indigniſsimi ſunt: vincat tamen publica vtilitas, & quod fortaſſe aliquis, tanquam arcanum ſibi à dijs cõmiſſum, reticeret (quanuis vera eſſe arcana exiſtimem morborum eſſentiam cognoſcere, & in ipſo tempore medicinam facere) in omnium bonorum gratiam, quibus maiora, & meliora debentur, in publicum prodeat. Septicum hoc medicamentum, ſi in aquam verſum fuerit, atque illi quintam partem humanæ pinguedinis, vt penetret addideris, & partem etiam exiguam opij, ſupra modum tibi gratum erit: iſto enim commodiſsimè cutem, carnemq; perforare poteris, ſi hoc pacto eo vſus fueris, primum perforandus locus optimè abſtergatur, deinde baculo buxeo, vel oleagino (quod depreſsi ſpecilli formam habeat) in hoc medicamento madefacto, vel cuſpide ſpecilli argentei in huiuſmodi medicamento etiam madefacta, locus in quo debet fieri inciſio, ſecundum inciſionis magnitudi-

Septicũ ad diſſecãdum cutẽ, carnẽque ſine dolore mirabile.

tudinem, quæ fieri debet, perfricetur, dum perfricabis, colorem proprium perfricatam illam partem, mutare videbis, idq́; aduertes magis, si paulisper perfricationem intermisseris. Tunc autem alteratam partem illam lanceola scindere tuto poteris: leui tamen incisione, quod sine aliquo dolore fiet, quia pars illa, iam alimẽto destituta, & emortua non sentiet, deinde eodem specillo, vel ligneo, vel argenteo, vt magis commodum fuerit in eodem medicamento iterum madefacto, refricabis, & rursus partẽ illam, quæ post primam incisionem proprium etiam colorem mutauerit, secabis, hoc pacto perges, quoad profundam etiam sectionem, vt opus erit, feceris. Possem quoq; medicamenta alia septica recensere, quale illud esset, quod ex chalcantho, nitro, alumine, & similibus paratur, per artem chymicam, sed cum maxime penetrent, violentissimeq́; operentur, & propterea maximos inferant dolores, illa soleo ut plurimum respuere, quocirca ea silentio inuoluam: Hoc autem nostro medicamento, abscessus perforare quamplures poteris, & membra breui tempore, & ferè sine dolore, cauterio afficere: aduertendum tamen, ne ibi adsit inflammatio, aut aliquid aliud, quod locum illũ calefacere prohibeat: Nulla nec te capiat admiratio, licet omnibus abscessibus, vel partibus omnibus dissecandis, hoc medicametũ conueni re nõ dixerim. Siquidẽ si aliquẽ locũ aperire necesse est, libentius ego secundum Gal. & Pau. optimè scindente ferro aperio, quia incidens ferrum, partem in

flam-

flammatione non afficit, nec magnum dolorem infert, neque humores attrahit, igne quandoq; vtor, modo ægrotantes illum non formident, qui quanuis quibusdam formidabilis videatur: minorem tamen infert dolorem, quàm causticum aliquod medicamentum, aut ferrum, si Bucasi, & Halyabbati credimus. & prȩterquam quod minor accitur dolor, igne, particula inusta roboratur. & quod vix credibile videatur, igne statim ablato, nullus omnino sentitur dolor, perinde ac si nullo modo igne locus ille contactus fuisset, vt à multis, qui & caustica medicamenta, & incisiones, & ignem fuerant experti, didici. Ad hæc qui igni aperiuntur abscessus, rarißimè in vomicas desinunt: secus autem absceßibus, qui inciduntur sæpe obtigit. fit enim dum inciduntur dolor, & post ipsam etiam incisionem per horas aliquot ipse perseuerat dolor, & locus imbecillus redditur, ex quo fistulæ facilius nascuntur. Nos tamen in absceßibus aperiendis, omnibus antedictis modis vsi sumus, sed semper cum quadam præmeditatione: explorabamus enim abscessus, qui caustico medicamento tuto possent aperiri, & qui lanceola, & qui igne. sic etiam tu, vt facias consulo. quod si post illorum causticorum medicamentorum applicationem, cutem ad partem vsque in qua sinus est, dissecare volueris, aut escharam, butiro, aut tetrapharmaco remouere, id tuum sit iudicium: Si autem sinus orificium dilatare volueris, medicinis de quibus in cap. de oßis corrup. curatione egimus,

Ignis cōmoda ī abscessib⁹ aperiēdis

Ablato igne nullus sentitur dolor.

mus, vti poteris, & vt iam ostensum est, curationem sequi: Si ob os, quod desquammari debeat, humida erunt vlcera, specillo, nunquid os illud remoueri poßit inuestigabis, & forte in effluentibus excrementis, nigri aliquid perspicies: caue tamen, ne nigredo illa, quæ in medicinis ex mineralibus paratis apparere solet, te decipiat. siquidem ex vlceribus illis, quibus talia adhibentur medicamenta, effluens excrementum, nigredine aliqua semper affectum videbis: Itaq; nunquid in osse ipse coloris alteratio sit, quæ contracta fuerit, aut ex ictu, aut ex vulneris diuturnitate, aut ex sanie nitrosa, quæ ipsum os affecerit, aut ab aere alterante expendes, istis coniecturis propter os illud, quod desquāmari debet, humidum redditum esse vlcus videbis: Quod si os ipsum à natura non desquammaretur, ab optimo, & perito Medico, oßis pars illa alterata remoueri debet, alioquin humiditatem illam exiccari, aut vlcus consolidari, erit impoßibile, vt Paul. lib. 6. cap. de fistu. ait: Alteratam igitur oßis partem, vt probè remoueas, ea notabis, quæ proprio capite de oßis corruptione dicentur. Si autem ex alicuius rei præter naturalis retentione, humidius sit redditum vlcus, omnia quæ primis diebus, quibus acceptum fuit vulnus, contigerunt, tecum expendes, ægrotos interrogando, quomodo læsi fuerint, quæ ferrent arma, quibus induti essent vestimentis, hæc, & similia exquires diligenter, quandoquidem istis exacte perpensis, sæpe ad veram morborum cognitio-

Quibus notis humidū effectū esse ulcus, ꝑpter os quod desquāmari debet cognosci possit.

Et Cel. lib. 8 cap 2. & Gal 3. de fract. Humidū ulcus ex retentione rei ꝑter naturalis quibus possit cognosci.

Et Paul. lib. 6. cap. de fra.

tionem perducimur, vt lib. de fract. docebat Hipp. explorabisque recte, nunquid armaturæ aut vestimenti pars aliqua desit, quæ vel sola in vulnus ingressa sit, vel eam secum globulus traxerit, quod si in corpore aliquid huiusmodi, vel solum, vel cum globulo detineatur, non solum, vt humidum sit vlcus, in causa erit, sed vt nunquam consolidetur, & præsertim, si ferri frustulum sit detentum, quod ferrugine continue obducitur. Præter hæc videndum, nunquid in vulnere forte fortuna, ob Medici imperiti incuriam, penicillus, vel fila aliqua, quibus penicillus esset conceptus, relicta sint, quemadmodum nos sæpe ostendimus, in nonnullorum vlceribus, quibus alij Medici medicati fuerant, sed nisi aliqua adsit suspitio, quæ filamēta aliqua, aut penicillos à Medico in uulnere fuisse relictos, te moueat difficilè id cognosces. poteris tamen aliqua coniectura propius accedere, si causas omnes, quibus humidum effici vlcus potest, expenderis, inflammationem scilicet, contusionem, sinum, os quod desquammari debet, malos humores in corpore contentos, & tandem causas reliquas, quæ humidum vlcus possunt reddere, quas, si ad examen reuocaueris, & vtrum hæc res, vel illa, causa huius symptomatis sit, expenderis, propter quam causam humescat vlcus illud, tandem, assequeris: Ad hæc nunquid alia inconsueta alteratio in vlcere fiat, videbis, ut exiccatio propter aliquam inflammationem (nulla adueniente causa externa) vel excrementorum augumentum, quanuis prius

vlcus

vlcus exiccari, & consolidari videretur, eo tamen tempore, quasi vno impetu, pus copiosius defluere, quæ si animaduertes, statim in suspitionem rei alicuius præter naturam detentæ incides. quocirca, vt quod præternaturam detinetur deprehendas, specillo explorabis, illudque educere studebis, vel locum secando, vel exedentibus medicinis, vt res postulabit, quemadmodum in corrupto osse faciendũ etiam esse dicemus: Si vero aliquid in vlcere detineretur, quod putrefactionis expers semper esset, & quod consolidationem non prohiberet, in corpore illud permitti posset, quanuis morbus in numero esset, & toto genere præternaturam, ut calculus in vesica, & alia, de quibus Gal. in lib. de caus. morb. quæ euellenda, & remouenda esse idem statuit Gal. Penicillos autem Medicorum negligentia in vulnere relictos, in quodam nobili Ioanne Stanchino vidi, qui vulnus acceperat in tendine sexti musculi tibia mouentis, quod & in quintũ, & octauũ femoris musculũ, & ad ipsum vsq; urinariũ meatũ penetrauerat, ita vt quandoque per vulnus vrina egrederetur, & in sinu, quem vulnus istud fecerat, penicillus fuit relictus. quare quanuis Medicis vlcus istud per humidum videretur, in plenilunio tamen, exiccatum iri, & consolidatum sperabant, in plenilunio tamen, vulnus vniuersum, cuius labra ferè coinerant, apertum fuit, excrementaq; copiosiora effluxere, medicinis tamen post aliquot dies, ad priorem ferè consolidationem perducebatur: in sequenti autem pleni-

Peniculi in uulnere relicti.

lunio iterum eo quo diximus modo apertum vlcus fuit, & excrementorum copia effluxit, & hoc decies, & eo amplius in hoc vulnere fieri vidimus: singulis enim mensibus aperiebatur vlcus, & copia puris ingens emanabat: tandem natura penicillum excreuit, magnum quantus est digitus: post quindecim autē dies vulnus coaluit perfecte. Ratio aūt quare singulis pleniluniys vulnus istud aperiretur, & pus emitteret, esse potest, quia pars illa affecta, reddita imbecillior fuit, & cum in plenilunio omnium humiditatum fiat augumentum, vt in arboribus, & testaceis animalibus patet, humores facilius ad imbecillam, quam ad fortem partem, confluebant, adaucti itaque humores erumpebant, vulnusq́; aperiebant: memoriæ itaque fidæ hæc omnia mandabis. Sed si intus globulus plumbeus retineretur, vt eum euellas, ne sis solicitus: plumbum enim in corpore retentum, putredine non corripitur, & facilè in membris consolidatur: detentum siquidem in corpore plumbum per triginta annos vidimus, quod ægrum nullo afficiebat dolore, quanuis singulis diebus locum mutaret, quia ita sensim locum deserebat, vt ne perciperetur quidem, semper in loco, à quo discedebat, medicamentosam suam vim derelinquendo, tandem ad partem aliquam descendebat, in qua inflammationem, & abscessum excitabat, qui si secabatur, facillimè plumbum educebatur. Si ex partis imbecillitate humidius sit vlcus, cognosces, si nec sanici retentio, nec os abscessurum, nec aliud adsit, & tamen

In plenilunio omnium humiditatū fit augumentum.

Plumbum p̄ annos 30. in corpore retētum sine dolore.

Vlceris humidi ex imbecillitate notæ.

vlcus

vlcus non consolidetur, sed humidius semper fiat, quare roborantia adhibebis medicamenta. Similiter si vlcus esset propter debilem medicinam, fortius adhibebis medicamentum, quod si tale sit vlcus, propter sanguinem peccantem in quali, & in quanto, corpus purgabis, ut 3. met. docuit Gal. si ex fortibus medicinis humescat vlcus, illis remotis, modo debilia adhibebis medicamenta, modo fortiora: exterius autem aliquod ceratum, vel epispasticum Gal. admouendum. Si ex intemperie humeat vlcus, tum ex partis affectæ colore, tum ex tactu, tum à iuuantibus, & nocentibus, tum ex ijs, quæ ab ipso vlcere prodeunt, & ex multis alijs, quæ prudens nunc prætereo, cognoscetur. Sed si humida ista vlcera in iuncturis essent, ab istisque humor albumini ouorum similis proflueret, qui nihil aliud est, quàm tendinum excrementum, seu nutrimentum, quod vbi ad vlcus, vel ad partem imbecillam membri peruenerit, nec in alimentum verti poßit, ab vlcere egreditur: propterea cum huic vlceri quoque succurendum sit, nec exiccantibus illis medicinis succurres, de quibus paulo ante egimus: Sed vbi medicinas adhibueris, quales symptomatibus vlceri illi coniunctis conueniunt, ab initio præstabit, ex farina fabacea, & oxymellite, emplastrum confectum, calidum superdare, quandoquidem ab isto medicamento, illa exiccabitur humiditas: Neque mireris ex vlceribus in partibus huiusmodi existentibus, si multarum humiditatum effluxum videris, siquidem neruosarum

Vlceri humido propter medicamentum debile, uel propter peccantẽ sanguinem qũo sit succurrẽdum.

Vlceris humidi ex intẽperie notæ.

Vlceribus iũcturarum humidis quib⁹ medicinis sit succurrẽdũ.

Neruosarũ partium natura est, ut multa excrementa emittant.

rum partium talis est natura, vt multa emittant excrementa. Si tamen partibus illis robur addere optaueris, post aliquot dies, cum farina fabacea, furfurem, camomillam, flores hypericonis, nuces cupreßi in puluerem redactas, in vini sufficienti quantitate posses decoquere, omisso oxymellite, quod sua subtili uirtute ad profundas partes potest penetrare, uel similia addendo, vel remouendo vt res postulabit.

Medicamentũ neruosis partibus uulneratis robur addens.

De œdemate.

QVoniam œdemate vlcera quandoq; solent affici, propterea de tumore hoc etiam pauca dicere statuimus. præsertim cum contusis istis vulneribus affectio hæc sæpe obueniat: quid autem hic tumor sit, & quæ eius sit causa à Gal. 2. ad Glauc. & 14. meth. scribitur, & nihil aliud est œdema, quàm tumor mollis, indolensque, à pituita, quam flatus detulerit ad partem aliquam, genitus, vt ait Hipp. in lib. de flatibus, vel est tanquam symptoma in mala corporis habitudine, vel in aquam intercutem, sed de istis nunc nõ dicemus: Oedema itaq; in vulneribus vt plurimum prouenit, ex virtutis concoctricis membri imbecillitate, quæ à morbo facta est, ita vt sanguis, à natura ad membrum illud demissus, in alimentum non conuertatur, sed in flatum, & pituitam: Huius tumoris signa sunt, albedo, seu color morticinus (vt isti aiunt) mollities, quæ si tangitur digitorum recipit vestigia, & dolore caret. Curatur

Quid sit œdema.

œdema sępe uuln. accidit

œdematis signa.

tur autem medicinis partem roborantibus, videlicet calidis, & siccis, & ſtipticitatem habentibus, remota prius cauſa ſi adfuerit. Sed ſi vulnus adſit, non ita œdema te vrgeat, niſi forte tam magnum ſit, vt ad ſe curam trahat, ac ſi propter ipſum uulneris conſolidatio prohiberetur, œdemate affectum locum oleo tartari, vel myrthi, vel oleo laurino, & ſimilibus inunges, vel cærata cum aceto præparata, applicabis, & epiſpaſticum Gal. aut ſpongiam nouam cum leui faſciatura, in decocto quod ſcribemus madefactam, admouebis, ſed hoc facies poſt vulneris conſolidationem. Decoctum illud recipit roſ. rub. florum camomillæ, anethi, ſingulorum manipulũ vnum balauſtiorum, cuparum glandium, vtrorumq; manipulum medium, nuces cupreſsi numero viginti, florum ſalicis, manipulum vnum & ſemis, aluminis rochæ vnciam vnam, miſce, & in lixiuio bulliant, vel in vino nigro ſtiptico, ad tertias, in decocto hoc spongiæ nouæ madefiant, & parti applicentur, vel ſimiles alias adhibe medicinas, in forma emplaſtri, vel fomenti, modo cum ſtipticitate exiccent, & vniuerſum membrum, æqualiter faſcietur, & à ſpongia complectatur, vt 2. ad Glauc. & 14. meth. docet Gal. & alligatio in inferiori parte incipiat, finiat autem ad ſuperiorem, & linteorum circumuolutiones inferiorem partem conſtringant: in ſuperiori autem parte relaxentur, vt fieri in fracturis ſolet, & ſi spongia noua deſit, ſpongiam aliam in lixiuio, cum nitro, vt docet Gal. ſumes, apud quem, hæc, & plu-

œdematis curatio.

Decocti deſcriptio.

ra legere poteris, ſi cupis, & quanuis noſtrum nitrum, non ſit idem cum antiquorum nitro, eo tamen pro antiquorum nitro vti poteris.

De carnis additæ, atq; ſuperfluæ curatione.

IN vulneribus adeo quandoque caro excreſcit, vt vltra modum augeatur, vt Hippo. in lib. de vlceribus ſcripſit, ex quo compoſitus morbus fit, ex vlcere nempe, & addita carne, & morbus hic inter morbos in magnitudine reponitur, vt 3. meth. ait Gal. quapropter adaucta illa caro, auferenda eſt: Sed cum nonnulla, vt in de conſt. art. med. ait Gal. naturæ negentur, vt luxati membri repoſitio, & fracti compoſitio, & additæ carnis remotio, ac nonnulla Medico, vt carnis generatio: Proinde cum morbus hic in toto genere præter naturam dicatur, naturæque adauctæ carnis ablatio negetur, chirurgia, aut medicinis eſt auferenda, vt adducto loco, & alibi etiam dixit Gal. medicinæ ad id commodæ, exiccantes eſſe debent, vt 3. meth. ſcripſit Gal. ſed cum medicamenta huiuſmodi debilia, uel fortia, uel validiſsima eſſe poſsint, cauendum, ne in horum medicamentorum vſu, aliqua ſequantur incommoda: indicationes igitur à partibus, quibus medicamenta hæc admoueri debent, ſunt ſumendæ, vt longa oratione Gal. 2. ad Glauc. & 3. meth. ſcripſit, vbi à quibus indicationes ſint ſumendæ medicamentorum admouendorum docet: Atq; in appoſitione fortium medi-

Et Celſ. lib. 5. cap. 26.

Quędam medico, & quędam naturæ negantur.

4. de comp. med, ſec. ge.

Admouēdo tuu medica

medicamentorum, indicatione à partis sensibilitate ait, siquidem oculi, aut cerebri membrana, fortia ferre medicamenta non possunt: quo circa partium diuersam naturam expendes, an scilicet neruosæ sint, & ideo sensibiles: corporis etiam totius temperatura aduertenda, nunquid mollis, vel dura sit, quandoquidem corpora dura valida ferre possunt remedia, vt 3. meth. dicebat Gal. mollia contrario modo se habent. Si igitur addita illa caro, mollis, & pauca fuerit, in sensibili parte, atque in vlcere, futuræ inflammationis nullum impendat periculum, alumine rochæ combusto, solo, vel cum bolo armena admixto, auferetur, vt 4. 4. ait Auic. remouebitur etiam alio medicamento, quod alumen zuccarinum vocant, quod quidem medicamentum, quanuis ex multis constet, minus tamen mordicat, quã simplex alumen, quanuis sit combustum: idem præstabit hermodactilus, simul cum tartaro, vel cinere conchilium, seu testaceorum animalium, vt Paul. lib. 3. scribit. Ad hunc etiam vsum apta erunt filamenta, in muria madefacta & exiccata, calcitis, squamma æris, & hæc præparata esse debent, & combusta, vt docebitur, quo minus mordeant: Atque huiusmodi medicamenta, non solum adauctam carnem adimunt, sed quoque cutem generant, vt dixit Gal. in lib. de cõp. med. sec. gen. horumq; medicamentorum vsus est variandus, ad carnem additam auferendam, largius illis vteris, & in corpore humido, humidaq; particula, facilius operantur: Videndum

mentorũ indicatiões unde sumendę.

Et 4. de cõp. med. sec. ge.

Quibus addita caro remoueri posſit.

Et Gal. in de simp. med. fac.

præ-

præterea est, ne huiusmodi acria medicamenta admoueas, impendente aliquo inflammationis periculo: in partibus siccis, minori horum medicamentorum quantitate vtimur, & modicè etiam adhibita cutem generabunt: Quod si validior medicina placuerit, æris æruginem combustam, & purgatam admouebis, vt Gal. 5. meth. scribebat, quæ quidem æris ærugo, vt infra edocebimus præparatur. Verum si adaucta illa caro multa esset, & callosa, ad fortiora confugies medicamenta, vt ad aquam nostram, ad calchanthi oleum, vel ad aquã sulphuris, deinde sicca filamenta, & linteolum medicamento aliquo frigido illitum, superdabis, quod circumquaq; vulnus in latitudine trium digitorum contegat: aptißimum esset pompholigis vnguentum, vel album vnguentum Pauli, & circum circa defensiuo partes possent illini, vel succis frigidis madefieri, vt succo solani, plantaginis, & similium, vel adaucta illa caro, trochiscis de minio inspergi posset, deinde eschạræ casus procurari, postmodum ea vlceri adhibenda cura est, quam symptomata ipsi coniuncta exigent. Si medicamenta hæc defuerint, scalpello, vel nouacula auctam illam carnem posses remouere, vt Cel. suasit, & vt etiam ex Gal. elici potest, vbi vniuersaliter, de morbis in toto genere præter naturam curandis, loquitur, & 14. meth. quos aut igne, aut medicamento adurente, censet curandos: Quapropter si causticis illis medicinis, addita caro non remoueatur, vel si aliquid causticorum medica-

Et 4. de cõp. med. sec. ge.

Post acrium medicamentorũ usum, q̃ sint admouẽda medicamenta.

Caustica si desint ferro urẽdum aut igne.

Et 3. de cõp. med. sec. ge.

dicamentorum vsum impediat, forpicibus, vel nouacula eam præcides, deinde medicamentum aliquod quod crustam inducat, adhibebis, quod superfluæ carnis reliquias absumat, quemadmodum sæpe Paul. docet lib. 6. vbi de Thimis, & condylomatibus curandis agit: vel si morbi malitia, aut adauctæ carnis magnitudo, aut partis natura ferret, candenti ferro, superfluæ illius carnis reliquiæ remoueãtur.

De carnis callosæ curatione.

SI forte vlcus in labijs callum obduxerit, vt nonnunquam ex diuturnitate fieri solet, vt 4. meth. dixit Gal. & vt Cel. non tacuit, ex negligenti tractatione, dignoscetur, si vlceris ipsius labra non ruberint, sed albuerint, & si puris exigua effluxerit copia (nisi forte pus in sinu aliquo retineatur) & si specillo vlceris labia cõtigeris, & ab ægro paruus, in illo contactu, aut nullus percipiatur sensus: quapropter, si vt vlcus coalescat, optaueris, callus ille omnino remouendus est, vt 3. meth. scripsit Gal. qui symptoma est, curationem impediens, & eius sine quo non, rationem obtinens: natura itaque calli est consideranda, nunquid scilicet, mediocriter, an maximè dura sit, rursus nunquid callus ipse in vlceris labijs, an circa labra in parte extrema sit, vt Gal. 3. methodi docuit, & si extra, circum vlceris labia sit callus, mollientibus medicinis remouebitur, vt medulla ceruina, vel vitulina, & similibus de quibus

Callus in vlcere contractus, quibus cognoscatur.

Callũ remouẽtes medicinæ.

bus Gal.2.ad Glau.cap.de ſcyrrho agit, vel ſi hæc deſint reſina aliqua humida, vt idem 4.methodi docuit, vel vnguento baſiliconc, vt 4.4.ſcripſit Auic. Callus tamen raro extra vlceris labia contrahitur: ſi tamen contrahatur, medicinis iſtis tolli poteſt, & quanuis nonnulli ex noſtri temporis ſcriptoribus, eiſdem medicamentis, contractum in vlceris labijs callum poſſe etiam remoueri, dixerint: Gal. tamen callis ijs, qui extra vlceris labia ſunt, has ſcripſit conuenire medicinas, non ijs, qui in vlceris labris ſunt contracti, qui (vt idem 4.meth.ſcripſit) ferro, vel adurente medicamento ſunt amouendi, & ferro illo, ſiue frigidum, ſiue candens ſit, vniuerſus circumquaq; vlceris callus eſt auferendus. Cauendum tamen ſemper, ne vel vena, vel arteria, vel neruus lædatur: Poſtquam autem callum ipſum ſecueris, ſanguinis fluxum compeſces oui albumine, cum bolo armena, & ſale: Veruntamen cum nonnulli ægrotantes, nec exciſionem, nec ignem ferre valeant, nec calli omnes, vt igne tollantur, neceſſe ſit, libentius cauſtica adhibeo medicamenta, vel valida, vel minus valida, prout calli conſulit durities, quæ ſi mediocris ſit, vnguento apoſtolorum, Aegyptiacoue, vel puluere præcipitati, remouebitur: vel ſi hæc nõ contulerint, adhibeo trochiſcos de minio Ioannis de Vigo, qui fiſtulis conducunt maximè, cum eorum labia callum obduxerint, & quæ tunc veræ fiſtulæ poſſunt nuncupari, vt Pau.lib.6.ait, nec Gal.in lib. de comp.med.ſec.gen tacet, de quibus ſuo loco dicemus.

Callus extra ulcerislabra raro contrahitur.

Et Celſ. lib. 5.cap.de accident.

Calli qui in ulcerislabris ſunt, quibus remoueant.

Cauſtica callos remouentia.

mus. Trochisci itaque isti callos tollunt, qui cum duræ sint substantiæ, in cauos omnes possunt immitti, quanuis angustißimi sint, ex his trochiscis vnum in vlcus immittes, & vlceri circumiacentes partes, proprijs defensiuis munies, vt 4. de comp. med. sec. gen. in appositione omnium acrium medicamentorum, faciendum esse dixit Gal. frigidum deinde aliquod medicamentum superdabis, quale esset oui albumen cum aceto, exceptum stupa, vt humorum fluxus prohibeatur, butiro deinde escharam remouebis: Trochiscos hos, quos hoc loco sum descripturus Ioannes de Vigo composuit, quare illi medicamentum hoc acceptũ refero, nec Aesopico graculo volo esse similis, nec mihi, vt multi faciunt aliena vsurpare, nec me aliorum docte inuentis venditare cupio: neque enim doctos viros suis laudibus vnquam defraudare studui. medicamentum proinde istud egregium, omnium studiosorum gratia, ijsdem verbis, & eodem modo, quo doctißimus ille vir scripsit, describam: Sume igitur panis fermentati, vncias quatuor, sublimati argenti purißimi, vtrorumque vnciam vnam, minij vnciam mediam, panis in aqua rosacea, vel cucurbitea madefiat optimè, & dissoluatur, cui argentum in tenuißimum puluerem redactum, cum minio, & sublimato, superponatur, & optimè omnia misceantur. post hæc digitis rotulæ conficiantur, vel pastilli, & magnorum, & paruorum peniculorum formam referentes, qui in clibano tepido exiccentur, & ad vsum seruentur. Vbi crusta,

In appositione acriũ medicamentorum partes affecto loco uicinę defensiuo sunt muniendæ.

Trochiscorũ Io. de Vigo descriptio.

sta, seu eschara illa inducta, fuerit amota, digestiuo nostro loto vti poteris, vel alijs medicinis, prout res postulabit: vel admouebis vnguentum de colophonia, quo semper cum affecto loco medeberis, penicillos illines, vnguentum quippe hoc callos remouet: non tamen tantæ virtutis est, quantæ trochisci Ioannis de Vigo: quos tamen si non ita esse validos optaueris, sublimati partem detrahes, vel addes si validiores esse desideraueris: Trochisci etiam huiusmodi possunt in puluerem redigi, quo vlceris callum inspergere etiam poteris, vel peniculos qui in vlcus immitti debent, vel sublimatum, & argentum alicui vnguento admiscebis si videbitur, & eundem scopum vnguento hoc attinges, vel ad remedia quæ in cap. de oßis corruptione dicemus, confugies, quæ ad vlcera dilatanda, dedita opera scribemus.

Quibus modis pulueris sclopetarij granula carni infixa remoueantur.

SClopetarij vel bombardici pulueris granula, quandoq; in faciem, locumúe alium prosiliunt, quē non solum contundunt, sed nigredine affiiciunt, ita ut corporis pars illa turpißima videatur, præsertim si ita facies affecta fuerit: Huic igitur affectioni curatio etiam aliqua est adhibenda, & quanuis impactum nigrorem illum remouere sit difficile: nos tamen primi (quod quidem sciamus) huius affectionis curam inuenimus: in primis itaq; considera-

ra-

rabis, nunquid partes, ab huiuſmodi pulueris ſclopetarij granulis ictæ, coaluerint, an adhuc coaleſcere debeant. Si igitur recentes illorum granulorum notas videris, vlceraq; adhuc non coaluerint, ſumma cura, vt puluerem illum ab vlcere poſca abluas, vel vt ſpecilli cuſpide impactos granulos leuiter educas, operam dabis: deinde oui alborem admouebis, vt humores repercutiantur, ac vt dolor ab humorum defluxu excitatus, mitigetur: ſequenti die rurſus poſca vlcuſcula illa ablues, & ſpecillo iterum pulueris reliquias, quas poteris, remouebis: foraminaq; illa noſtro digeſtiuo loto replebis, partemq; illam, in qua illa vlcuſcula erunt, linteolo eodem digeſtiuo loto, vel oleo roſaceo cum vitello oui illito, per dies tres conteges, diligenter ſemper diebus ſingulis pulueris nigrorem poſca, vel ſpecillo remouendo, vſq; ad vlceris fundum, qui quidem nigror, ſi cum pure egrediatur, bene erit: ſin autem tantum Aegyptiaci quantum ſatis eſſe duxeris, in vlcera illa immittes, vt vna cum cutis, & contuſæ carnis exeſione, nigredo illa tollatur; ſin minus gutula noſtræ aquæ deſcriptæ, vel olei calchanthi, vel ſulphuris ſpecilli alicuius, vel lignei, vel argentei, cuſpide excepta, vlcera illa madefacies, & hoc pacto nigredo illa omnino remouebitur: quæ niſi iſtis modis auferatur, ſemper maculæ illæ nigræ apparebunt: nigredinem igitur illam vbi remoueris, vlcera vt coaleſcant curabis: coaleſcant autem facilè, ſi admoueris vnguentum de nenuphare citrino,

Quibus modis pulueris ſclop. granula in parte aliqua fixa remoueãtur.

in

in malo citreo factum: quod etiam, vt deformes minus reddantur cicatrices, conducit: Quod si iam ulcera illa coaluerint, notæq; illæ, ob Medicorum inscitiam, insignes appareant, partem totam nigrore infectam igne, vel medicamento adurente, auferes: si igne partem illam remouere volueris, ferrum specilli formam habens, sumes, quod ubi calefeceris, nigredine affectum locum sensim perforabis, & adures, quoad ad partem perueneris, in qua nulla amplius sit nigredo; deinde oui albumen cum aqua rosacea, vt ignis caliditas inducta mitescat, appones: Sequenti die butiro, vel alio medicamento ex dictis, cum de casu eschare ageremus, escharã remouebis, descendendo ad vnguentum citrinum: Medicamento autem adurente, sic maculæ illæ tolluntur: specillum ligneum, vel paruum, vel exiguum, prout magnitudo, vel paruitas maculæ, quam es remoturus exiget, fabricabis, quem in nostro illo medicamento, de quo in capite de sinubus diximus, intinges, locumq; in quo macula est, perfricabis, vt cutis, & pars illa tota, in qua nigredo est, cauterio afficiatur, sed cum exiccari cutem videris, eam lanceolæ cuspide aperire nonnihil conaberis, & rursus specillo in eodem medicamento madefacto, locum refricabis, vt profundius partem illam aduras, tandiuq; id facies, quoad nigror ille aboleatur; crustam deinde remouebis medicinis paulo antedictis, descendẽdo ad citrinũ vnguentũ, quod in calce huius voluminis, vnà cum multis alijs medicinis, describemus.

Ferro cãdenti qũo maculæ pulueris sclopetarij tollantur, & qũo adurente medicamento.

Duri-

Duritiei quæ in iuncturis remanet, post vulneris, vel vlceris consolidationem, curatio.

Post perfectam vulnerum consolidationem durities relinquitur, præsertim si vulnera illa in neruosa parte accepta fuerint, vt Cel. lib. 5. cap. 26. ait, quæ illius mẽbri motum impedit: Sed quoniam, vt eleganter Gal. in lib. de motu musc. scribit, tripliciter membra motum possunt amittere, aut propter humores exiccatos, vel propter tendinum, neruorumq; incisionem, aut propter eorundem corruptionem, quæ fieri solet, quando vulneribus abscessus, qui suppuratur, accidit, in quo copiosum pus colligitur, quod sua deinde acredine, & nitrositate, tendines, neruosque, & ligamenta corrumpere potest. Si igitur læsa sit iunctura aliqua, eiusque motus ablatus fuerit, ob corruptionem, vel vulnus, vel globuli ictum, qui tendinem aliquem ruperit, pristini motus restitutio, desperanda est, vt loco citato dixit Gal. quod si l.esio sit ex cicatricis duritie, vel ex humore aliquo in iunctura exiccato, vt sæpius fit, quẽadmodum dixit in de caus. morb. 6. mollientibus medicinis, & relaxantibus, recipi adhuc motus potest, vt adducto etiam loco Paul. dicebat, pinguedine anatis, vel gallinæ locum inungẽdo, vel ceruina, vel vitulina medulla, uel resinis aliquibus parum siccis, aut gummi aliquo pingui, aut althea in veteri oleo decocta, aut radicibus cucumeris asinini, in oleo

Tripliciter motus amitti potest.

Motus propter uulnus, aut corruptionem amissus, non restituitur.

Motus ex duritie cicatricis, uel ex humore exiccato, recipi iterum potest.

etiā decoctis, aut embrocis olei dulcis, aut decocto althææ, fenu græci, seminis lini, & similium, de quibus Gal. 2. ad Glauc. pluribus verbis tractat, cap. de scyrrho, & Paul. aptißimum etiam erit, medicamentum à Gal. 7. de comp. med. sec. gen. ex Diosc. descriptum, quod sic paratur. Sume cæræ lib. vnam, colophoniæ, galbani, iridis illiricæ, lib. med. olei irini, feculæ vini q. s. & secundum artem fiat vnguentum, quod optimum est, ad difficiles artuum motus, & ligamentorum omnium duritiem tollit: Sed irinum oleum secundum Diosc. descriptionem, parari debet, vt nos semper obseruauimus: vel transibis ad acopa medicamenta, à Gal. 7. de comp. med. sec. ge. scripta, semper corporis temperamenti, & naturæ, ratione habita: Siquidem si durioribus corporibus parandum sit medicamentum hoc pinguedinibus siccioribus illud parabis, vt ibidem ipse docuit: vel ad nonnulla nostra remedia experta confugies, vt ad oleum ex cæra pingui per chymicham extractum, quod quidem ad emolliendas durities præstantißimum est: maxime enim penetrat, emollit, ac discutit, nec vulgare medicamentum est ad cicatrices pulchras reddēdas, modo post aliquot dies, post uulneris consolidationem, eo vtaris, ne noua fiat inflammatio, oleum hoc sic paratur. Nouam cæram sumes, & quam maxime pinguem, quam in vase aliquo, igne modico colliquabis, & eam in vino sæpius manibus comprimendo lauabis, hanc rursus colliquabis, & in eam tegularum, vel coctorum laterum fru-

Medicamenti Diosc. descriptio.

Oleū ex cęra durities emollit & cicatrices pulchras reddit

Oleū ex cæra quomodo paretur.

frusta calefacta, & ignita, quæ cæram illam absorbeant, proijcies, frusta deinde hæc in vas (quod botiam flexam appellant) optimè luto sapientiæ obductum, ponantur, igni deinde vas admoueatur, & vas alterum, quod stillas recipiat, supponatur, prius aqua egredietur: vltimo tandem purißimum oleum stillabit, quo ad emolliendas durities vti poteris. Membra quoq; motu priuata, in veruecis recenter mortui viscera, immittuntur: Poteris etiam vino, in quo althæa, cum absynthio, & rosis decocta sit, vt emolliti humores discutiantur, affectum locum lauare, vel affectam partem, pyrite, vel molari lapide ignito, & aceto acerrimo asperso, suffies, vt 2. ad Glauc. admonuit Gal. Alio etiam vti medicamento poteris, quod capit, olei lumbricorum in duplici vase facti, olei amigdalarum dul. vtriusq; vncias v. olei antiquißimi vnc. iiij. pinguedinis suillæ, vel humanæ, si pro molli corpore paretur, vel si pro duro, pinguedinis bubulæ, vel caprinæ, pingue. gallinæ, & anseris, omnium vncias quatuor, radicum althææ, cucumeris siluestris, manipulum medium, in minutas partes incidantur radices, & in suprascriptis mittantur, cum vncijs quinque vini optimi, & in uase terreo, optime uitreato (ut aiunt) & optime pasta obturato, in furno temperate calido, ad uini consumptionem, decoquantur: Absumptum esse uinum cognosces, si olei guttam super prunas proieceris, neque crepitum faciat: Post hæc coletur, & quibuslibet, sex vncijs istius liquoris, dragmæ tres

Ad emollien das durities aliud medicamentum.

pulueris hermodactilorũ addantur, & ceræ quantum sufficit, ad molle vnguentum faciendum, quo affectum locum inunges. Post dies aliquot, si ualidius uolueris medicamentum, emplastrum diapyritidis Gal. admouebis, quod ad durities omnes emolliendas præstantissimum est.

Diapyritis Gal. præstans ad durities molliendas.

De osse detecto, & corrupto.

QVoniam post aliquot dies in vulneribus istis, uel ulceribus, oßis corruptio quandoque sequitur: De oßis igitur corruptione aliqua dicere statuimus, vt quæ ab antiquis medicinæ authoribus, pluribus tradita fuere, paucis tibi, hoc loco, ante oculos proponam. Corruptio itaque in osse fieri potest, ob multã aeris alteratione͂, uel ob saniei acredinem, quæ sua nitrositate ossa potest alterare, præsertim si sanies ipsa, in sinu aliquo cõtineatur, & in oßium porositatibus imbibatur, uel ob contusionem, ut ferè fit in ictibus sclopetariorum globulorũ, qui fortiter os percutiendo, ipsorũ oßiũ porositates possunt comprimere; & inde alteratio sequitur, idque manifestum tibi fiet, si primis diebus os denudatũ fuisse deprehenderis uel si multi dies abierint, neque ullo alio superueniente symptomate, ulcus non coalescat, uel si ægrum interrogaueris, nunquid in ictu ipso, percußionem, & concußionem senserit in membro: magis autem fies certior, si oculis os poteris conspicere, & explorare, nunquid proprium seruet colorem

Quibus ossa corrumpi, & alterari possint.

lorem vel nigredine ſit infectum, vel carie affectum vt Cel. dixit lib. 8. cap. 2. vel ſi tecum expenderis, nunquid ex puris generatione, vel retentione, os contrahere vitium aliquod potuerit, uel ſi ex vlcere copioſius, tenuiusque pus, quam vulneris magnitudo poſtulet, exeat, vt 3. de fract. de oſſe quod abſceſſurũ erat, dicebat Gal. ſi aliqua ex his, vel paulo ante fuiſſe, aut etiam nunc adeſſe, vulnus non coaliturum certo ſcies, niſi quod alteratum eſt os, aut corruptum, à natura expellatur, aut à Medico abradatur, uel medicamentis remoueatur, aut deſquammetur, vt Cel lib. 8. cap. 2. dicebat. Si igitur rectam volueris curationem inſtituere: inter cætera etiam, corrupti, vel alterati oßis ſubſtantiam, expendes, nunquid ſcilicet dura, aut mollis ſit, quales eſſe oſſium appendices ſolent, quæ naturaliter ſpongioſæ, & fungoſæ (vt ita dicam) ſunt, & qualia etiam nonnulla pedis oſſa, & brachialis, & manus eſſe ſolent, vel cartilagines, vel nunquid dura oſſa, ita affecta ſint, qualia grandia oſſa eſſe conſueuerunt: Deinde nunquid læſio in oſſe ſit duntaxat in ſuperficie ex aeris alteratione, aut ad medullam vſque os vitium contraxerit. Si os ſolum in ſuperficie ſit alteratum, nec carie aliqua laboret, ſpecillo non exacte acuto, neq; obtuſo, percipietur læſio, quia os lubricum eſſe cognoſcetur, nec in eo ſpecilli cuſpis figetur, vt idem adducto loco dicebat: cauendum tamen, ne forte ex poroſitatibus in oſſe exiſtentibus, in quibus ſpecillus figatur, affectum carie os putes

O 3 eſſe.

Oſſis corrupti, uel alterati ſubſtantia eſt conſideranda.

Q̃uo os in ſuperficie alteratum poſſit dignoſci.

Carie affecti ossis cognitio.

Ossis alterati curatio.

Auic. 4. 4. & Cels. loco adducto.

Quandiu os sit abradendum

Isis ossibus detectis amicum

Sarcotica qualia esse debeant.

esse. Carie autem os affectum esse cognosces, quia in ea solum parte, quæ carie laborat, non in alijs ossis partibus specillum sæpe si volueris imprimes: Si igitur absque carie os sit, & ab aere duntaxat alteratum, istud scalpello abradere satis erit, modo commode abradi posse videas, vt Paul. lib. 6. cap. 77. præcipit, & tandiù abrades, donec aliquid sanguinis appareat, ille quippe sanguis, indicabit vlterius alteratum os non esse, quia quod vitiatum est, aridum vt sit necesse est, vt Cel. lib. 8. cap. 2. dixit, post oßis abrasionem, puluere cephalico inspergendum os ipsum est, vt puluere ireos, aristolochiæ, panacis chironei, & similium, vt os tueatur, carneque tegatur: Vel oßi cephalicum medicamentum admouebis, quod capitale vnguentum, aut de betonica, aut matrisilua dicitur, aut adhibebis isis Gal. cærato humido temperatum, quod à Gal. in lib. de comp. med. sec. gen. in capitis fracturis, & in alijs oßibus detectis, commendatur. Cuius ratio esse potest, quia sarcotica omnia, calida, & sicca esse debent, vt iam ex Galeni sententia dictum fuit, calida, vt nutrimentum pro carnis generatione attrahant, sicca, vt illud à corruptione vindicent, quo deinde naturæ opera caro generetur. Sed medicamenta huiusmodi, magis, vel minus calida parari debent, secundum partium, quibus admoueri debent naturam: cum igitur siccæ naturæ os sit, calidiora, quæ illi adhibentur medicamenta, esse debent, & valide attrahere, vt etiam ex gummi cōposita, esse debent, quæ si pro

carno-

carnosa parte parentur, vt ab oßibus attrahant pro carnis generatione, calida esse necesse est, & sicca, propter sicciorem partem, quæ conseruari debet, vt 3. methodi scripsit Galenus, & hoc etiam in cartilaginibus obseruare conaberis. Si autem scalpro os alteratum remouere nequiueris, terebris aliquibus vti poteris, quæ per vlceris foramen mittes, & alteratum vniuersum os illud remouebis, vt in tractatu de fracturis apud Paulum legere poteris: Quod si, nec terebro, nec scalpello, propter vlceris angustiam vt aliquando euenit, alteratam oßis partem abradere, & remouere posses, ipsum vlcus tribus modis latũ reddere poteris, nempe si in illud aliquid, quod poßit intumescere, immiseris, & quod imbibendo humorem, vlcus dilatet, vt vitiatum, & corruptum os, quod abradi debet, detegatur: Hoc assequi poteris penicillis in fundum vsq; vlceris immißis, aut si vlceris ori, spongiam vino lotam, & exiccatam, apposueris, aut oui abumen adhibueris, cum forti ligatura, non remouendo splenium, vel penicillum vsq; ad perfectam ipsorum exiccationem, vel si loco spongiæ, vlceri radicem aristolochiæ longæ, & veræ imposueris, de clematide non loquor, quoniam admodum tenues radices habet, nec vt putant multi longa est, uel radices etiam aristolochiæ rotundæ, vel gentianam, quæ re ipsa cæteris omnibus præstantior est: nec mihi in hoc casu admodum spongia placet, quoniã adeo extenditur, intumescitq;, vt etiam ipsius spongiæ foramina, & porositates in se carnem

Si scalpello os nõ potest remoueri terebro utendum

Tribus modis dilatari ulcus põt.

Gentiana ad ulcera dilatanda pręstãtior cęteris.

Spongię usũ in ulceribus dilatandis, q̃ sequãtur incommoda.

recipiant, quàm si deinde volueris ex vlcere extrahere, carnem dilaniabis, dolorem excitabis, & sanguinem ad fluxum irritabis, qui deinde vt rectè os abradatur, impedit: Cæterum si sub vlceris foramen aliquis extaret sinus, adeo in inferiori parte imposita spongia intumesceret, vt euelli non posset, quare aristolochiæ radicibus, & gentiana, quæ vt docet Dios. exiccata sit in papyro inuoluta, aut ad vmbrã in pauimento suspensa melius vt poteris, & tutius. Quod si istis ad dilatandum vlceris os, vti nolueris, medicamento carnem exedente vti poteris, quo penicillos illines, & vnguentum nostrum de colophonia præstantissimum esset, vel trochiscos de minio impones, qui quamuis aliquem dolorem inferant: vlcus tamen dilatant, verum si trochiscis his vti uolueris, vlceri proximas partes defensiuis communies, deinde loco oui albumen, cum bolo armena, & oleo rosaceo impones, tum vt dolor sedetur tum vt confluentes repellantur humores: atq; ante horum exedentium medicamentorũ impositionem, corpus purgabis vniuersum, illud semper agendo, ne vlcus inflammatione corripiatur: sequenti die idoneis medicinis escharã remouebis, & contractam ex acribus medicamentis intemperiem, proprÿs medicinis remittes, ea semper adhibendo medicamenta, quæ in vlcere existentia symptomata exigent. quibus remotis alteratũ os abrades: At si medicamentis his uti nolueris, vlcus nouacula dilatabis, ac os vitiatum deteges, vt Cel. lib. 8. cap. 2. dixit: cauendo in sectio

Ante exedẽtium medicamentorũ impositionem, corpus purgandum.

ne

ne ne venas, aut arterias, aut neruos, aut ligamenta cædas, & sic facilior curatio sequetur, minusq; dolorosa. Si verò læsio ad medullam perueniret, totum os abradendum, vel terebrandum erit, ad sanam vsq; partem, quemadmodum medicinæ authores prodidere: osse enim aliqua in parte existente vitiato, nunquam vlcus coalesceret, quandoquidem ossa, vt in lib. de vsu par. scribit Gal. carnis fulcimenta sunt: quod etiam in principio lib. de oßib. (si liber ille legitimus Gal. liber est) scripsit. Quod si propter loci sensibilitatem, nec medicinis, nec incisione, propter neruos, venas, aut arterias, & similia detegere os liceat, cannulam ferream in vlcus immittes, deinde candens ferrum, per ipsam cannulam, quod ad os vitiatum perueniat, bis, terúe, secundum oßis corruptionem, mittes, & os hoc modo cauterio afficies. post inustionem medicamentum dolorem sedans adhibebis, vt oui albumen cum vitello si placet, & oleo rosaceo: super os autem stupam in vino madefactam pones. canna, & ferrum, quomodo esse debeant in picturis videbis. Oßis quoq; desquammatio posset fieri, medicinis super corrupta ossa, aut alterata, positis, quæ ut Paul. ait, lib. 6. cap. de fistulis, sua siccitate, os siccius reddere valeant, ex quo facilius à reliquo osse, id quod alteratum erit abscedet: commode puluis huiusmodi posset admoueri: sume æruginis æris, scrupulum unum, aristolochiæ rot. ireos, radicis panacis herculei, vel frustulorum ligni, quod in oppoponaco reperitur, quo-

Si læsum os ad medullã usq; sit, quid sit faciendũ.

Ossa, carnis sunt fulcimẽta.

Puluis ad ossium desquãmationẽ idoneus.

quoniam illius radicis ramenta sunt, omnium dragmam mediam, misceantur, & in puluerem redigantur: uel vitiatum os gutta olei calchanthi, uel sulphuris, per artem chymicham facti, tanges. aut nostra aqua bis, terúe, aut plus, aut etiam minus, prout uidebitur, madefacies: considerando principalium membrorum uicinitatem, & medicamentorum potentiam, & acredinem, ne errorem committas. deinde super os descriptum antea puluerem, sine ærugine pones, cauendo, ne ulceris labra acribus illis medicamentis tangas. & sic deinde permittes quoad sponte os ipsum cadat, uel abscedat, quod si abscessurum non speraueris, quæ paulo post dicemus obseruabis. Si uniuersum os uitium contraxerit, & carie totum sit affectum, si in conspectu os sit, uitiatum esse dubio procul cognosces, ex nigrore, & alteratione facta in colore proprio. præterea si specilli cuspide os illud perfricabis, in os specillus facilè figetur, ut citato loco Cel. dixit. Caue tamen, ne ut ante monuimus, ossis spongiosi, & maximè porosi natura, te decipiat, aut cartilago. præterea nigri ichores ab ulcere egredientur, os ita affectum si curare uolueris, scalpellis erit abradendum, quousq; ad sanum os perueneris, & nigredinē uniuersam amoueris, & quoad sanguis appareat, ut ex Cel. dictum fuit, deinde supra os cæphalicos pulueres iam dictos sparges, & si post abrasionem pars aliqua corrupti illius ossis relicta fuerit, eam adurente medicamento absumes, uel remouebis: quæ si medicamen

Os uniuersū uitiatū, quibus possit cognosci, & quibus debeat curari.

to

to non cædat, candenti ferro est adurenda, ut Celso, & Paulo placuit, tandiuq; candens ferrum admouebis, donec in osse existens humiditas, exiccetur, ut Gal. docuit, candensq; illud ferrum sæpius remouendum, & adhibendum, ne ex longa mora caro ipsa aduratur: aliquantisper tamen ferrum ipsum supra os est continendum, ut ignis uirtus in os imprimatur, & humiditas exiccetur: medicamenta deinde dolorem sedantia adhibebis, quale oui albumen cum rosaceo oleo, & ossi stupam in uino madefactam: ut paulo ante etiam diximus, impones: hoc modo uitiatum os à sano separabitur, & sinus carne replebitur. Quod si ad alteram ossis partem, perueneri corruptio, totum os excidendum, ut inquit Cel. siue os illud capitis sit, siue pectoris, siue costa, siue quod uis os aliud, quia inutile illud est, atq; illud præcidere est necesse. Sed si aliquod os transuersum fractum, corruptum sit, serra dissecandum est, ut elegantissimè docuit Paul. diligentiam adhibendo, ut lamina aliqua, uel linteis, uel lana, ne caro ossa ambiẽs à serra lædatur, prohibeas: quemadmodum Gal. fecit, cum puero integram costam amouit, de quo in lib. de anato. administ. loquitur: hoc etiam modo undiquaque, à carne denudatum os, dissecamus, ut inquit Paul. quanuis carie non infestetur, neq; sit corruptum. Nullo enim modo fieri potest, ut ossa circumq uaq; carne denudata, carne rursus contegantur, uerum in horum ossium pertractatione, affectæ partis cum reliquis partibus, cogna-

Quando totum os excidendum. Et Pau. lib. 6 cap. de fist.

Os transuersum fractum & corruptũ, serra dissecandum.

Carne circũ quaq; denudata ossa, rursus carne cõtegi nõ possunt.

Eodem tempore os detegendum, & dissecādum.

gnationem, & uicinitatem, considerabis, & morbi magnitudinem, & ægrotantis robur. Et si ossa excidere coactus fueris, ut eodem tempore ossa detegas, & incidas, operam dabis, aut saltem in sequenti die id efficies, antequam oriatur inflammatio, ut elegantißimè Cels. dixit: Nec audiendi sunt, qui osse nudato tertium expectant diem, deinde illud excidunt: Quod si commodè excidi os non poterit, nostra aqua forti, os ipsum madefacies sæpius, & quæ abscessura est pars discedet. uide tamen ne ulceris labia madefacias, quia maximè aqua illa penetrat, ita, ut non solum carnem, sed ossa, & quoduis lignū durißimum ualeat penetrare, quemadmodum ex lignarijs fabris, qui aquis fortibus, & per chymicam artem destillatis, ligna quouis colore inficiunt, discere poteris: ita enim aquæ illæ fortes ligna dura penetrant tota, ut quanuis ligni illius partem dedoles, semper idem color appareat. Habes igitur mi Ioannes Peline vulnerum omniū, & ulcerum, atq; eorundem symptomatum curationes tumultuario scriptas: quibus cum cæteris medicinæ candidatis fruere, breui dijs uolentibus à me maiora, utilioraque accepturus.

FINIS.

MEDICAMENTORVM OMNIVM

DE QVIBVS IN OPERE agitur, descriptio.



SI IN hoc volumine multorum medicamentorum descriptiones ex Galeno non adinueneris, non erit mirandum, quoniam trado, quæ à nobis pluribus diebus sunt comprobata, & quæ commode possunt parari, cùm multa, ob simplicium ingredientium defectum, conficere nequeamus.

Repercussiua medicementa pro parte carnosa sub forma linimenti, vel vnguenti.

RECipe olei rosacei optimi, vel completi: id enim præstans in omnibus compositionibus, vnc. vi. ros. rub. myrtillorum, boliarmeni, an. dragmam i. cæræ albæ quantum sufficit ad linimentum formandum. Sed pulueres in modum farinæ debent redigi: deinde cæra, & pulueres in ollam proijciantur: eaque paulatim ab igne remoueantur, illa continuè baculo, vel re simili, agitando, vsque ad totius vnguenti refrigerationem. Deinceps aqua rosacea, vel aceto si partibus carnosis parabitur, lauabis. Vel sic R. olei rosati omphacini optimi si haberi potest,

test, sin autem prædicti, vnc. v. boliarmeni drag. vij. aceti optimi, vel rosacei vnc. i. & simul omnia misceantur. Sed si oleum simile omphacino qualitatibus cuperes habere: in rosaceo oleo completo oliuarum folia minutim incisa, cum tertia vini parte, in duplici vase bullias, vsque ad vini consumptionem, quod cognosces, si olei guttulam supra prunas deijcies: si enim crepitum ciebit, signum erit vinum adhuc non esse consumptum.

Sub forma fomenti.

CApias balaustiorum, seu eorum loco cytinos, hoc est mali punici flores, gallarum, granorum myrti siluestris, rosś. rub. hoc est communium an. manipulum i. boliarmeni vnc. iiij. omnia decoquantur in vino austero nigro, illis prius concisis, quam optimè vas terreum claudendo, in quo vsque ad tertias decoquantur, in cuius fine, si pro partibus carnosis parabitur, addas aceti optimi decimam partē: postmodum membrum fouebis, aut stupa circundabis, vel linteis in prædicto decocto illitis, cum retentiua fasciatura, si ea egebis, vel aliud, quod facilius præparabitur conficies, capiendo albumina ouorum numero tria, boli armeni vnc. ij. aceti optimi, vel rosacei vnc. i. ß. albumina separatim concutiantur, vt eorum visciditas dissoluatur, postea pulueres, & acetum inijcies perfectè simul miscendo, quæ parti superponantur cū stupa, vel linteis: ista enim defensiua

ſiua, oleis, & vnctuoſis deſtituta, valde à nobis commendantur, quia particulam magis roborant, vehementiusq́; repellunt, & humores diſcutiunt: prædictis etiam poſſes quam plura alia repellentia addere, vt acatiam Arab. & aromatariorum, quæ quanuis ignoretur an ſit vera acatia: tamen re ipſa ſtiptica eſt, aut ſandalos omnes, corallia, roſ. & ſimilia: Aut vnguentum, quod ſic paratur. Recipe olei roſ. completi, vel optimè parati ex roſis, olei roſ. ompha. ideſt ex oliuis immaturis facti, an. vnc. v. olei myrtini vnc. ij. ſandalorum alborum, rubeorum, citrinorum an. drag. ij. boli armeni drag. vi. ſanguinis draconis in lachrymis drag. iij. in cuius defectu, potes adaugere quantitatem boli armeni, aut roſas in puluerem redactas, addes, cæræ quantum ſufficit. cui colliquatæ, & iuxta ignem lentum poſitæ, addes pulueres ſubtiliter attritos, baculo, vel ſpathula omnia ſimul agittando, vſque ad vnguenti refrigerationē, quod potentius efficies, ſi aqua roſacca, vel aceto laueris, atque erit fortius, ſi pro qualibet libra, ſcrupulum vnum camphoræ optimæ, etiam appoſueris. Nec miraberis, ſi cum oleis, vel vnctuoſis, parantur à nobis nonnunquā defenſiua, extra antiquorum ritum, quoniam non ſine iuſta ratione id agimus: Scis enim ex Gal. 3. meth. humores fluentes repellendos eſſe, fluxos vero diſcutiendos: cum ergo aliqui ſint fluentes, & aliqui fluxi. hi qui fluūt, à ſtipticis, fluxi vero ab vnctuoſis, propellūtur. hac igitur de cauſa talia nos repellentia cum vnctuoſis paramus, præ-

cipuè

cipuè cum ab eodem ſic literis proditum fuerit: Iam factam, atq; exiſtentem ægritudinem curare oportet: Sed quæ non dum quidem adeſt: futura autem, eſt prohibendum, ne fiat ab ea, quæ eſt in corpore diſpoſitione: quod etiam fuit confirmatum 14. methodi. Similiter ſi pro loco neruoſarum partium defenſiuum paramus, addimus (præſertim proceſſu temporis) oleum vermium terreſtrium, aut ipſos terreſtres vermes in puluerem redactos, aloen, thus, omittendo camphoram, ac acetum, niſi ſang. fluxus ſuſpicio id ſuadeat. Inſuper non eſt mirandum, ſi huiuſmodi defenſiuo calida addiderimus: Gal. enim 66. apho. 5. par. inquit partes neruoſas, calefacientia, & exiccantia deſiderare: ſic ſcribens. Maximè autem dolores patiuntur partes neruoſæ, quæ medicinas calefacientes, & exiccantes deſiderant. Quod etiam confirmatum fuit 4. de artic. Si enim inquit frigida admouerentur, conuulſionem excitare poſſent: quanquam frigida admouenda ſunt ratione repercuſsionis: tamen talia eſſe nõ debent, qualia pro partibus carnoſis parari ſolent.

Concoquentia, ſeu vt Barbari dicunt, digeſtiua, hoc eſt pus mouentia.

VArijs modis hæc confici poſſunt, ſed communiter ex vno vitello oui, olei roſ. vnc. i. ſimul permixtis: vel ſic. Recipe reſinæ tereb. optimæ ſeu laricinæ puræ, aut abietinæ vnc. i. & ſ. vitellum vnius oui,

oui, & etiam ſi placet, olei roſ. vnc. ſ. & ſimul miſceantur: poſſes etiã ſi videretur, modicum croci addere, pro ſedatione doloris, ſed ſi forte inflãmationẽ ſuſpicareris, reſinas prædictas laua modicum farinæ hordei benæ cribratæ addendo; vel ſic, & dicitur digeſtiuum lotum mirabiliſsimæ operationis, pro omnium vlcerum concoctione, dummodo bene paratum ſit. Recipe olei roſ. completi, terebinth. vel reſinæ prædictæ, an. vnc. iiij. cæræ parum, & fiat vnguentum, ſed molle ſit. Poſtea vero lauetur aqua pura pluribus vicibus: & hæc concoquentia ſemper mollia præparabis: hoc enim modo facilius actuantur, nec dolorem inferre poſſunt ſua duritie, vt rectè animaduertit eſſe faciendum Gal. vt iam dictum eſt: iſtud enim facilè concoquit etiam ſi vulnera eſſent inflammata. Inſuper niſi empiricum videretur dictum noſtrum, dicerem non ſolum concoquere, ſed ſæpius abſtergere, ac cauitatem replere. Secundum vero antiquos, vt apud Gale. hæc fiebant concoquentia: picatum, quod conſtabat ex pice, cæra, & oleo: Sed tanta quantitas olei eſt apponenda, ut medicamentũ liquidum ſit, quo facilius actuari poſsit, abſq; læſione; cuius virtus eſt dolorem remittere, & pus mouere, etiam ſi vlcus cum inflammatione ſit, vt in lib. de fract. fiebat etiam tetrapharmacum, conſtans, ex pice colophonia, cæra, & pinguedine taurina æqualibus portionibus, de quo Ga. lib. de elementis. Sed parabitur pro corpore duro cum pinguedine taurina, ſi pro molli cum vitulina,

at ſi conſtitues medicamentum hoc æquali portione videbis illud nimis effici durum. Ideo maiorem pinguedinis quantitatem, ob rationes ſupra aßignatas, appones: cuius virtus eſt inflammationes ſedare, vt 3. de fract. Gal.& pus mouere, vt 13. meth. quod vulneribus coctione egentibus admouetur, tandiù, donec pus laudabile appareat nullo alio ad ueniente ſymptomate. Siq́ue prædicta obſeruaueris, ex vnoquoque iſtorum optimam coctionem percipies.

De abſtergentibus.

ABſtergens leue, quod poni ſolet in vulneribus, poſt perfectam coctionem, tale eſt. Recipe terebenth. vel laricis, vnc.ij. mellis roſ.col. vel ſi mellis mordicationem times, ſyrupi roſ. vnc.i. farinæ hordei drag.ij. thuris ſarcocolæ, an. drag.s. aut abſque his duobus vltimis parabis. Omnia colliquantur in vaſe æneo ad ignem lentum, deinde ſicca in pollinem redacta proijciantur, ſemper cum baculo miſcendo, vſq; ad perfectam mixturam, ſed pulueres infundantur, cùm terebenth.& mel fuerint ferè infrigidata: Sic miſcendo vſq; ad perfectam infrigidationem. At ſi paraueris pro partibus neruoſis, pulueris lumbricorum partem aliquam addes. vt ſic. Recipe vng. raſini, vel baſiliconis, ſi vulnus in parte neruoſa ſit, vnc.ij. mellis roſ.col. vel ſyr. roſ. ex roſis aridis vnc.i. pul.lumb. vnc.s. quæ ſimul ad

ignem misceantur. Si vero potentiora desiderabis abstergẽtia pro ulc. sordidis, hoc est pro saniei crassæ abstersione, confugies ad ung. apostolorum: quod quanuis à Mesue, & à multis alijs describatur: hic tamen describendum censui, ut si forte iter aliquod facturus esses, & dosim memoriæ non haberes, tecum ferre tot libros cogaris, cum hic in ijs optime (ni fallor) tibi inseruire queat, hoc pacto igitur erit præparandum. Recipe armoniaci, bdelij, olibani masculi, hoc est thuris bene pinguis, aristol. rot. sarcoco. an. drag. v. myrræ, galbani, an. drag. xv. aloes, opoponacis, an. drag. ij. & s. floris æris, idest æruginis æris, sic Arabes uocant, longe enim differt ab æris ærugine, drag. iij. resinæ, drag. xiiij. ceræ albæ vnc. ij. olei q. s. Aduertendum tamen est in hac compositione, ut in alijs ingredientia bona, & præstantia esse debere: At hic gummata sint sicciora, quoniam hoc medicamento emollire non intendimus, sed exiccare, præterea cum vera myrra apud nos non reperiatur, potes accipere bdellium minus pingue, loco myrræ, quod dissolues in aceto, & lithargyrium cum oleo coquitur, donec liquefiat, & tunc ab igne remoueatur, & refrigerari aliquantulum permittatur: Cæterum adde armoniacum bdellium, & alia dissoluta, ad ignemq́; rursus reducatur, & cum coagulata fuerint ultimo, reliqua addantur. Aliud forte simile dictum ung. damascenum, quod sic fit. Recipe vng. rasini unc. ij. æruginis æris scrup. s. his ad ignem liquefactis, & parum deinde refri-

geratis, additur ærugo optime pulverizata, uel aliud fortius, quod isis cephalicum dicitur, quod sic paratur. Rec. cæræ drag. l. terebinth. puræ, uel laricis, uel resinæ abietinæ, dragmas c squammæ æris. æruginis rasæ, aristolochiæ rot. thuris, salis armoniaci, hoc est salis gemmæ, ammoniaci pinguis, an. drag. iiij. aloes combusti, drag. iij. æris usti drag. iiij. myrræ, aloes, galbani an. drag. vi. olei ueteris heminam mediam, idest unc. iiij. & s. aceti acris heminam i. hoc est vnc. x. radicum dracunculi, idest serpentariæ optime in vmbra siccatæ, drach. iiij. Quæ possunt pulverizari, in mortario diligenter terantur: quæ vero liquari, simul colliquentur, vt cæra, oleum, terebinth. &c. Sed galbanum cum aceto vna cum alijs maceretur: misceanturq; liquida simul secundum artẽ, vltimo manibus comprimendo, in aceto fortißimo q. s. lauabis. Sed æs vstum, & squamma præparanda sunt, quamuis à Gal. non recenseatur in illo libro, vt dicemus. Eo facto, emplastrum istud, diu in vase aceto pleno, antequam in vsu ponatur est seruandũ, cumq; sc occasio obtulerit, eo simplici non vtaris, sed mixto (vt declarabitur) cũ cærato humido, quod si simplex adponatur, valde exiccat, vt in fracturis oßiũ, & super ossa solũ cõfert nõ mediocriter ad morsus hominũ, & ad alios morsus uenenosos, ut sua exiccatiua virtute potẽti, uirus ad exteriora educat, ad neruos vulneratos, uidelicet si inflãmatione nõ infestabuntur, ad fistulas, ad sinus omnes, si colliquatum, & contemperatum

cum

cum oleo rof. fuerit, vel cærato humido, cohibet etiam futuros abſceſſus contemperatum, ſimplex vero exedit, ideo ad gangrænas prohibendas non parum proderit. At ſi cærato humido contemperatur, vlcera cauterio afficit, & cauos ſine mordicatione replet, & duæ, vel tres partes cærati humidi ponantur, vt monuit Gal. 5. de compo. med. ſec. gen. prout locus ſenſibilis, & temperamentum corporis, nec non morbus forti, vel leui exiccatione egere tibi videbitur. Sic enim ſecundum Galeni ſententiam medicamentum hoc fit leuius, & mitius, ex largiori humidi cærati admixtione. nec mirandum, ſi olei doſis alia eſt, quam à Gal. deſcribatur: ob additionem enim dracunculi radicum, & cæterorum, doſim variauimus, cum ipſe ſimile nunquam parauerit, nec ingredientium quantitatem docuerit: Modus autem, quo dracunculi radices parantur, talis eſt: eas colligunt tempore æſtiuo, iam caule exiccato, & herba, deinde amputant, & loco ſolem non habente, reponunt, tranſactis vero ſex, vel ſeptem diebus, radix in orbiculos, & fruſtula diuiditur, & filo traijcitur, ſuſpenditurq́; in loco, ſolis ingreſſum non recipiente, ex quibus ſic exiccatis huiuſmodi conficitur medicamentum, quod malignis vlceribus mirum in modum prodeſt.

Vnguentum Aegyptiacum abſtergens ſaniem craſſam, ac ſordes, quandoque admouere oportet, quod quidem putrefactam, & corruptam carnem valet exedere: bonam autem, & nullo vitio affe-

 ctam,

ctam, conseruare, quia virtus eius, cum valide potens non sit actuari, nisi in mollem carnem agere non potest, non autem in bonam, quæ solidior est. ideo valet ad abstergendã sordem, cuius descriptio secundum Gal. talis est. Recipe floris æris, hoc est æruginis æris, quoniam flos æris aliud est, nec capitur à Mesue, nisi pro ærugine, & mos Arabum sic est nominare æruginem, drag. v. mellis drag. xiiij. aceti fortißimi drag. vij. Coquantur ad ignem donec misceantur, & sic optimum erit. Puluis præcipitati cum valeat abstergere sordida, hic etiã inter abstergentia reponitur. Sed præstantius erit, si præparetur, quemadmodum dixit Gal. primo catag. de mysi, calcitide, squãma æris, atq; de omnibus mineralibus, quæ si aceto lauentur, minoris efficiuntur mordicationis, & validioris exiccationis, rationem & ibi reddit: quoniam vero metallica craßiorum sunt natura partium, ideo vim suam ad profundum corporis non extendunt, & ob hoc, vt tenuiora fiant, ipsa cõterere, & in aceto dissoluere conuenit: quæ postea ita attenuata, ad penitiora penetrant. Accedit autem, & aliud quoddam commodum, in huiusmodi medicamentorum confectione: quod diligenter elaborata, corporis meatus facillimè pertranseunt, & quanuis calidioris naturæ sint, sine morsu, munere suo funguntur.

Teratur igitur diligenter præcipitatum, quod præparari debet, deinde desuper acetum acre proijciatur & cum pistillo diu ducatur, & soli exponatur,

tur, sæpius agitando, postea acetum abijcies, cum in fundo subsiderit, rursus acetum acre, vt prius infundas, lauando, sicq́ue decies agendo, quo facto permittatur exiccari, demum in puluerem redigatur, & vsui seruetur. Si hoc modo præparatum fuerit præcipitatum, longe minoris mordicationis erit, & uehementioris exiccationis, & abstersionis: idem de æris squamma, præsertim combusta, dicendum: ex combustione enim (ut dictum est) metallica, atque mineralia acria, Gal. sententia loco præallegato, minorem retinent mordicationem.

De sarcoticis.

VNg. rasini talis est descriptio, & pro corpore molli, carneaq́ue parte. Recipe resinæ pini, terebenthinæ, cæræ citrinæ, olei communis, an. vnc. iij. dissoluta cæra, resina cum oleo, ultimo terebenth. omnia colentur, & in cacabo ad ignem lentum bulliant, deinde permittantur infrigidari. Aliud sarcoticum. Recipe terebenth. mel. ros. col. an. vnc. ij. thuris, aloes, sarcocollæ, farinæ hordei subtiliter cribratæ an. drag. i. dissoluta terebenth. cum melle, addantur pulueres, semper agitando vsque ad perfectam mixturam, quod si pro parte neruosa paratur, semidrach. pulueris lumbricorum terrestrium addatur: puluis sarcoticus pro parte carnosa. Recipe aloes sarcocollæ, an drag. iij. thuris pinguis drag. ij. mis. & subtiliter puluerizentur, cui posses addere

 arist.

arist.rotun. quartam partem. Aliud, quod dicitur vng. aureum. Recipe cæræ nouæ drag.i. olei communis vnc.iiij. terebenth. vnc.s. picis græcæ .i. colophoniæ drag.ij.thuris mastiches an.drag.i.scrup. i.croci scrup.s. subtiliter pulverizetur mastiche, thus, & pix per se primo, vltimo simul, & cribrentur. Deinde liquefactis oleo, cæra, vltimo terebenth.& ferè infrigiditatis, addantur pulueres, subsequenter crocus, omnia, vt supra dictum est baculo agitando. pro parte neruosa vng. basilicon maius. Recipe cæræ albæ vnc.ij. resinæ pini, terebenth.an. vnc.s. sebi vaccini, picis naualis, thuris, myrræ, an. drag.ij. scrup.ij. olei communis vnc.iij. quæ sunt terenda, terantur, primo per se, vltimo simul, & cribrentur. Deinde quæ liquescere possunt, dissoluantur ad ignem lentum, vltimo terebenthina, in æneo lebete: quo facto superdatur pix, postremo alia: collentur deinde simul, permisceanturq́; vsq; ad infrigidationem: pro corpore duro. Recipe vng. damascenæ vnc.i. rasini vnc. iiij. misceantur simul, & ad ignem lentum cum baculo agitentur, ne pulueres fundum petant. Vel Reci. isis cephalici drag. iij. vng. rasini vel digestiui loti, aut cærati humidi drag.x. misceantur cum spathula, vel Recipe vng. apostolorum drag.iij. vnius ex prædictis vnguentis vnc.i.& s.misceantur: ex istis enim potes per te met ipsum fortia, & leuia conficere medicamenta, prout videbitur, & quantitatem exedentium, vel mitium medicamentorum augebis, prout erunt corpori

ri duro, & parti neruosæ ac siccæ, aut molli applicanda, cæratum humidum Gal. parabitur ex oleo ros. & cæra alba, ex quibus nos sic conficimus. Recipe olei ros. optime parati, vel & melius completi libr. i. & s. cæræ albæ libr. v. & ad ignem simul dissoluantur: isto enim cærato, isis cephalica, & prædictorum acuitas reprimitur.

Diacalcitis Gal. sic paratur.

R. adipis vetusti, quem nonnulli axungiam appellant libr. i. olei veteris libr. ij. argenti spumæ libr. iij. calcitidis vnc. iiij. sed cum careamus vera calcitide, accipias partem superficialem albicantem, quæ reperitur super chalcanthum romanum, nec vt faciunt multi, debet poni chalcanthum, quoniã pars illa superficialis, est tenuioris, & subtilioris virtutis, & penetrationis: sicq; paratur. mundatur adeps à pelliculis, postea cum oleo simul dissoluatur, distilleturq;, & perfectè mundetur, vt nulla membranula remaneat, & cum emundatæ fuerint addantur spuma argenti, & calcitis, deinde ad ignem lentum carbonum coquantur, vsque ad perfectam cocturam, & ad formam emplastri, & inducantur ramuli palmæ, qui si æstas, vnius diei, si verò hyems duorum sint, & si haberi non potest, eius loco accipiantur radices arundinum, vel baculus salicis recentis, vt nos libentius agimus, scindendo in frustula, quæ cum baculo salicis recentis ducan-

ducantur vſque ad finem, cuius virtutes declarantur à Gal.longo ſermone in lib.catag. Sed talis deſcriptio mollibus corporibus præſtãtius inſeruit, vt pueris, mulieribus, & in ocio degentibus, vt inquit Gal.quàm duris. Si autem pro corpore duro, vt pro ruſtico, vel robuſto, volueris parare, nec artem vna cum alijs ſtudioſis empirice exerceas, ſecundũ duas deſcriptiones parabis vt hoc modo. Recipe calcitidis vnc.v.vel vi.olei veteris, lithargirij, an.lib. iij. adipis vetuſti, quam axungiam vocant, libr.i.& vt diximus decoquantur. Ex quo mirum non eſt, ſi variæ apud Doctores poſt Gal. reperiantur deſcriptiones iſtius medicamenti.

Vnguentum citrinum.

SVme boracis, hoc eſt naturalis, quo aurarij fabri vtuntur drag.ij. camphoræ drag.i. corallorum alb.drag.i.amenti dulcis drag.ſ. vmbilici marini veri, tragacanthæ albæ, amyli, marmoris, cryſtalli, antalis, dentalis, olibani, nitri, an. drag. iij. marmoris albi drag.ij. gerſæ ſerpentariæ vnc.i. ceruſæ vnc.vi.teratur omnia per ſe, in marmoreo mortario piſtillo ferreo, deinde panno cribrentur: deinde ſume axungiæ porcinæ libr.i. & ſ. ſebi ouis, vel capræ recentis vnc. i. & ſ. pinguedinis gallinæ recentis vnc. i. axungiæ in duplici vaſe ſimul liquefiant, & colentur, in quas, pulueres omnes, præter camphoram, & boracem inijciantur, & cum baculo

lo agitentur optimè, quo inuicem omnia probè misceantur: Post hæc citrum assumes, quem excauabis, & mixtura illa replebis, ac igni admouebis, vt bulliant, semper etiam baculo agitando: Rursus mixtura illa in citro ebullita, in vas proijciatur, & illi borax, & camphora adijciantur cum frigescere cœperit, & ad vsum seruetur: Sed quid pro amento dulci sit accipiendum, paucis expediam: Assumenda est superficies illa alba, & perlucida, quæ supra gipsum reperitur, quæ à nonnullis non sine ratione lapis specularis dicitur, à vulgaribus verò alumen scaiola nuncupatur, sed combusta esse debet. pro antalo, & dentalo, lapides illi, qui in marinis locis reperiuntur assumendi, quos aromatarij corrupta uoce his appellant nominibus, à Dioscoride lib. 2. cap. 2. buccinæ nominantur, quia sonum ad modum buccinæ inflatæ reddunt, & concha est clauiculatim intorta, & turbinatu scabra, sine aculeis, magnitudine purpuræ inferior, buccino turbinato, quo sonus editur similis, excepto ore rotundo in marginem inciso, à Plin. cerix, Latine murex appellatur. pro gersa serpentaria, radix aron vulgaris, seu serpentariæ minoris præparata, quæ sic ad mulieres fucandas paratur. colliguntur dracunculi minoris radices, & optimè mundãtur, lauanturq́;, quæ minutim incisæ, filo inserto ad vmbram exiccantur, deinceps in puluerem redduntur, qui aqua rosacea inspergitur, & Soli expositus exiccatur, rursus iterum aqua rosacea inspergitur, & iterum

exic-

exiccatur Soli expositus, & id quinquies fit, vt perfectè puluis ille albescat. Atque hic puluis etiam solus conducit ad faciem dealbandam, si cum aqua florum fabarum, aut limonum sublimata, miscueris, & faciem perfricaueris, deinde mane aqua faciem laueris.

Vnguentum album Pauli.

Recipe ceræ dealbatæ vnc. vi. olei ros. completi, vel optimi ros. simp. libr. i. & s. spumæ argenti, cerusæ, an. vnc. ij. amygdalini olei vnc. iij. albumina ouorum v. & misceatur oleum cum cæra ad ignem lentum, deinde amygdalinum addatur, quibus ferè infrigidatis, ouorum albumina bene quassata, addes, donec incorporentur: Istud enim valet ad omnes inflammationes, & tam ad vlcera, quàm pustulas, vt per ingrediētia patet, & præsertim ad ignis combustiones, & inter cætera mollia medicamenta, cuti non adhærescit. & hoc patet cum linteolum à particula remouetur, quod perpauca alia faciunt, & talis compositio non est mutāda, & si in quibusdā codicibus reperias amyli vn. iij. quemadmodum in multis codicibus scriptum vidi, sed in meo tam Græco quàm Latino codice, legi amygdalini, loco amyli, & ego amygdalino semper composui, & fœliciter operatur. verum curaui semper, vt haberem amygdalinum nuper confectum, cum illud oleum facile corrumpatur.

Aliud

Aliud album commune.

Recipe olei rosſ. completi, vel optimi ſimp. vnc. ij. cæruſæ optimæ vnc. i. & s. ceræ albæ vnc. i. liquefacta cæra cum oleo, apponatur cæruſa ſubtiliter puluerizata. vltimo cum roſ. aqua lauetur, vel omittatur. quod ſi volueris eſſe cæratum de minio, loco ceruſæ accipies minium commune, quod eſt ſandix Gal. & rectè nuncupabitur vng. ſandicis, & ſic præparatur. Recipe olei roſ. completi, vel optimi, terebenth. an. vnc. ij. ſandicis. i. minij noſtri unc. iij. ceræ citrinæ vnc. vi. & s. & ſimul ut dictum eſt miſceantur. cui ſi addere uis unc. i. tereb. potes, ſecundum tuam intentionem.

Vnguentum de tutia.

SVme olei roſ. omphacini, olei roſ. completi, olei caparorum, an. vn. vi. olei myrtini, vnc. iij. vng. gal. vng. populeonis, an. vnc. ij. foliorum plantaginis, centaurij minoris, ſolani, lapatij, an. man. i. & s. Herbæ incidantur craſſo modo, & ſimul infundantur per ſeptem dies, deinde parum bulliant, quo facto colentur: cui adde ceræ albæ quantum ſufficit ad formandum vng. molle, poſtmodum ab igne remoueatur, & ſæpe baculo agitentur, donec tepida fiant. vltimo hæc addes, ſpumæ argenti, & auri, in vnc. ij. & s. tutiæ præparatæ drag. ij. recrementi plumbi drag. vi. hordei combuſti, ſtercoris canini,

an.

an.drag.i.& s.camphoræ bene purgatæ drag.i.boli armeni orientalis drag.i.& s.& omnia bene misceantur in mortario plumbeo & ducantur per horam secundum artem.

Vnguentum de molybdena.

RECipe olei rosſ.aceti fortis, an.vnc.iij.molybdenæ pul.vnc.ij.in mortario plumbeo per horam simul ducantur, vsque ad perfectam mixtionem secundum artem.

Vnguentum colophoniæ.

RECipe thuris,aluminis rochæ,arsenici,an.vnc.v.olei camomelini vnc.v.colophoniæ, resinæ pini,terebenth.an.vnc.iij.resina pini,colophonia, & oleum sola,ad lentum ignem liquefiant,& colentur,cui colaturæ addantur terebenthina,& pulueres, & cum refriguerint, addantur aceti fortissimi vnc.ij.cum baculo agitetur, donec simul omnia probè admixta sint, & fiat vng.

Diacadmia epuloticum ex Gal.2.catag.

RECipe cadmiæ ex vino præparatæ, calcitidis vstæ,an.vn.ij.cæræ vnc.x.colophoniæ vnc.viij vini optimi quantum satis est. Calcitis,& cadmia in vino terantur, vt humidi cærati spissitudinem habeant.

beant. cæram, & resinã in frusta diuisam in vas fictile immittito, atq; his olei myrtei lib. addijcito, deinde carbonibus superponito, continuè agitando, cum soluta fuerint, ab igne tollito, vbi refriguerint, radito, leuigatisq; indito, ac mixta excipito, in vsu oleo myrteo subigito.

Puluis cicatrices inducens Gal. 5. Catag.

REcipe calcis viuæ drag. iij. mannæ thuris, idest furfuris thuris, squammæ æris, an. drag. ij. omnia per se puluerizentur, vltimo simul misceantur. Istud etiam optimum est epuloticum.

Cæratum de spuma argenti sic paratur.

REcipe lithargirij libr. i. olei vetustißimi libr. ij. & s. aceti acutißimi vnc. vi. coquantur oleum & spuma argenti simul, ita vt manus non inquinent, vltimo acetum addatur.

Epispasticum Gal.

REcipe spumæ argenti, cærusæ, salis, an. vnc. x. olei veteris sextarium vnũ, hoc est libr. i. & s. sal, cærusa, spuma argẽti ex oleo ipsis adiecto teruntur, deinde curiose mixta, & in vase fictili cocta, assidueq; mota, donec nõ inquinẽt, deinde in mortario transfusa, rursusq; tunsa excipiuntur, & vsui sunt.

Pro

Pro ſinubus in eo cap.

PAmphilon ad ſinus conglutinandos, ad vlcerum fluxiones, ad oculorum epiphoras, hoc eſt lachrymarum fluxum, fronti impoſitum. Recipe ſpumæ argenti drah. l. cæræ drag. xxv. tereb. thuris, an. drag. xij. & s. cæruſæ drag. l. aluminis ſciſſi, quod vulgo vocatur flos petræ vnc. i. piperis albi drag. i. & s. olei veteris heminas duas, hoc eſt libr. xviij. & ſecundum artem componito.

Quanuis in noſtro hoc opere meminerimus de trochiſcis Muſæ, & Paſionis: hic eos tamen non deſcripſimus, cum ob nonnullorum ingredientium penuriam parari non poßint, ſed duntaxat Andronij, qui ſic parantur. Recipe cytinorum, hoc eſt florum malorum punicorum drag. x. gallæ drag. viij. myrrhæ, vel eius loco bdelij, mali terræ, hoc eſt ariſtolochiæ, an. vnc. s. chalcanthi, aluminis ſciſsi, hoc eſt aluminis plumæ an. drag. ij. miſios cypri, hoc eſt ſuperficies albicans in chalcanthæ cyprio drag. ij. paſſo hoc eſt vino facto ex vuis, vel ſapa, omnia hæc ſimul diluantur, & rotulæ formētur ex Gal. catag.

Diacarthu Gal.

REcipe ſquamæ, gallæ, myrrhæ, an. drag. viij. ſandaracæ, quæ eſt ſpecies auripgmenti rubicundioris, arſenici, elaterij, an. dragm. iiij. thuris drag. iij. atramenti ſcriptorij, ideſt chalcāthi drag. iij. car-

iij. cartæ combustæ quantum satis est ad inducendum colorem, deinde cum sapa trochisci conficiantur: ex Gal. catag.

Pastilli Ioannis de Vigo præstantissimi.

RECipe panis fermentati crudi vnc. iij. argenti sublimati finissimi drag. i. aut plus, minusúe, prout intendere, & remittere istorum pastillorum vim volueris, minij, drag. v. panis cum ros. aqua, vel cucurbitæ, dissoluatur cum pistillo in mortario, cui addatur argentum sublimatum, optimè in modum farinæ redactum, vltimo minium, vel si eos optas alterius coloris habere, carbones subtiliter pul. vel terram nigram melanteriam dictam, postea orbiculos ad nucleorum pineorum figurā finge, vel placentas, aut alias figuras, quos in furno tepido exiccabis, eosq́ue seruabis.

Diapyritis.

SVme bituminis, spumæ argenti, an. vnc. ii. & s. picis, cæræ, an. vnc. i. pyritis, idest marchasitæ, terebintih. an. drag. xxv. propolis, quæ vulgo cæra vergine dicitur, aluminis scissi, an. drag. xv. ammoniaci pinguissimi vnc. i. & s. galbani, aloes, an. vnc. i. æruginis æris, mannæ, an. drag. v. olei vetustissimi sextarios duos, hoc est libr. iij. coquitur oleum

cum argenti ſpuma quantum ſatis eſt, deinde adĳciuntur bitumen, cæra, pix, reſina, propolis, quibus liquefactis, refrigeratisque, ærugo, & lapis pyrites immittantur, deinde cum vas ab igne remotum fuerit, & quæ in eo fuerint modice refriguerint, amoniacum, alumen, galbanum, manna inĳciantur, & poſtea in aquam frigidam immittantur.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM quæ in opere continentur.

A

INDEX.

D

Fra-

Gan-

Igne

In-

Mem-

Mos,

Pus

R


S

Vlce-


Vul-

FINIS.


Crus infaſciatum.




Crus faſciatum.




Inſtrumentum ad globulos euellendos.



cuellendos,




andos.




ceps con

ostrum c


Instrumenta ad ſinus diſſecandos.
Cauterium cum Cannula.
Acus cum Cannula.

S


Forceps concaua.
Rostrum coruinum.
Forceps dentata.

ILLVSTRISSIMO SIMVL, AC PRAEEXCELLENTISS, PARMAE PLACENTIAEQ. DVCI OCTAVIO Farnesio.

IO. FRANCISCVS ROTA S. P. D.





OLITI sunt Clementissime Princeps qui animum ad scribendum appulerunt, si cui suas lucubrationes nuncupant, id ea potissimum facere de causa, vt illius cui eas scribunt nomen reddant illustris, posterisq; commendent. Alij verò non ea tantum ratione moti, verum vt ijs, à quibus beneficia aliqua acceperunt gratificentur, ne aut immemores acceptorum videãtur, aut sibi neglecti officij dicam scribi committant. Demum non pauci ideo faciunt, vt aliquid ab eis, quibus eas dicant vicissim habeant, atq; emungant. Ego vero hoc qualecunque opusculum nomini tuo consecrare volui, vt tutius sub tuo patrocinio in lucem ederetur: hoc vnum mihi persuadens, si te semel exorauero, quod quidem me facturum spero, vt has meas vigilias tibi consecrari non graueris, me non frustra operam nauasse, neque oleum (vt aiunt) & operam perdidisse. Quandoquidem tu is me hercule es, qui si

libellum in tutelam susceperis, possis omnium sycophantarum calumnias facillimè abigere. Nemo est enim, qui omnium suorum inimicorum iniurias longius magisque strenuè, repellat. Nam si ego coner, quod alios dicebam, nomen tuum præclarius reddere, vel tantillum quidem ad Serenitatem ac Celsitudinem tuam adiungere, nihilo sanè plus agam, vt Terentiano illo vtar, quam si dem operam, vt cum ratione insaniam. Nam vt alia omittam, quem mortalium omnium præterit, te ex ea illustrissima Farnesiorum prosapia esse, quæ vel antiquitate, vel nobilitate, vel virorum illustrium copia, qui indè tanquam ex equo Troiano milites exilierunt, nulli aliæ in tota Italia cedat, sitq; secunda. Etenim quid ego dicam de summo illo Petri Vicario PAVLO aut tuo Pontifice Max. nunquam satis honorato? qui ita sanctè & tandiu pontificatum suum summa cum diligentia gessit, Christianamque religionem sibi D. O. M. nutu traditam protexit, auxit, conseruauit, nostramq; Italiam in pace custodiuit, vt illum tota posteritas lugeat, suspiciat, ac veneretur. Quid de amplissimis fratribus tuis, ac Reip. Christianæ columnis? Sanè quantum illi inter cæteros Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ prælatos præeminentiæ ac dignitatis habent, tantum tu inter omneis Italiæ, ne dicam Europæ Principes excellis. Taceo nunc animi tui dotes, quas si enumerare velim omnes, tantum absum, vt id præstem, vt ne cogitatione quidem complecti vllo modo possim: vereorque, ne merito quis dicat, me niui albedinem, aut igni caliditatem afferre velle. Et sanè (vt verum fatear) cum mecum Excellentiam tuam perpenderem, multum diuq; dubitaui, ne quid existimationi tuę decederet, neúe alij à cætero minore tui admiratione tenerentur, ꝙ non magis te suspicerem ipse, quam vt tam vile exiguumque munusculum tibi vel inuito obtruderem: non secus

cus

cus atque rustici quidam ineptiores solent, qui cum egregiè à se honoratum volunt hospitem aliquem, ita illum, licet inuitum deprecantemque pyris, malis, alijsq; id genus nugis à se oneratum dimittunt: vt nec ponderi ferendo vllo modo sit par, & omnino non habere hospitem ruri malit, quam eiusmodi subinde xenijs honorari. Veruntamen cum me nonnulli ex amicis intimisque meis familiaribus rogarent, atque efflagitarent, & præsertim Petrus Paulinus Gallus inter cæteros Philosophiæ ac Medicinæ studiosos non contemnendæ nec vulgaris eruditionis, qui me quum Bononiæ in publicis administrationibus anatomicis, quas ibidem pluries administraui, tum in artis ipsius vsu, seu praxi (vt aiunt) exercenda, est secutus: vt quid ipse sentirem de vulnerum à nostrę tempestatis tormentis bellicis illatorum curatione sibi exponerem, ac in compendium reducerem. Sanè non potui amicis honesta præsertim petentibus, & præclara cupientibus studium & operam meam denegare, nec ipsis morem nõ gerere: & si scio non defuturos vitilitigatores, qui laborem meũ tanquam superfluum calumniari conentur, dicantq; me in surdam tellurem contumelias iacere, & vmbram hominis mortui affligere. Quibus sic responsum velim, me non mortuis, nec contra mortuos verba facere, sed eorum scriptis tanquam sibi ipsis si viuerent respondere: non enim aliud si adessent, quam quæ iam scripta sunt in medium producerent: sunt enim illorum monumenta satis firma testimonia eorum, quæ mente concipiebant ipsi. Quod si inter ipsos diuersa nimirum sentientes, & contrarias opiniones asserentes litem iuxta mei ingenij vires coner dirimere, ac iudicium meum, in quibus mihi à ratione & experientia videntur aberrare, subscribere: sanè id nemini mirum videri debet: nam si mihi hoc ipsum vitio, aut crimini detur, profectò vix vnus Philoso-

losophorum ac prudentum, qui hactenus scripserunt culpa carere poterit, nec crimen euitare. Non quidem diuinus Hippocrates, qui antiquorum Medicorum sententias tanquam à iudicio rationis aberrantes refellens, suam, vt veritatis amator, scriptam reliquit: nec Aristoteles qui non solum cæterorum omnium Philosophorum, sed etiam præceptoris sui Platonis summi Philosophi opinionem acerrimè reprehendit, viuisque rationibus redarguit, ac confutauit. Denique si diligenter adamussim inspiciamus pauci admodum erunt, qui non vnà mecum taxandi veniant. Mea tamen parum refert quid inuidi dicant, dummodo sapientes in trutina examinent, quis nostrum propius ad veritatem accedat. Quid opus est plura? sanè ità antiquum est, nullum scribendi modum mordacitatem posse effugere, vt huius rei etiam Plato meminerit. Igitur vt redeam vndè digressus sum, cum mihi in animo esset, hoc opus præfinire, ac Serenitati tuæ qualecunque consecrare, me IO. ALFONSVS MAVRELLVS, qui inter tuos aulicos tui & est obseruantissimus, & omni erga te officio, vel potius pietate fidelissimus, ac promptissimus, ab equo non satis cicurato in tibia non exiguo calce ictus oblæsusque, ad se curandum vocauit: quod quidem cursum meum non parum accelerauit, ac veluti (quod aiunt) currenti calcar addidit. Tibi itaq; hoc leuidense munusculum offero, dico, ac consecro, rogoque ne graueris sub tectum ac patrocinium tuum recipi, & posteritati donari. Aiunt enim, aliquid liberalitatis etiam in accipiendo esse, putantque, non minus regium esse parua interim ab amicis tenuioribus fronte hilari, quum offeruntur, accipere, quam vel maxima dare. Ità laudari solet magnus ille Persarum Rex Artaxerses cognomento Memor, qui cum rusticus aquam vtraque manu è proximo haustam flumine obtulisset, benigno

gno illam, iucundoque vultu accepit. Et de rustico altero sibi ingens malum porrigenti, per solem, inquit, hic vir is mihi esse videtur, qui ex parua etiam vrbe magnam possit efficere animum, videlicet eius, à quo dabatur magis spectandum ratus, quàm quod offerebatur munus. Vale.

M D LV.

EX HIERONYMI FRACASTORII SYPHILI, PVLCHERRIMA tormenti bellici descriptio excerpta.

FOrte per vmbrosos syluarum plurima ramos
Aßidue volitabat auis: quæ picta nitenteis
Cæruleo pennas, rostro variata rubenti,
Ibat natiuo secura per auia luco.
Has iuuenum manus vt syluas videre per altas:
Continuò caua terrificis horrentia bombis
Aera, & flammiferũ tormẽta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane tuũ, dũ Theutonas armas,
Inuentum, dum tela Iouis mortalibus affers.
Nec mora, signantes certã sibi quisq; volucrem,
Inclusam, salicum cineres, sulphurq; nitrumque
Materiam accendunt seruata in reste fauilla.
Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circumsepta, simulq; cita obice rupto
Intrusam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula: & exanimes paßim per prata iacebãt
Deiectæ volucres. magno micat ignibus aer
Cum tonitru: quo sylua omnis, ripæq; recuruæ,
Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.

IO. FRANCISCI ROTAE
PHILOSOPHI AC MEDICI BONONIENSIS CLARISS.
de Bellicorum tormentorum vulneribus, eorumque curatione liber, in quo præterquam eius Medicinæ partis quæ manu curat totius ferè, Enchiridion ad quottidianam medendi exercitationem, habetur.

Omnium etiam qui in hanc usq: diem de hac re scripserunt, uel placita corriguntur, uel rationes penitus euertuntur.

PROOEMIVM.



E VVLNERVM quæ ab horridis ac trististibus belli tormentis fiunt, natura, præsidijsque & curatione: tametsi alij anteà tractauerint: scribere quoque ego agrediar, quoniã qui de his huc usque disseruerunt, è numero quidem eorum non videantur qui satis in rebus naturæ contemplandis, versati sunt. Itaque sciens quàm sæpè, quamq; facilè à falso sub specie recti, opinanteis decipiamur, de his sic scribere consti- Occasio scribendi. Opinãtis sæpe decipimur.

tui, vt Philosophus exactißimè ratiocinari, non autẽ quod fecisse alios constat, luscioſe opinari videar: tum vt quicunq; non sensu, sed animo hæc quæ scribam æstimare voluerit, veritatem, ad quam maximè nati sumus, sumere facilè poßit. Ab ipsorum autem tormentorũ ratione initium ideo petere in animo est, quoniam quàm utile in uulneratis sit substantiam materiamúe, magnitudinem, figuram, nec non læsionis rationem considerare, nouerint etiam mediocriter in Chirurgica exercitati. Summatim igitur iam de eorum conditione differam.

In uulneribus quid obseruatu utile

De tormentis bellicis. Cap. I.

Arietum, catapultarum, scorpionum, balistarum & testudinum loco arcibus inexpugnabilibus expugnandis, bombardam, nouo sanè & vulgari nomine appellant (hominum an cacodemonum, dicam nescio) efferata ingenia excogitarunt. Immanis cuius atque horrendi tormenti autorem casum & fortunam alij faciunt. Alij verò pulueris nomine, & occasione idem repertum fuisse (quod nostra non interest disputare) contendunt. Porrò bombardæ omne genus priscis ignotum, inuisúmque fuisse facilè credi potest. Nec enim adduci possum, vt credam, quod aliqui tamen enixè affirmant, Virgilium machinam hanc illis descripsisse versibus.

Inuentionis tormentorũ opinio.
Bõbarda priscis ignota.

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi

VI Aeneid.

Quatuor hic inuectus equis, et lampada quassans
Per Graium populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum, cursu simularat equorum.

Etenim cum nihil prorsus bombarda à fulmine, quod maximè imitatur differat, non dixisset Poeta, & non imitabile fulmen: imò si hanc aliquando cognouisset, fulmini non solum æquasset, verum fortassè etiam summopere prætulisset, quoniam illi non tam in multis sit similis, verum & pluribus quoque præstet. Siquidem terrenum hoc telum, cœlesti fulmini, quod vbi ventus rupit nubem, exarsitque, & ignem habuit est, similem generationē habet: Hocque atque illud impetu conglobatur. Illud aurum & æs, & argentum eliquat intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Hoc carnem terit, & ossa infringit, armaturis & vestimentis intactis. Militi enim in Ingolsthadij obsidione (A. Vitellio peditum duce strenuißimo referente) sphærula bombardica cum supra cubitum, quo armatus erat transuolasset, & radium, & vlnam pannis interim atque armaturis illæsis attriuit. In hoc atque in illo commune contingit fulgetrum prius cerni, quàm tonitrum audiri, cum simul tamen fiant, nec mirum, quoniam lux sonitu velocior, & etiam quati prius omne, & afflari quàm percuti: nec quemquam tangi qui prior illius fulgur, aut tonitrua, huius verò coruscationem, & bō-

Bōbardæ ad fulmen collatio.

Plin. lib. 2. capit. 45.

bum audierit. Atque quidem hæc ſunt, quæ ſimilia habent. Si verò ſingula ſingulis referre velimus, fulmen ab hoc telo eò ſuperabitur, quoniam fulminum alia non adurant, ſed diſsipant: alia nõ vrant, ſed infuſcant, hoc autem & vrat, & diſsipet, & infuſcet: fulmen hyeme & æſtate rarò fit, Scythæ, & circum rigentia, & Aegyptum id nunquam experiuntur. Ex ijs quæ terra gignuntur lauri fruticem non icit, ex marinis vitulos, ſicut nec è volatilibus aquilam percutit. At qui hoc omni tempore omni loco, aere vel mitiore vel nimboſo offendat nulli arbori, nulli piſci, nulli aui, nulli denique rei parcat, non profanis, non ſacris. Porro bombardis hoſtes (nihil enim adeò aut ſtabile, aut firmum reperitur, quod non harum impetu deiectum facilè diſsipetur) quoſcunque lapidum ordines deijciendo muros & mœnia demoliuntur, arces & turres deijciunt, ingentia ſummiſque ſumptibus erecta ædificia diruunt: quod ſi hoc loci conſtitiſſet, res ferì æquo animo etiam potuiſſet. At verò ſolicitudo, vel furor potius humanus huiuſce generis facilè portatiles machinas cum adinuenerit, atque ideò Martis gloria ſuccumbat, militare ſtudium honore vacet, nec uigor aut robur cognoſci queat, non eſt quod ſtrenui, & generoſi alioqui milites amplius intrepidè aduerſus hoſtes vel pugnent, vel cum illis concurrere ſtudeant, cum ne quidem ingenio, non viribus ab hoc vno telo quis tutus euadat. Quinimo aduerſus hoc inermem, armato pugnare præſtat, quo-

Bõbarda q.l fulmini præſtet.

Plin. lib. 2. cap. 52. & 57

Bombardæ deteſtatio.

quoniam quæ ad ſui tutelam quis aduerſus hoſtes arma induxerit maiori ſibi ſint futura detrimento, idq́; potiſsimum cum eò iam deuentum ſit, vt ne quidem formidabili huic tormento quid addere etiam diligentiſsimus artifex poßit: rudiorem etenim tametſi hoc originem habuiſſe exiſtimetur: tercentum nihilominus annorum ſpacio, à quo tempore tam impium, tamq́ue horrificum excogitatum ab inferis emerſit, & elegantius factum, & in tot formas effictum eſt, vt nec quidem plures ad maiorem hominum internecionem excogitari queant. Hinc magna huius generis tormenta, hinc mediocria, hinc parua, hinc breuia, hinc longa, hinc igne, hinc ſilicibus coruſcantia. De quibus quæ concinnè valdè A. Bocchius ex Arioſti materno carmine nobis latinè ſerio luſit, adſcribemus, vt quadantenus agnoſcantur myſteria eius ex illa maieſtate, quæ quidem ad rem noſtram pertinere maxime videntur. Ponam igitur carmen vbiq;, nõ ibi tantum legi digniſsimũ.

Tormenti genus horrificum, Bombardula vulgo
Dicitur, & ſclopus à ſtrepitu. Hoc antiqua priorũ
Gens non ulla oculis hauſit, non auribus unquam.
Ferrea longa duas eſt fiſtula circiter vlnas,
Intro ſulphureus nitro, & carbone ſaligno
Arte laboratus puluis demittitur, inde
Sphærula de plumbo penitus caua viſcera cõplet,
Impulſa oblongæ valido ter robore virgæ.
Per tenuem rimam, vix dum ſpiramine tacto
Exurgit foculus. Rapidi tunc fulminis inſtar

Sphæ-

Sphærula tesserulis imas animata medullas,
Aut scobæ ferri elimata conspersa rigentis,
Mox excussa tonat, perterricrepo igne coruscat,
Latè vrit, penetrat, labefactat, disiicit, æquat
Cuncta solo, quacunq; agitur, furit impete vasto:
Pone micat veluti fulgur, disploditur ante.
Sydera celsa tremunt, tellus quatefacta vacillat
Sub pedibus, resonant horrendis omnia bombis.
Telū ardens frangit, minuit prorsum obuia quæq;,
Nulli dat veniam, stridentia sibila torquet.
Vulnificum infringit calibem, durißima quanuis
Saxa terit, reserans sibi iter quocunque feratur.
Impius ille sator scelerum, humanæque salutis
Peruersor stygius teli exitiabile monstrum
Istud adinuenit non multum dißimile illi,
Quo summus nubes aperit pater igne trisulco.
Hinc mare veliuolum, terras petit indè iacenteis
Haud aliter, quàm cum primæuæ infanda parētis
Supplicia expendit fatalis noxia mali.
Machina tartareis euecta ab sedibus vsque est
Vltricum instinctu furiarum, in luminis horas.
Cuiusdam ingenium atq; industria Teutonis olim
Res alias atque alias arte experiente magistra
Exacuendo aciem mage mentis, repperit vsum
Denique lætalis iaculi. Tunc Itala tellus
Tellus alma viris, dein Gallia nobilis, atque
Oræ omnes adeò mundi didicere subindè
Scilicet istam artem, quæ non crudelior vlla est.
Aera cauas fundit vastis liquefacta caminis
In

In formas aliquis. Ferrum inforat ille terebra
Quadrata expoliens. Paruũ hic vas, maius & ille
Informat, minus hoc expendens, amplius illud
Esse facit, seu bombardam quandoq; sclopumúe,
Seu cann am vocitare libet magè, seu populari
Lingua Cannonẽ simplũ, duplumúe, Sacrumúe, ac
Nomine translato Falconem, seu Colubrinam,
Quæq; suo placet artifici vox, dum tamen illam
Numina læua probẽt, probet ipse vocatus Apollo.
Redde fabro quicunq; tenes miser arma, vel ensem
Falcatum miles posthac quicunq; merere
Aera voles, paruoq; animam diuendere lucro.
Quin cape tormẽtum belli hoc, humerisq; repone,
Si careas, capies optata stipendia nunquam.

Iam verò quoniam, & bombardici pulueris plurimum ad rem nostram facit contemplatio, ad eam transeamus.

De puluere bombardico Cap. II.

VEre quidem eo, qui Dianæ Ephesiæ templum cremauit dignior vt è gentium memoria explodatur, deleaturque, quisquis pulueris huius inuentor extitit. Quis namque putet hominem vnquam tam abditum malum, tamq; horribile, & formidabile opus fuisse imaginatione assecutum? Vel quis cum stygio fuisse afflatũ spiritu non credat? Quandoquidem, hoc puluere hominum arbitrio, licet formida-

midabiliores elementorum cœlorumque effectus æquare, vel etiam (pene dixerim) superare: hoc turres & arces alioqui inexpugnabiles funditus euelluntur, montes radicitus euertuntur. Quid? fulgura, & terrarum motus hoc superantur: Hoc, nempe inuento, tormentorum machinarumq; multiplices formas effingi, ferrum excauari, varie metalla fundi, terram cuniculosè fodi, ac denique in hominum omnia perniciem excogitari cœperunt: vt si quis hinc quidem rectè perpendat, nil perniciosius reperiri, nihil immanius excogitari posse omnino fateatur: non enses, non fulmina, non mortiferæ herbæ, non letalia animalia: quoniam hæc licet nocua sint, aliquādo tamen vsui esse etiam compertum sit, puluere hoc interim pernicioso semper existente. De hoc autem quid plura, cum Dij eo vindicta, & ira ab hominibus superentur? Vnde nam verò tantus effectus? Quæ huius pulueris compositio? Multa sane de hac re dici possent, quoniam non omnibus eadem hic symmetria componatur. Sed cum ne hoc quidem institutum sit nostrum, sat scire fuerit, ex nitro, sulphure, & carbonibus hunc plurimum componi: altera interim atque altera in his, pro diuersarum scilicet, machinarum ratione, quarum occasione paratur, puluerisq; multiplici vsu, symmetria obseruata. Etenim qui minoribus, & portari accomodis tormentis conuenit, maioribus omnino inutilis est, & è conuerso. Perinde enim ac qui claboratior est, maiora dissiparet tormenta, sic & qui

Pulueris bō bardici uis max.

Pulueris bō bardici con ficiundi di uersa ratio, unde.

co-

eorum nomine paratur, in paruis nihil, vel parum, vt qui vix pilam extrudere posset, proficere. Pro igitur eo ad bombardarum vsum conficiundo nitri purgati sint pondo tria, carbonis pondo duo, sulphuris pondo vnum. Pro mediocribus verò tormentis, nitri sint pondo quinque, carbonis pondo vnum cum dimidio, sulphuris pondo vnum. Atqui pro portatilibus sint nitri pondo decē, carbonis pondo vnum, sulphuris pondo vnum. Carbones autem vt supra dictum vel ex salicibus, vel corylis esse oportet. A nitro autem, tanquam à basi, dictat ratio, & experientia docet, vim omnem pulueri inesse, vt nanq; plus minusúe eius quantitas hinc admiscetur, ita & pulueris facultas, visq; crescit, & decrescit. Hæc igitur ea ratione confundūt, vt antea omnibus optime contusis, tenuißimeq; contritis, denique permisceantur: eo interim obseruato, vt inter atterendum hæc paululum aqua irrorentur: alias etenim, ob eam substantiæ, qua prædita sunt, tenuitatem, ne accenderentur facilè, nec leui sui autoris detrimento, periculum superesset. Deniq; omnibus optime confusis mixtisq; vt redigantur in grana, exsiccenturque maxime student. Itaque tria sunt (vt mihi quidem videtur) in summa, quæ cuiusuis pulueris perfectionem augent: ingredientia nempe craßitudine terrestri exuta, eorundem tenuißima attritio, confusioque ac permixtio exactißima: Tertiū vt quam fieri poßit, expers humiditatis, tandem puluis siccißimus reddatur.

Puluis bombardicus.

Puluis pro mediocribus tormentis.

Puluis sclopetarius.

Vis à nitro pulueri inest.

Perfectiorē puluerem efficientia

De sphærulis, & globis bombardicis. Cap. III.

EA solicitudo, ea cura, ea denique mentis inquietudo quæ ad perniciem internecionemq; humani generis tormenta & puluerem excogitauit: non contenta, lignei cunei è ferrea canna extrusionem, didicisse, qua ratione tonitrua fiant, ad perniciem magis animum intendens, lapideos globos parietibus diruendis, interficiendisq; hominibus studiose adinuenit, imò ne quidem adhuc contenta, plumbeos modo, modo ferreos facere eos recogitauit. In eademq; adhuc mora consilij alios tesserulis ferreis animatos, alios inanes intus & vacuos, multasque in partes scindi commodos adinuenit, vt scilicet eorum disruptione magis noxium vulnus inferatur, pluresq; lædantur: Itaque & alios, vulgo hamatos, nempe per medium in duas partes diuisos, moxque duorum ex ære hamulorum interuẽtu iunctos haud imaginari præterijt: Ad hæc bombardicis ante globos & puluerem frustula ferrea modo, modo lapillos, quibus detrimenti plus inferatur, imponere: nec non & alia plura, quæ iam animum ad propositum scopum intendens nunc prætereibo.

Globulorũ tormentariorum materia diuersa.

Eorum, qui de hisce vulneribus scripsere, opiniones. Cap. IIII.

DE horum ergo tormentorum vulneribus disputaturus, aliorum prius placita exponere, trutinaq;

tinaque haudquaquam populari considerare perpendereque quàm libere meam sententiam dicere, operæprætium me facturum videor. Duo igitur in hac re sunt, quæ maxime in dubium vertuntur. Alterum, an huiusce generis tormentorum vulnera vsque adeo vstionem inferant, vt quidem perindè ac igne ambusta curari debeant? Alterum nunquid quas, parteis impetunt, veneno inficiant? Quorum alterutro fautores qui subscribant non desunt, idq; argumentis à sensu experientia, & ratione conquisitis firment.

Sedes locorum, argumentorumque vnde vtraq; opinio suas deducit rationes. Cap. V.

MIrum sanè est de eadem re, ex ijsdem fundamentis contrarias, rationes, pugnantiaq; omnino argumenta adstruere: hocq; potißimum si verè Aristoteles prodidit, de eodem idem affirmare, negareque esse impoßibile: tum quòd ne quidem se inuicem contraria facilè ferant: Quare igitur cum qui vni, & qui alteri opinioni fauent, eadem experientia, eodem sensu, & eadem ratione coniecturas deducant, peccent alij, vel saltem in æquiuoco laborent, necesse videtur. Omnium ideo placita recenseamus. Ab eorum rationibus exorsi, qui & igneam, & veneficam naturam vulnera hæc sapere contendunt.

Rationes eorum, qui ambusta vulnera hæc esse affirmant. Cap. VI.

QVoniam (aiunt qui primam tuentur opinionem) horum vulnerum prima efficiens causa ignis, igneaúe, atque vrere nata facultas existit. ambusta ideò esse ea oportet. Facit adhoc (subdũt) violentus motus, qui si ex Aristot. sententia plumbum liquare potest, idem quoque calefacere poterit. Adhæc collisio calorem maximopere augens, eorum firmat opinionem. Sat itaq; sibi esse suadent, ex principio, medio, & fine suam & firmasse, & roborasse opinionem.

Eorum rationes, quibus contraria magis arridet opinio. Cap. VII.

QVum neminem hucusque tormentis hisce percussum caliditatem percepisse fateri audiuerimus, sed magnam solũ, perinde ac si ingens in ipsos quid corruisset, contusionem sensisse, dicimus (aiunt secundæ huius opinionis homines) vulnera hæc caliditatem nullam participare. Nec (subdunt) obijci potest, igneum dolorem à contundente dolore obscuratum iri, quòd duobus non eundem locum infestantibus doloribus à maiori minor obruatur: quandoquidem isti non in diuersis, sed eodem penitus loco, eodemq; penitus tempore fiunt: quod cum ita se habeat, igneum dolorem, contundenti præsen tien-

tiendum fore, rationi consentaneum magis videtur. Itaque quòd vulnera hæc igneæ sint penitus qualitatis expertia, argumento est (aiunt) qui vel tractus longitudine, vel ferrea obsistente armatura remisso iam impetu globi percutitur, vulnere neutiquam, sed contusionis solum vestigio remanente, in quo ne vestimenta quidem cremantur, tantum abest, ut ipse vstionem patiatur: secus etenim ignitis existentibus globulis fieret. Quinimo pro suo habent Achille hoc argumentum. Non stupa, non fœnum, non lana, imo nec sulphur, nec bombardicus puluis globulorum tactu conflagrantur: igitur nec globuli igniti, nec vulnera usta existere possunt. Hocq; potißimum ratione à ferreis globulis mutuata, sic roborant. Sphærulæ ferreæ à bombardis excussæ, saccis, stupa, & lana distentis (tales enim in nauibus ijs maxime obijci solent) licet inhæreant, ne tantillum tamen ustionis signum his inferunt: intensiori tamen ferreis quam plumbeis globulis caliditate inexistente: quod si ulla nigredinis nota ab his remanet, à puluere potius quàm ustione contractam existimandum esse, dicunt. Præterea addunt si sit ignitus globulus, breui adeo temporis spatio fe rit, adeoq; in instanti, ut ne quidem urere quod impetit ualeat, id uerò experiri est (aiunt) si carbones ex altera in alteram manum sæpe celeriterq́ue permutemus, ubi nihil omnino patimur. Iam autem si quis dicat, non rarò globulorum ictu, uasa sclopetario puluere referta conflagrasse, id non negabi-

mus, aiunt, tamen diuersa ratione obtigisse, contendemus: ferreus etenim globulus lapidem fortasse, vel ferrum attriuerit, attritionis cuius nomine, excussa scintilla, incendio vasa illa confecta sunt: non autem quia (vt isti existimant) globulus vel flammam, vel calorem secum traxerit: alias etenim eius contactu perpetuo bombardicus puluis incenderetur, cuius oppositum experientia nos docti sumus. Ad hæc addunt, si ne quidẽ adhuc cõuictus his rationibus cedis: qui fiat obsecro, respõde, vt ex vulneribus istis sanguis profluat? docente interim Galeno, vrentia sanguinem sistere: si enim responderis, non largè eum inde effundi: & nos huius rei causam contusionem, non verò, quod alij faciunt, vstionem afferemus. An itaque alia hac ratione quid clarius, firmiusúe excogitari poßit, aiunt, paulisper perpende. Concesso, globulos istos (aliter nihilominus nobis animo sentientibus) fore ignitos, vrendiq; facultatem vnde libet concepisse, qui fiat quærendum est, vt si caro hisce ustione conficitur, vestimenta tamen, quæ prius occurrunt, non conflagrẽt? Quod fieri nihilominus potius deberet, quòd tunc caliditas maximè, neutiquam ab occurrente adhuc quopiam refracta, in globulis vigeat: cum tamen oppositum sensu ipso, omni dico adhibita cura, & diligentia doceamur: quòd si nonnunquam in hisce vestibus nigredinis nota reperiatur, non vstione quidem, sed vel plumbi attritu, vel pulueris, qui eum vtcunque infecerit, nomine accidere, facilè persuaderi

deri poteſt. Atqui vbi certior fieri ſtudeas, veſtimenta prius ipſa carne, non præter rationem vri debere, id experientia, aiunt, ſic doceberis, globum ignitum qua omni poteris violentia in quempiam proijcito, ita nanq; cognoſces veſtimenta prius carne ipſa omnino comburi alias nempè prodigioſum videretur carnem vri, intactis vtique veſtimentis. Quod ſi quoque dixeris, aiunt, in hiſce globulis pro gradibus qualitatum quatuor in ſimplicia concedentibus, ratione, vim caloris tantam ineſſe, quæ carnē vrere poßit, veſtimenta verò non poßit, quoniam intenſiori calore ſcilicet, vbi hæc vrenda ſint, opus exiſtit: proq́ue huius rei exemplo ferrum incaleſcens afferas, quo caro uratur, pannus non uratur, idemq́ue de globulis affirmes, aſſerasq́ue in illis eum caliditatis gradum introductum eſſe, qui carnem vrere, minimè verò veſtimenta ſit natus, ac iccirco nihil eſſe admirari operæpræcium, ſi carnem vrendi, & nō veſtimenta globulis inſitus calor vim habeat. Et nos quidem dixerimus (ſubdunt) facilè, qui huic ſententiæ ſubſcriberemus induceremur, ſi de tactus ſenſu diſceptatio haberetur, qui ferrum ad aliquid vſque incaleſcens ferre non valeat, licet (modo animans ferre poſſet) carnes vſturum non eſſet: quod ſi fortè eam vreret, & veſtimenta etiam vſturum fore rationabile videri eſt, & ſenſu experiri, vbi laminas ferreas duas eodem gradu calefactas, quarum alteram panno, alteram eodem tempore carni admouens, imponas: vbi etenim alterum

lædatur, nempè caro, alterum læſionis expers eua-ſurum non erit exiſtimandum. Addunt ſi laminis hiſce ignitis bombardicum tetigeris, puluerem flam mam illico emicare animaduertes: quod idem à globulis quoque, ſi igniti eſſent accidere deberet. Vel adde, qua ratione vi motus, & bombardico puluere adeò incaleſcunt, vt carnem vrere valeant, eadem itaque prorſus & veſtimenta, vel etiã magis (prius etenim occurrunt) cõcremare debere, vt potè quòd tunc eos (nondum enim à quopiam ſunt refrigerati) maximè eſſe ignitos, ſit credendum: quod tamen cum minimè fiat, non eſt, concludunt, vt quis nos redarguat, ſi ignitos eos eſſe negauerimus. Inſuper addunt, globos à bombardis miſſos haudquaquam ignitos eſſe, maximè cognoſces, vbi eos in magno pulueris aceruo paulo antea accenſo, contectos, manibus contrectes: in quibus ſi calorem nullum perceperis, iudicabis exiſtimo, nec ſi à bombarda emittatur, vim vrendi vllam concepiſſe, adhucq́; maximè ſi conſideraueris minimam globuli partem à puluere in bombarda contento tangi, ſtatimq́ue propelli. Quoniã uerò expertũ eſt, liquatũ plumbum carthæ affuſum, eam ne quidem calefacere, tantum abeſt ut ab eo vratur, atque hinc coniici potuiſſet tanto minus pannum, linteum, & ueſtimenta ab illis uſta iri, interim tamen id minus carne ferente, reſpondent. Nos autem non ſolum, non colliquari plumbum aut à puluere, aut à motu admittimus, ſed nec etiam incaleſcere tantum, vt carnem quo uis modo afficere poſ-

poßit, ostendimus. Etenim si colliquaretur plumbum, statum scopum (dispergeretur siquidem) attingeret nusquam. Ad hæc elliquatum, & incalescens plumbum calorem breui adeò amittit (quod poteris experiri) vt ẽt maximopere incalescens, excandescensq́; carthã, aut pannum, aut linteum (viscosum .n. adeò est, vt in mollem substantiam agere nequeat) nõ conflagret, adeoq́; minus carnẽ exurat. Ad hæc (subdunt) si plumbum incalesceret adeo, vt carnem vrere posset, vestigium sanè quodpiam vstionis imprimeret, vel (quod non negabunt aduersarij) ab his qui læderentur, inustio & exsibilatio, perindè ac in humidæ ignitæque substantiæ contactu accidit, perciperetur: atqui cum nihil tale ab his obseruetur, ignitos globulos esse, nullo credendum modo fore existimamus. Adde (subdunt) si illico emissos globulos manibus pertractes, calorem non adeò sentias, quem tractare innoxiè valeas, hocq́ue maxime etiam nulla qua refrigerari poterint, interposita mora. Itaque si globulos in motu ex attritione caliditatem quampiam nancisci (aiunt) contendas, eam etiã, cum ad statum locum deuenerint, retinere facilè condonabimus, verum quæ vrere poßit, prorsus negabimus. At modo si globulos aduc hosce ignitos velis, vt eschara͂ in vulneribus quæ faciunt, superficie tenus solum, in ingressu scilicet, neutiquam verò egressu inferant: id non minus in contusionibus accidere, poterimus & nos suadere, aiunt. Siquidem globulus (dicunt)

 dum

dum carnem in ingressu perforat, renixum, nempè qui à partis soliditate accidit, adinuenit: interim in exitu, partibus laxatis, adeoque quandoq; cedentibus, vt aduersa cutis ita aliquando extendatur, vt fabrefactæ ex ferreis hamis loricæ, atque vestimenta lanientur, cute integra remanente: vbi non idcirco eschara non fit, quia ad illam partem iam refrigeratus deuenerit globulus, quod facilè intelligetur, vbi emissus globulus prius brachium puta, mox pectus pertransiuerit. Crusta etenim caroúe illa liuida, attritaque in ipso primum brachij, deinde pectoris ingressu, non autem egressu reperietur, cuius rei exemplum vulneratum quendam, testesque Scholares nescio quosdam proponunt. His subnectunt, si plumbum colliquatum gossypio inieceris, ne quidem eius flocum vri videbis: Atqui si dixeris conceptum in rebus humidis calorem, vrere natum non esse, feruentisq; aquæ, in hac re exemplum attuleris: dixerimus (aiunt) liquatum plumbum se ipso non liquato longè intensius calidum fore, humidißimum licet sit: imò ne quidem calorem intensiorem acquirere posse, eo quem eliquatione, fusioneúe acquisierit: in quo tamen ita fuso bombardicum puluerem si inijceris, vix accendetur. quod ita cum sit, nec à plumbo vtcunque calefacto, neutiquam tamen fuso, puluis hic vt accēdatur fieri possit. Dicet ne quispiam non liquatum plumbum, eliquato vrere carnem magis? Hocque magis si rursus eliquatum plumbum parti cuipiā inspergatur, id-

idque ampullas tantum excitet, nullo autem modo vrat, hoc enim facilè quisque cognouerit, vbi carnis frustulo cliquatum effuderit plumbum. Præterea vidimus (aiunt) escharam illam, quam alij in summo vulneris à globulo fieri solum dixerunt, etiã in imis eius partibus, præsertim globulis, carnosa parte solida occurrente, vt hinc quidem (subdunt) animo conijcere minimè poßimus globulos hosce igne refertos esse, aut partes vllas vrere posse. Aduertas itaque (dicunt) vbi ferro candenti, quampiam partem vrimus, aliquo temporis interuallo immorari oportere, quod idem si plumbo efficere uoluerimus, profectò diutius detineremur, tum quod plumbum non liquatum debilem cõcipiat calorem, tum si quem conceperit, breui eum adseruet: quod vbi animaduertas (inquiunt) nescimus an globulos calorem vel ex puluere, vel ex motu nactos, corporis quampiam partem vrere posse iudicaueris: id maximè cũ in instanti ferè corporis partem, vel si mauis vniuersum transuulnerent corpus. Quinimo oscitantia, impudentiaq; eos redarguunt, qui globulos vi motus ignitos esse asseuerant, argumento à sulphure illitis sagittis, in altumq; iactis, atque in aerem accensis ducto. Nempè (aiunt) licet cum Aristotele attritionem calfacere condonemus, globulos tamen haudquaquam tantum calorem concipere, qui vrere posit (experientia enim cõtrarium docti sumus, assentimus. Huic adde sulphureum globum, plumbei loco, bombarda emissum nec accen-
di

di, nec vri, nec tantillum à propria substantia immutari. vt hercle figmentum omnino existimandum censeamus, sagittas sulphure illitas motu adeo incalescere, vt exuri poßint: tumq; maximè cum neque cera incalescat, neque sulphur, etiam si à bombardici pulueris impetu feratur, & citato motu in circunfuso aere teratur, liquescat, accendaturúe: vt quidem propterea, & minus plumbum igniri dicamus: vulneraque ab his illata haudquaquam vim ignis sentire, concludamus. Imo eorum, qui secus tenent opinionem iam nostris rationibus reprobatam, perinde ac inanem, vanam, & futilem explodamus. Adde amabo, subdunt, si ex calore in motu concepto, escharam à globulis induci, isti contendant, contrarium quàm facilè suaderi poßit, vbi quis in quatuor solummodo vlnarum distantia sit vulneratus, in quo breui quidem motu, globulum incalescere adeò vt carnem vrere poßit, credi non potest: ac proinde si escharæ vestigium vllum remanet, id à contusione quidem omnino illatum fuisse, sit existimandum. Quapropter subdunt, prouisis iam omnibus, quæ ad huius rei cognitionem faciunt, vt concludamus superest, vulnera à bombardis facta, ignis prorsus fore expertia. Potißimumq;, cũ quæ veluti crusta in his apparet vulneribus, non ab igne quidem, sed à maximè contundentibus globulis fiat: qui & spherici, & maximo impetu lati, lacerãt, diuellunt, contundunt, partesq;, quas impetunt, ità atterunt, vt non sanguine solum, sed & vitali spiritu eas sic

pri-

priuent, vt langueant, liueant, emoriantur, & perinde ac crustam referant: perinde autem ac crustam dicimus (aiunt) quoniam quidem, hæc verè crusta non sit, quandoquidem quæ verè crusta dici digna est, ab igni, ignitoúe ferro, dura admodum, & solida, ob eius qui anteà in carne continebatur humoris exsiccationem inducitur: horum interim vulnerum, crustis mirum in modum vdis existentibus, humoreq; adeò refertis, vt non raró putrescant, ac sæpe ea, qua nimis referta sunt humiditate, syderentur: quare cum propter hoc, tum quia ne illis quidem eschara definitio accommodari possit, quam crustam, & carnem vstam ab igne, ignitoúe ferro, vel quopiam alio vrendi facultatem nacto, definiunt. Impropriè valdè, solumq; translatione quadam eschara hæ dicentur: quas à contundentibus tales fieri & Græcorum, & Arabum authoritate confirmant. Quamobrem quicunque animum diligenter adhibuerit (subdunt) in contusionibus carnem hanc liuentem videbit, quã isti à globulis ignis vi elatis factam, escharam appellare voluerunt, quæ prorsus aliud nihil, quàm caro contusa, vt anteà dictum est, existit, quæ eo liuidior, nigriorque est, & magis dolet, quod maiorem longè violentiam passa est: quæ talis omnino existit nempè attrita, & mortua ab emissi globuli maxima contusione, qui licet ignis vi propellatur, haudquaquam tamen esse ignitus poterit, vt potè quod in bombardico puluere breui adeò remoretur, vt ne quidẽ ignem, igneãue

ȟe facultatem inde acquirere valeat: quod facilè credi poterit, ubi plũbei globuli loco bõbardulæ cartam digitis, dentibusúe, vt fieri solet in solemnibus pompis contusam, conglobatamq́;, quis immittat, quæ cum inde displodetur, & iusta, & ab igne intacta videbitur, interim ea maximopere quas impetet partes lædente. Atqui hoc etiam magis constabit, vbi ceream spherulam hoc eiaculaueris tormento, eamq́; nec eliquari, nec incalescete animaduerteris, & partes quibus occurrerit, adeò offendi videris, vt etiam lignum, si quandoque occurset, suæ formæ nota signet: quod nempe argumento est, nullum à bombardico puluere huiuscemodi globulos ignem acquirere, vel adde, quod etiam mirum est, cereos hosce globulos rebus, in quas emittuntur, non hærere, imo ab his perindè ac in parietes emißi plumbei resilire retrocedereq́;, cum nihilominus si vel liquaretur, vel incalesceret cera illis maximè inhæreret. Porrò à motus vi calorem conciperet etiam cera, si eius nomine, & pulueris, vt isti affirmant, plumbei incalescerent itaque globuli: at cum verò hoc vndequaque repugnet, absurda illorum omnino remanebit opinio, qui (subdunt) si ob paruam viscositatem, paucumq́ue, qui ei inest humorẽ, ceram non eliquari respondeant, idem & de plumbo dici poterit, quod tametsi minus ipsa cera vdum sit, calorem tamen intensum adeo concipere posse, contendunt, qui carnem vrere valeat: quod quantum à veritate absit, iam antea demonstratum à nobis

bis est, vbi quicquid noxæ corpori ab istis infertur, non ab igne, sed maximo impetu motus, necnon ingenti contusione, argumento à cereis globulis hoc emissis tormento inferri, ostensum est. His addunt, quamquam ex Aristotelis sententia, motus calefaciat adeò, vt etiam in sagittis, quæ feruntur cliquetur plumbum quandoq;: non id tamen nostram euertit opinionem, probatúe, bombardicos globulos vrere posse. Etenim plumbum, quo sagittæ hæ muniuntur, in tenues laminas, ac veluti bracteas redactũ, extenuatumq́; est, vt facilè liquari possit, globulis hisce interim crassis, densis, solidisque existentibus. Ad hoc itaque maximè figura facit, nempe rotunda, & sphaerica, philosopho authore, omnium facillimè quæ per cœlum vehitur, quare nil mirum sagittas, & veru in aere, qui magis illis repugnat, quemq́; difficilius ipse discinditur, igniri & eliquari: non ita autem globulos istos, hocq́; maximè, quoniam sagittæ simplici continuò motu ferantur, at verò globuli, vt potè sphaerici circum circa facilè conuoluantur, vt si quam ex motu acquisierint caliditatem, facilè ea à circunfluo flatu, spiranteq́; vento extinguatur. Ad hæc iaculatæ sagittæ, emissis globulis diutius per aerẽ feruntur, nẽpe ascendendo & descẽdẽdo si in altũ mittãtur, tũ quia ad simpliciorẽ aerẽ, vbi igniri possunt, adueniunt, quod de bombardicis globulis, qui nec diu per aerẽ feruntur, nec in altũ mittuntur, non poterit dici. Idcirco (inferunt) eam non ex bombardico puluere, neque ex motu, vt

iam

iam probatum satis est, calorem globuli isti concipiant, nil mirum, si eos carnem non posse vrere contendamus. Hoc nempè & tu certò fateberis, si vna consideraueris, vniuersum hunc puluerem uel intra tormentum, vel paulo extra, vniuersum conflagrari, tantum abest vt globulos ipse, ignisúe ad scopum vsque in quem diriguntur (qui rarò ducentos passus distare haudquaquam solet) concomittetur. Atqui & hoc etiam aduersarijs fieri posse liberaliter (subdunt) condonemus, nonne à circumfuso aere mox refrigerarentur? Neque in omnibus huiuscemodi vulneribus (quod absurdißimum tamen videri deberet) eschara reperiretur? Etenim quis non fateatur, aere pluuioso emissos globulos, escharam non inducere, eorum scilicet calore concepto vel à motu, vel à puluere, à pluuia extincto, supra contrarium nihilominus experientia docente: quippè quod in omnibus ab his illatis vulneribus, aere quouis modo affecto, mortua contritaq; hæc caro, quam escharam, iam dictum est, illis placuisse appellare, cum tamen neutiquam ab igne, sed à contusione talis redd datur? Quod si globulos calorem solum ex motu, & violentia acquisiuisse, quis contendat: dicemus (aiunt) nec aliter credi debet, ab aere frigido succeßiue continuò occurrente, etiam cœlo sereno, eum facilè extingui posse, interim tamen asseuerantes, non tantum eos posse à motu calorem concipere, qui vrere poßit. At si adhuc vulgari quis inhærens opinioni dicat, probetq; eos fore ignitos, quia vbi

parie-

parietem, aut murū colliserint, si illicò statimq; manibus suscipiantur, vix præ nimia caliditate tractari queant, inquiunt respondebimus, non à puluere, non à motu, sed à colliso inter dura corpora aere illam fuisse exortam caliditatem: quandoquidem hoc ipsum etiam animaduertere esset, vbi saxo quis murum violenter impeteret: atqui id patiente corpore molli non efficeretur. Quapropter (subdunt) licet cum Aristotele motus ratione aliquem his globulis inesse calorem facilè concedamus, ad eum tamen gradum, qui vrere poßit, deuenire, non esse existimandū, contendimus. Non.n.rubor, qui circa hæc vulnera affusus semper apparet, satis nobis, atque aduersarijs nostris suadet, illa esse ambusta: quoniā hoc idem & alijs vulneribus, & contusionibus potißimum commune sit, nempè tenui, & subtili sanguine facillimè, citißimeque ad affectas, ac præsertim dolore infestatas partes confluente. Denique quod eschara, crustaúe in his vulneribus, in nonam vsque diem augeatur, perindè ac eschara ignis dilatatur, & crescit, vulgares fortasse conuincet, qui fateantur, ea omnino esse ambusta: vt qui existiment, inde igneæ naturæ causa in eam vsque diem vulnera hæc augeri. Atqui nos qui scimus igneas crustas eo tempore plurimum, cum ex puris generatione, tum carne vsta putrescente, abscedere: idemque & in alijs, nempè à potentia vrentibus medicamentis factis escharis, obseruauimus horum vulnerum augmenti rationem eandem, puta putrefactionem,

nec

nec non contusæ carnis absceßionem adsignamus.

Belli tormentorum vulnera veneno esse infecta, quibus rationibus probetur. Cap. VIII.

SEquitur vt secundæ litis, quæ inter huius rei scriptores versatur, rationes exponam. Qui .n. antea dixerant vulnera hæc esse ambusta; eadem quoque veneno infecta esse affirmant: siquidem venenosum eum statuunt puluerem, cuius impetu globuli mox virulenti feruntur: idque tum pulueris compositione, tum eiusdem effectibus sic suadere conantur. Recipit huiusmodi puluis nitrum, sulphur, & carbones, quibus constat (aiunt) eũ quarto caliditatis gradu esse, atq; propterea venenosum existere. Quod itaque confirmat, subdunt, eorum qui ipsum conficiunt consuetudo, nempè toto temporis tractu, quo in hoc laborant, à cibarijs cuiusuis generis acribus abstinent, experientia docti eorum vsu tunc maximè lædi, quod scilicet horum ope vijs meatibusq; apertis facilè eius vis pernitiosa ad intimiora corporis vsque, vel etiam ad cordis latibulum permeet atque descendat. Porrò pulueris huius tenuior pars ac veluti fuligo, dum contunditur, & cribratur, sui autorum fauces, vel ipsis inuitis, intingit, inficitque. Quos tamen in recta viuendi ratione constitutos non lædit, vel quia venas non reclusas reperiens, eas nõ excurrat, vel quòd illis con

sue-

suetudo altera sit facta natura, Quoniam verò non eodem omnia venena genere comprehenduntur, inter ea hoc illis reponere, recensereúe visum est, quæ tactu vulnerando perimunt. At verò cum cuiusuis veneni id ferè proprium esse videatur, vt à corde læso, vni, quàm alteri parti magis (quod marinus lepus, & cantharides apertissimè ostendunt) vim inferant: facileque an simile quid in hoc puluere reperiatur exquiri potuisset. Non quidem videtur (subdunt) eam huius pulueris facultatem esse, quæ cordi illato veneno, illicò vnam, quàm alteram magis partem corripiat. Calido itaque huic veneno, tenuiq; substantia prædito, motus adhuc caliditatem, & velocitas penetrationem addit, alterutramque tormenti forma summopere auget. Vt quidem puluis hic, tam ex natura eorum ex quibus componitur quàm ex organi ratione omnino venenatus dici mereatur. Adde (subdunt putrefactionem, mordicationem, rosionem, vlcerationem, corruptioni præparationem, maliq́ue habitus calidi membris principalioribus impartitionem calidi veneni notæ propriæ, inseparabiliaq; symptomata, puluerem hunc perpetuò concomitantia, nostram firmare sententiam. Ad hæc fatemur (inquiunt) in hoc puluere, veneni terminum, vel illi à forma insit, quam specificam dicimus, vel ab euidentibus qualitatibus, nos omnino ignorare. Eumq́ue tametsi inter ea quibus sagittæ, & tela illinuntur collocauerimus, omnium nihilominus remissius esse, nulliq́ue eorum vi com-

parandum fore ducimus.

Quid respondeant contrariam tenentes opinionem, quomodoque oppositum probent. Cap. IX.

QVòd toto fermè aberrent cœlo, qui bombardicum puluerem veneno infectũ esse, prædicant, facilè ostendimus (aiunt) qui antea à bombardis inflicta vulnera ignis expertia fore contendebant. Porrò (dicunt) recipit puluis iste sulphur, nitrum, & carbones vel ex corylis, vel salignos: quorum quodque vel intus sumptum, vel extra admotum aliquot sanandis affectibus, tantum abest, vt veneni notula inficiant, destinatur. Sulphur præter alios quam plures morbos, ad scabiem, & lepram fugandam, sanandosque quorundam venenatorum morsus Galeno impense laudatur tußibus, suspiriosis, purulenta extußientibus in ouo sumptum, aut suffitum Dioscoridi commendatur. Nitrum, præcipuè nostrum, adhibentibus quibusdam fidem Monachorum in Mesuem commentarijs largè propinatum etiam sine noxa est. Carbones non raro vtero gerentes mulieres inordinato ductæ appetitu voluptuosè ædunt: nosque catapotijs permiscuimus, quæ postea tuto gallica lue laborantibus exhibita sunt: ijsdem sibi quidam signa, & characteres in cute superstitiose, nullo interim cum detrimẽto inscribunt. Quis igitur obsecro dicat, hunc puluerem veneno par-

participare? At dicat quis ex horum mixtione vim mediam, veneno non expertem gigni: Quid dicet postea vbi maligna, & exedentia omnino vlcera, hoc puluere curata viderit, nullo interim veneni vestigio remanente? In quibus tametsi crustulam inducat, leuis adeo ea est, vt potius, à nitri sulphurisque exsiccatione, quam vlla veneni qualitate fieri sit existimandum. Quod itaq; veneno careat iste puluis, (aiunt) argumento sunt, qui parum in pertractandis huiusce tormentis exercitati, quandoq; nimis vultu illis inhærentes, conspersam maculis, cicatricibusue nigris faciem habent, & oculos: in his enim non raro etiam granula huius pulueris infigun tur, vt obducta etiã cicatrice inhæreant, nulla tantũ subsequente noxa, ne dicamus veneni nota. Quid igitur illi dicent, qui secus existimant? Nihil existimo, imo nisi pertinacißime veritati & conscientiæ refragentur, nobiscum vnà vulnera hæc ignis expertia esse omnino fatebuntur. Cancrena enim, sphacelos, & exæsio non adeo sunt veneni propria symptomata, quin & contusionem quoq; sequi poßint, potißimumque vbi in corpore malis referto humoribus (cacochimum vocant) ea extiterit. Alioqui vulnera hæc perpetuo depascentia, & putrida existerent, essentq; horum vulnerum hæc propriæ differentiæ, quod Galenus inficiatur. Quare cum non omnia hæc vulnera putrida, depascentiaque sint, veneno itaque neutiquam esse infecta est existimandum.

Propriæ opinionis fundamenta. Cap. X.

CAeterum rationibus autorum istius controuersiæ expositis, vt nostram iam in medium proponamus sententiam ordo postulare videtur. Ante igitur omnia scire operepretiũ iudicamus tormẽtarios globulos altero modo, quo ad materiã scilicet, qua constant, posse considerari: altero autem quatenus à bombardis & alijs huiusce generis tormentis sunt emissi. Nempè quo ad materiam vel lapidei, vel plumbei, vel ferrei, vel ex hisce aliquot, omnibusúe materiebus permixtis compositi sunt. Si lapidei, frigiditatem cum siccitate sortiuntur, si plumbei, frigiditatem cum humiditate, si ferrei siccitatem certè, caliditatem verò an frigiditatem nec dum iudicatũ est, nec sat sibi de hac re cõstat philosophus, nec hoc loci id sumus nos disputaturi, quoniam nec sub hac ratione, sed vt à bombardis emissi considerandi omnino sint. De his etenim maxima dubitatio est, num tantam caliditatem acquirant, vt vrere possint. Atqui vrens caliditas duplex cum sit, & quæ actu, & quæ potestate vrere nata est, primo inuestigandum videtur, num globuli ab ipsorum tormentorum explosione caliditatem acquirant: secundo vnde nam ea ipsis adueniat: denique num tanta sit ea, quæ omnino vrere valeat. Iam verò quod caliditatem adipiscantur, constat: præterquam enim id experientia attestetur, dictat itaque ratio: siquidem motus ignire aptus adeò est, vt si quid vehementi

motu moueatur unaque eius partes terantur, facilè (id modo incalescere aptum sit) incalescat. An verò globuli isti vehementer moueantur, iudicet quisque. Ex motus igitur veloci celeritate, vtcunque tormentarij pulueris caliditate concurrente, vim istam prouenire, iudicandum videtur. An verò tanta hæc sit quæ vrat, non ausim affirmare: vel etiam facilè id non posse præstare crediderim: hocque potissimum, cū ab aliorū aliquibus rationibus suasus: tū quoniā quicquid ex uehementia motus accendi habet, id suarum partium attritione incendatur: interim tamē horū globulorum partibus nihil attritis sed solum circunfusi aeris partibus calefactis, quibus uicissim mox incalescit ipsum atterens corpus, quod si tenuè, & facilè liquabile fuerit eliquabitur à motus nempè ipsius caliditate, ut de sagitta dicitur in aere dissoluta: si aūt id nō facilè liquabile fuerit, cuiusmodi ferrum est: & plumbum in sphericam formam effictum, illud enim duritie, hoc autem figura quæ nihil ferè in calefacto aere remoratur, maxime resistunt, non poterit quidem ambientis aeris caliditas id eliquare: tum quòd nec à puluere ipso, tanta globulis impartiatur caliditas (etenim post se eius flammam longè relinquunt) quæ carnem urere posit. Reliquum igitur est, globulos hosce potestate caliditatem assequi tantam, quæ omnino urere carnem ipsam valeat. Est autem ea in ipsis nil prorsus aliud mea sententia, quàm qualitas ab emißione eorum, nec non pulueris exhalatione acquisita: nem-

pè motu globulum disponente, nec non pulueris exhalatione ipsi adhærente, ad hæc percussæ partis calido concurrente vstio facilè promouetur. Itaque quod reddit partem percussam nigram, exhalatio ipsa existit, quæ ut dictum est, mox à percußi membri calore, ab eo quod potestate primum erát ad actum reuocata, deniq; à subsequenti augetur, quæ non minus quàm fulmen, quod nil aliud quam sicca exhalatio est, inflammari: & urere potest: siquidem experientia demonstrat, quicquid vsta est confectũ exhalatione, facilè, si corpori quod eius potestatem ad actum redigere poßit occurrat, id inflammari.

Quid primam, quidq́ue secundam sectantes opinionem errauerint.
Cap. XI.

PRimos igitur pariter atque secundos errasse constat: primos quidẽ quoniam absolute actu eò tormentarios globulos incalescere existimauerint, vt carnem vrere etiam valeant. Secundos verò, qui solum contradicendi nacti occasionem, contrariamq́ue opinionem secuti, rem ipsam physicè minus perpendentes, tumultuario quidem nempè rationibus rationes confusè satis inculcantes, suam opinionẽ dixerint. Tanto verò grauius primos notandos esse arbitramur, qui liberè rei veritatem indagandi facultatem habentes & lusciosè eam prætererierint, & alijs contradicendi occasionem præstiterint. Tamet-

metſi nō minus ſecundi taxandi uideantur, qui aliorum errata notaſtuduerint, nec propria ipſi cognouerint. Quorum iam rationes quantum habeant roboris pauliſper obſecro perpendamus.

Eorum rationibus, qui vulnera hæc non eſſe ambuſta contendunt, reſpondetur Cap. XII.

PAratis copijs, cohortibusque noſtris inſtructis, aduerſariorum iam vires experiamur, hos namque, qui omnino ſe inuincibiles exiſtimant, ſi ſuperauerimus, ſummum præmium honor, & gloria nobis paratur. Primas igitur partes aggredientes dicamus, nihil eorum rationem valere, qua habent, ideo vulnera ab his tormentis inflicta vſta non eſſe, quoniam nemo adhuc hiſce percuſſus dicat, aliud quam contuſionem ſenſiſſe, quandoquidem, vt antea à nobis dictum eſt, accidat eos, qui vulnerantur, prius afflari & concuti, quàm percutiantur: vt ne ideo pauci etiam prius ſe læſos fuiſſe intelligant, quia alicuius particulæ functionem amiſerint, quam dolorem quempiam perceperint. Nec itaq; rationi conſonum eſt, vt qui percutiuntur, prius vſtionē, quam contuſionem ſentire debeant: maxime experientia oppoſitum docente: nam ſi quis candenti uirga ferrea percutiatur, remanente etiam uſtionis ueſtigio, facilè eum contuſionem, prius quam uſtionem ſentire, credi poterit. Quare & mea ſententia quidem

ad rē maximè facit aphorismus Hyppocratis. Duobus doloribus eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat. Affirmatiuè siquidem Hyppocratē suam sententiam scripsisse, in his quas facimus nos commentationibus in Hyppocratis aphorismos chirurgo maximè inseruientes, & Galeno demonstrabimus. Nec mirum uideri debet contusionem ab his prius sentiri, licet caliditas in corpora agere summopere nata sit, id nempè maximè verum esset, vbi quæ operantur, cæteris paribus operarentur. Nec suadet quidem, in his vulneribus vstionem non esse, quod qui iam à deffesso globulo percutiuntur non autem vulnerantur, contundentem solum, neutiquam uerò urentem dolorem sentiant, id nanque eueniret, ubi à globuli caliditate sola, nihilo amplius concurrente, ustio ipsa excitaretur: cuius itaque rei nomine uestimenta utique comburerentur, & cutis superficie tenus ustionem pateretur. Quare igitur nec est quod isti obseruationes proponant, de abdomine contuso, non autem, quia cederet, vulnerato, nempe non concurrentibus singulis, quam antea diximus, vstionem se qui necessum non est. Vt nec ideo mirum sit lanam, stupam, fœnum, sulphur, vel etiam tormentarium ipsum puluerem horum globulorum contactu non accendi, at verò carnem maximè vri, non concurrente scilicet in his innato eo calore, quem antea dicebamus potestatem eam in actum reducere, quæ carnem, in qua is maxime est, inflāmare aptißima

glo-

globulis inhæret. Vt nec propterea etiam sit admiratione dignum, carnem longè tormentario puluere minus incensibilem vri, pulueri interim nihil simili adueniente: nisi tamen quis admirari etiam voluerit, minimam vrentis medicamenti quantitatē (Causticum vocant) carnem plurimam vrure, centum tamen eiusdem medicamenti libris ne quidem minimum huius pulueris acceruum tantillum calfacere, ne dicam vrere potentibus. Quod itaq; idem etiam de ferreis globulis, stupæ, lanæq; saccis refertis euenire, volo existimes. Itaque nec laborent oportet in suadēdo nobis, globulos ipsos, etiam si igniti essent, vstionem excitare non posse, ob momentaneam scilicet moram temporis, quo corpus transfodiunt, argumento ab his sumpto, qui celeri motu accensos carbones manibus pertractant, cum nihil minus quam ipsos actu ignitos esse, vt carnem vrere poßint, nos affirmemus. At verò id isti admirari videntur, quo potißimum statim reffellendæ cuidam obiectioni, validißimi argumenti nomine vtuntur. Quid enim mirum videri debet, globulis ipsis incensis, vel ensem dicamus ignitum celerrime etiam aliquam perforare partem, eamque vrere? Quid enim non potest agens in subiectam materiam aptißimè pati dispositam? Hi obsecro, obiectionem eam soluturi, qui fiat scilicet, vt non rarò vasa tormentario puluere referta à globulis percussa conflagrentur, dum rationem in scintillam, ab aliqua eorum ferrea parte excussam referant, si obiecero ego, id adeò in instan-

ſtanti fieri, vt ne quidem poſsibile hoc videatur, dicant quid reſponderent? Non aliud exiſtimo, quã ignem illum agere in aptum, quod & nos facilè condonamus, puluerem vri, quem maximè huic paſsioni paratum reperit. Cur autem ex vulneribus iſtis,
5. meth. ſi vſta ſunt, ſanguis excurrat, interim vrentibus ipſis (teſte Galeno) ſanguinem ſiſtentibus, nemini in his verſato pro ratione auulſionis & partium ſolutionis paucum inde effluere, & eum quidem, non ab vſtis partibus, verum ab his quæ tractu quodam auulſæ ſunt, neutiquam vſtæ. Non enim fieri poteſt, vt quæcunque tanguntur partes à globulis ſtatim æque vrantur adeoq; cruſta obducantur, vt ne ſtilla quidem ſanguinis effluere poſsit. Atque facilè etiam, ne omnibus contradicere videar, contuſionem condonauero ſanguinem ſiſtere. Qui fiat verò ut à globulis caro vratur, veſtimenta autem non vrantur, cum antea rationi à ſtupa, lana, & ſimilibus ſumptæ, ſupra ſatis ſuperq; ſatisfactum ſit, non eſt quod quis amplius magnam impendat diligentiam, enixeúe, quod autores contrariæ opinionis parum in phyſicis exercitati feciſſe fatẽtur, aduertat, num aliquod vſtionis veſtigium, in eorum qui ab hiſce tormentis fuerint læſi reperiatur. Perinde ac etiam modo noſtram animaduertit opinionem, faciat periculum opportebit, pannos ipſa carne prius vri, in quempiam candentem periiciendo globulũ. Etenim modo quod aiunt, nos fateremur, mirum quidem eſſet, vel potius portento ſimillimum illæſis veſtimentis

tis carnem vtique vri. Propterea itaque vanum & futile id experimentum eſt, quod iſte proponit de ferreis laminis ignitis. Hinc valeat & eorum ratio, qua excuſſos à bombardula globulos vrere non poſſe contendunt, quoniam ſcilicet hi in magno contecti pulueris aceruo, moxq́; accenſo, non adeò incaleſcant quin facilè manibus pertractari poßint. Ob idq́ue nec nobis vſui eſſe volumus eliquati plumbi chartæq́ue affuſi experimentum. Item nec facit, quod aiunt, ſi globuli intenſum calorē conciperent, in carne, ſuper qua remorarentur, aliquod vſtionis veſtigium relinquerent vel ſaltem qui læduntur, inuſtionem & exſibilationem eam perciperent, quā in contactu humidæ ſubſtantiæ, nec non ignitæ rei excitari videmus: ſiquidem id facilè ſequi debere nos conſentiremus, vbi ſola, quæ in globulis acquiritur caliditas vrendo ſit: non minus quàm id ſequatur, concurrentibus, quæ antea à nobis neceſſario requiri dictum eſt, vbi & veſtigium vſtionis remanet, & inuſtio, atque exſibilatio quoq; ſequitur: quæ tamen à percußis ideo non percipitur, quoniam, vt antea dicebamus, hi prius afflentur, concutiāturq́; quam percutiantur. Iam verò experti cum ſimus, quanti iſtorum valeant rationes, quæ ſanè vnica dilui reſponſione poſſunt: ne iterum atque iterum idem in eorum reffellendis ſententijs repetēdo, diutius remoremur, ſatis inſuperq́; illis reſponſum fuerit, exiſtimamus, modo noſtram denuo repererimus opinionem. Dicimus igitur, facilè in iſtis percußio-

cußionibus vstionem promoueri, globuli scilicet caliditatem aliquam, ab sui emißione, & tormentarij pulueris exhalatione concipientibus. Nempè motu ipsos disponente, nec non pulueris iam dicta exhalatione ipsis adhærente, ad hæc denique innato percussæ partis calido, vrendi hanc potestatem in actum reducente, inflammatio excitatur. Hinc nihil obstat, globulos illico eiectos manibus inoxiè pertractari, atque eosdem feriendo carnem comburere. Constatque hinc, qua ratione, tametsi leuem actu caliditatem acquisierint, vrere tamen valeant, item & quomodo crustam, escharamúe, ne dicamus superficie tenus nos aut in ingressu, sed & penitius faciant, & si centũ partes vno ictu transfodiant, singulas vrant. Qui enim fiat, vt quãdoque vulneratæ partis opposita, cute illæsa, vestimenta disrumpantur, facilè constat. Siquidem globulos hosce quo maiori impetu ferũtur, plures vrendo, & contundendo partes lædere posse, credi debet: tum quia in maiori motu maior fiat attritio, violentiusque ea, de qua iam dictum est, pulueris exhalatio trahatur, sicque potentia actui proximior, maiorem operandi nacta facultatem, magis vrere valeat: hinc vnam atque alteram quandoque globuli transfodientes partem, vtrasq; vrunt. Alias verò nempe debilius lati, in particulam carnosam quoq; & raram, facilè remorati, ibidemq; ea exhalatione dispersa, oppositam non exeunt partem: tuncq;, nec mirum, vestimenta, cute aduersa parte occurrente, ceden-

cedenteq; illæsa, rumpuntur: vt nobilissimo iuueni Constantio Marsilio in Mirandulensi obsidione euenit, cui globulus in altero crure adusque oppositam partem, cute illæsa peruenit, coreaceumq; calceum è regione diuulsit. Quare & quod afferunt experimentum, & quos adducunt testes, nostram firmant opinionem. Itaque nil mirum, etiam affusum plumbum vix ante gosypij floculos vrere, aut puluerem tormentarium accendere, aut in carne ampullas excitare, interim maximè globulis istis vulnerando vstionem inferentibus, concurrentibus scilicet alijs, vt iam sæpius repetitum est, causis. Ad hæc cum nulla inter ferrum candens, quo vstiones facimus, & emissos à tormentis globulos, proportio existat, non est quod mirentur, istos fermè in instanti vniuersam partem, quam perforant vrere, vix ferè candentibus ipsis ferramentis, in tempore partibus vstis. Iam verò quia non sentimus globulos hosce vrere esse natos, ab ea solum caliditate, quam à solo motu conceperint, non est vt remoremur in his reffellendis rationibus, quibus hanc oppugnare opinionem contendunt. Nec enim sulphureus globulus bombardulæ immissus, moxq; indè excussus, nec accensus nostram tollit opinionem, siquidem, quod & antea sæpius repetitum est, licet vrere globuli sint apti, non tamen tantam actu concipiunt caliditatem, vt facilè dissolui possint. Ideoque nec quid faciat alia ratio nobis, quæ habet, globulos in quatuor brachiorum distantia nõ posse vrere, quod nondum tan-

iam

tam ex attritione & motu caliditatem acquirere poterint, quæ vrere poßit videmus, longè etenim iam constat, ab hac nostram distare opinionẽ. Quod idem experimẽto cum charta, tũ cera facto vtriusque scilicet globuli plumbei loco tormentis impositis, excußis, & non accensis respondemus. Nec nos ab instituto remoueat quod aiunt, in his vulneribus crustam mollem, & vdam apparere, quæ à contusione magis, quàm vstione facta iudicari queat, duris nempè his existentibus crustis, quæ ab igne contingunt: tametsi enim vsta vulnera hæc esse dicamus, non tamen (quod etiam supra à nobis dictum est) non esse etiam contusa concedimus. Dolorem verò, & nigredinem in ipsis quàm simplicibus contusionibus impensiorem ideo esse iudicamus, quod vna cum vstione & contusione, venenosa quædam qualitas, vt infra dicemus, admisceatur. Porrò iam ex dictis constare existimo, quomodo cerei globuli, & charta, & etiam si quid mollius his immittatur tormentis, licet non accẽdantur lædere nihilominus vrendo poßint. Nec mirum amplius cuipiam videri debebit, si cera non eliquatur, nec plumbum. Illud tamen non præteribo, quod dum aiunt, ipsi mihi maximum risum concitant, globulorum scilicet caliditatem, si quæ illis à celeri motu inest, eam à circũfluo aere, hincindeq; spirante vento maximè refrigerari debere. Et aliud non omittã, quod. s. concedãt sagittas quia in altũ ferantur, posse accendi, globulos vero nec incalescere posse, quia in altũ scilicet nõ

fe-

ferantur. Sed quis non prorsus eos irrideat dicentes, vulnera hæc saltem nimboso, pluuioso, & niuoso cœlo inflicta eschara expertia esse debere, nempè globulorum caliditate ab aeris humiditate extincta. Vel quis adhuc magis non cachinetur cum dicant globulos ab aere frigido, cui continuo occurrũt refrigerari habere? Iam verò, vel etiã quibusdam eorum rationibus intactis, futiles enim adeo visæ sunt nobis, vt ne quidem dignæ viderentur, quibus remoraremur, sat insuperque ipsis responsum existimantes, vel etiam qui fiat, vt nouem dierum spacio vulnera hæc augeri videantur, rationem in alium locum transferentes iterum dicamus, non ex simplici caliditate à motu acquisita, nec ab ea solum, quæ à bombardico puluere impartitur, verum tum ab vtroque, nempè celeritate motus, aerisque attritione, & pulueris exhalatione globulos ipsos sequẽte, eos quandam potestatem vrere natam acquirere, tum calido percussæ partis eam in actum reuocante, facilè vstionem excitari.

Vulnera à belli tormentis facta veneno infecta esse. Cap. XIII.

OStensum & antea est, tormẽtarium puluerem basim habere nitrum maximè incensibile, facileq; in exhalationem conuerti natum: sulphur autem vt id per quod melius, quod in ipso desideratur exequi poßit: huius namq; interuẽtu ignis aliquali- Nitrum tormẽtarij pulueris est basis. Sulphuris in puluerẽ usus.

liter remoratus, omnes nitri partes accendens, ipsam auget exhalationem: alias enim tenuiores solum, & extimiores nitri partes lingendo nullo ferè vsu absumeret: ad hæc vnà carbones concurrunt tenui facileq; incensibili substantia, tanquam materia nitrum sulphurque nectens. Itaque iam diu compertum est, sæpeq; expertum, uel etiam interpretum naturæ sententia confirmatum, elementa rebus ipsis alia atq; alia symmetria inexistere. Atq; pro eo quod in his potestate cæteris præstat, facilius hæc alterari & trāsmutari. Hinc in quibus aqua abūdat, facilè ab aqua suscipitur alteratio, vel in aquā facilis est trāsmutatio. Sic & in quibus ignis, et aer & terra dominiū habet: ab eo scilicet quod prædominatur alijs (vel magis vel minus resistētibus) elementis in propriam naturam conuersis. Ea enim perennis & perpetua lex elementorum est, vt inuicem transmutabilia sint, facilius licet hæc, ob scilicet conformitatem, difficilius verò alia ob difformitatem qualitatum in alia trasmutentur. Itaque & etiam animaduerterunt Philosophi, partem ignis unam decuplum aeris locum occupare, & vnam aeris decuplum aquæ, & vnam aquæ decuplum terræ. Hinc tormentarij huius pulueris substantia terrestri, ex quatuor nihilominus elementarijs qualitatibus composita existente, accidit igne, sulphure medio, in eius aridiori parte introducto, tantā aeris ignisque fieri multiplicationem, crassumque adeò tum ex eius humiditate, necnon terrestreitate tenui

Carbones in puluerē quid præstent.

Elementa in sunt reb⁹ nō eadē singulis symmetria.

Elemēta inuicem trāsmutabilia.

Elementorū ad inuicem proportio.

Pulueris effectus.

vaporem accendi, vt nullo ferè termino, licet capacißimo, complecti queat. Itaq; hæc omnibus scilicet, pro sui natura, vt alia superent, pugnantibus, adeò viuificantur in tantumq́ue furorem, in tamq́ue vehementem exhalationem pro calidi & humidi ratione prorumpunt, vt cum simul stare ob magnam controuersiam nequeant, aer ad aerem, & ignis ad ignem recurrere conetur. Quod cum fiat, ignis perindè ac superior agens, omniumq́ue potentißimus, omnia, antequam è sui dominio erumpant in se conuertit. Hincq́ue maximus ille impetus cuius imperio vel id in quod obclusus est, necessario disrumpitur, vel quod debilius resistit cedat omnino oportet. Hinc è tormẽtis tanto globuli strepitu explodu ntur: nempè aerẽ qui horũ tormẽtorũ oris obseruatur, corpore vnitum, & resistentem, ad hæcq́; sua infirmiori parte, ob terræ aquæq́ue propinquitatem frigiditatem, necnon densitatem aduentitiam nactum, ignis ex puluere calidißimus genitus, alteriq́; elementali qualitati contrarius, corporisq́; tenuitate aeri dissimilis, intra tormẽti fauces multiplicatus, vnà cum globulo sòlido, graui, ac denso erumpens maxima adeò vi frangit, vt indè, non minus quam in media aeris regione tonitrua, & fulgura ex craßis vapori bus accensis generantur, strepitus maximi sequantur. Vt quidem hoc loco æquè admiratione, ne dicam risu, eos iudicari dignos, existimẽ, qui student, ac qui credunt, puluerẽ bombardicum confici posse, qui sine strepitu quopiam, id efficere valeat, quod

Pulueris tormentarij impetus undè.

Horrificus fragor & strepitus bellicorũ tormẽtorum unde.

Iridẽdos eos esse, qui puluerẽ bõbardicum effici posse aiũt, q. sine strepitu quod etiã cõmunis præstare possit.

iam eũ, qui ſuperius deſcriptus eſt, facere dicimus. Porrò & inter ſtrepitus cauſas adnumerari poteſt ſubita quæ in igne fit ab aere frigido alteratio: necnon incluſi aeris in tormẽtis ignis vi, & globuli expulſi, extrinſecusque occurrentis colliſio: Nempè incluſus, in excluſi vacuas partes à præceſſo igne factas, cum ingredi nititur, atque excluſus renititur pugnantes inuicem, bombi cauſam adaugent. Quanta autẽ vi ab incluſi pulueris exhalatione occurrẽs aer rumpatur præter alia facilè tormenta ipſa oſtendunt, quæ licet grauiſsima, firmiſsimisq; lignis affixa, non raro à fracto hoc aere, alterutra oris parte percuſſa, etiam notabile ſpacium recurrunt. Sanè verò hanc exhalationem veneni qualitatem habere ſi Ariſtoteli credimus apertiſsimè conſtat. Ab his ſiquidem quæ natura vſta ſunt, exorta, vſtam quoq; exhalationem eſſe rationi maximè conſonum eſt, & caliditatem quandam habere, quæ nihil minus quam venenum officere nata ſit, ſimilem calx, cinis, & vſta omnia habent, ſimiliq; fulgur, id enim ex ſimili fit exhalatione, plurimum nocet. Quod verò exhalatio hæc vulnera ipſa inficiat: fluentis inde ſaniei in primis odor maximè fidem facit. Itaq; nil mirum vnum ac idem vno aut altero modo vel admotum uel exhibitum, diuerſis ſcilicet reſpectibus modo vtilis, modo pernicioſi medicamenti rationem habere. Quem enim latet, vt Galeni exemplo vtar, oleum, ceram, & ſquammam æris ſeorſum vlceribus ſummopere contrariari, vel eadem ſimul iiſdem maxime

Cur tormẽta ipſa quãprimum pila extruditur plurimũ recurrunt.

Pulueris bõbardici exhalationem ueneni naturã habere.

Pulueris exhalationem uulnera inficere quomodo ꝓbetur.

Idem diuerſa ratione & nocuũ & utile dici põt.

xime opitulari? Vel quis non nouit arsenicum bene habētibus vlceribus esse inimicißimum, vel idem cancrenosis, & depascentibus esse vtilißimum? Hinc nihil sanè mirum si concessero, sulphur & nitrum aliquot medicandis affectibus conuenire, vel etiam carbones sine noxa exhiberi posse: puluerem verò, uel potius eius exhalationem, ueneni naturam habere summopere ratione contendero. Cæterum cum ex dictis, tum ex his quæ alij quoque de hac re scripserunt, constet qualis hæc venenosa qualitas existat, nil prorsus aliud subdens, iam ad curatricem partem, ipsam orationem conuertam.

Vulnerum à belli tormentis factorum vera diffinitio quæsit. Cap. XIIII.

AD id tandem, cuius nomine, quæcunque anteà scripsimus, disputata sunt, curationem scilicet, quæ præsentes iam affectus tollere, siue amouendis ijs, quæ naturæ opus impediunt id fiat, siue per medicamenta quid ipsi moliamur, deueniamus. Expedit autem antea adhuc, præsentem diffinire affectionē, nam & nosse affectum à principio plerunq; licet, & indicationem ab affectu sumi necesse est. Porrò hinc nobis exordiendum videtur, quod quæ dicturi sumus, explicari à quoquam dilucidè nunquam possint, nisi omnis morbi natura prius exacta quadam inquisitione plenè sit cognita. Ab ipsa etenim rei de qua tractatur essentia perpetuo inchoandū esse his,

4. meth. & 2. affo. com. 22.

4 meth. c. 4. & 8. meth. capit. 8.

qui cum demonstratione quippiam sunt dicturi Galenus monuerit. Quum illud item maximè constans sit ab ea indicatione, quam morbus cui mederi paramus suggerit auspicandam curationem esse: qua sanè non prius commodè uti poßimus quàm omnis sit nobis morbi perspecta natura. Est igitur huiusmodi vulnerum genus multiplex affectus ex contusione, cum vulnere, vstioneque, & veneno compositus. Vulnus uerò hoc loci non propriè, sed communiter, perindè ac Cornelius Celsus vulnera appellat, quæcunque causam extrinsecus lædentem habent, intelligere expedit. Alias siquidem Galenus summus Medicus præcipuusque Physicus conuenientia nomina & congrua rebus accomodans, de vulneris nomine propriè loquēs ità scribit, vnum est morborum genus soluta continuitas, quæ in omnibus animalis partibus incidit, non tamen vnum nomen in omnibus sortitur, quippe quæ in osse fractura, in carnosa parte vlcus, sicuti etiam vulnus, & ruptio, & conuulsio. Atque adhuc clarius differens subdit, vulnus quidem solutio quædam est, ex vulnerando in carnosa parte relicta. Ruptio autem & conuulsio citra vulnerationem facta. Quam vtiq; sententiam & alibi plenius tractans ita expreßit. Vulnus quēadmodum ruptura continuitatis in carne solutio est, non ex distensione sed incisione profectum, si verò acutum, & tenue fuerit vulnerans punctura, seu punctio vocatur, veluti si graue contusio. Atqui appelles ut lubet, modo in proprietate, & rei natura

Gal. de simp. c. & 4. meth. & 2. meth.

Lib. 5. cap. 26

3. & 4 meth.

Vulnus propriè quid.

De cōst. art. med.

ra

ra conuenias, nusquam non monente Galeno circa voces sophistarum more, haudquaquam esse atterendum tempus. Itaque horum causa contundens & vulnerans, globuli ipsi sunt: vrens verò & veneno inficiens, ipsa tormentarij pulueris exhalatio: vt quidem hinc colligere prōptum sit, & compositam hæc primum curationem desiderare, & uariam: compositam quidem quoniam in quacunq; corporis parte, vel etiam carnosa tale quodpiam vulnus inciderit, & vulnus, & contusio, & vstio, & veneni intemperies summopere sint aduertenda: varia autem pro diuersorum affectuum inuicem complicatorum, nec non diuersarum partium quas offenderint natura, externis scilicet, internis, vacuis, non vacuis, neruosis, venosis, arteriosis, tendinosis, musculosis, ligamentalibus, cartilaginosis, osseis, simplicibus, vel organicis. Affectus siquidem ipsi aut simplices, aut compositi iudicantur, vel à causa, causisúe eos promouentibus, vel ab ipsius partis, cui insunt natura. A causa etenim simplicissima in composita parte compositus gignitur affectus, perinde ac in simplicibus etiam partibus à compositis causis compositum quoque affectum produci contingit. Hinc alios partis ratione simplices, pro ratione uerò causæ compositos, posse & vice versa etiam appellari, maximè constat. Atqui affectus hi, de quibus disserere sumus aggreßi, simplices nusquam cum sint, deridendi mihi prorsus illi videntur, qui eorū curationē expodituri, statim diligēter aduertendum censent, an vul

Vulnera à tormentis facta uariā & compositam curationē requirunt.

Affectus unde uel simplices, uel cōpositi dicantur.

A simplici cā etiam cōpositum accidere affectū.

In simp. par. compositos fieri morbos

Qui deridēdi sint.

nera hæc simplicia sint, sine scilicet contusione & dolore, tum maxime cum antea nil aliud sint nobis suadere connati, quam hosce affectus simplices esse contusiones. In his igitur contundens causa & vulnerans, globuli ipsi sunt, vrens verò atque veneno inficiens pulueris iam dicta exhalatio: externas siquidem causas tametsi ad curationis indicationem nihil conducant, considerare expedit: quoniam ad affectus agnitionem, quandoq; plurimum faciant. Nam pone, sciam tormentarium globulum quempiam percußisse, didicero statim quale sit vulnus, quod cum cognouero, statim quoq; ab ipsius rei natura curanda indicationem sumam. Cum igitur iam nemo non nouerit, ab horum tormentorum vi nullam partem, vel etiam tantillum lædi, quin globulis orbiculatis, grauibus, & duris existentibus contundatur: num insulsè dictum iudicabimus animaduertendum esse, an vulnera simplicia sint, sine contusione scilicet, & dolore? Sed quid mirũ hos, in his committere, cum ne quidem ex processu termi nos nouisse videantur? Quippe qui fingamus, dicunt, carnosam particulam quampiam à plumbeo globulo ictam vulnus cum contusione accepisse, re neutiquam vlla in vulnere remanente, erit quidem huius morbi essentia continui solutio, contusio, & dolor: solutionis nomine, quæ genus est, vulnus ipsum intelligentes quæ ipsius species extitit, cui rei, quo clarius suam proderent inscitiam, sic subscripsere runt. Solutio continui & contusio in carne fiet à glo-

Externas causas conside rare Medico ẽt expedit 4. meth.

Nota contra primam defi nitionem.

globulo perforante & contundente, ac ſi contuſio commune nihil cum contuni ſolutione, in qua maximè continerur, haberet: Atqui audio iſtos, cum ſe Medicos profiteantur, de nulla re ſibi forè determinandum dicentes, quæ oculis non ſubijciatur, quoniam Medicus artifex ſenſitiuus exiſtat: nec idcirco perperam ſe feciſſe contendentes, qui vulnus alioqui patens, & labra ab inuicem dirempta habens ſolutionis nomine comprehẽderint, neutiquam verò contuſionem, quæ quas diductas partes habet, non æquè ſenſibus exponat. Inſulſa ſanè, ac minus longè quam tepida, ſolumque tantis viris digna excuſatio. Porrò & qui hunc affectum multiplex morbi genus multiplicemq; continui haudquaquam ueneni expertem ſolutionem diffiniunt, præterquam quod nihil plus quam primi præſtant, maiorem adhuc confuſionẽ profundunt: etenim quum quid multiplicis morbi generis nomine intelligunt, exponere ſtudent, aiunt, multiplex morbi genus eſſe propterea dicitur, quod in eo vulnere aduſtio, contuſio, attritio, fractura, & venenum ſit, quorum quodlibet per ſe genus morbi efficit, atq; in ſuas diducitur ſpecies. Oratio (mea quidem ſententia) difficulatibus haudquaquã carens: quippe quòd ſi rectè quis perpendat, vulnus, uſtio, contuſio, attritio, fractura ſub ſoluta continuitate ipſa comprehendantur. Nec enim video, quod morbi genus horum quodlibet faciat: niſi tamen genus pro ſpecie ſumamus: quod utique ſi fecerimus nec facilè aſſequor, quarum nam

Cõtra ſecundam definitionem.

ſpecierum genera hæc futura ſint, cum de pluribus, genus ipſum ſpecie differentibus dicatur. Vulnus ſiquidem perpetuo carnoſarum partium ſolutionem indicabit, quod itaque licet figura, habitu, & loco differat, quod idem eſt ac ſi numero id differre dicas eadem nihil minus ſemper ſpecie comprehēdet, quod idem de contuſione, attritione, & fractura, iudices rationi conſonum eſt. Atq; ideo alia ratione, multiplex nos morbi genus intelligimus. Etenim tria morborum genera communiter cum adſignētur, intemperies, mala compoſitio, & ſolutio continui, atque altera ſimilaribus, altera verò organicis propriè adſignetur, tertia autem vtriuſque communis exiſtat, atque hæ omnes ab hiſce tormentis non raro concurrant, factum eſt, vt hanc nos affectionem, ex multiplici morborum genere affectum diffiniuerimus.

Vulnus quid

Multiplicis morbi genere quid itel ligamus nos

His vulneribus curandis petendarum indicationum ſedes Cap. XV.

Rectè quidem fiet, mea ſententia, modo curandi huius affectus rectam methodum tradere velimus, ſi ab eius ſimpliciori curatione curſum incipiamus, moxq́ue ſi tanquam filo inhærentes, nihil quod morbum augere, vel traditam methodum immutare valeat, prætereamus. Ita enim diſtinctè magis copioſiusq; de vnaquaque re, quam ſi prorſus omnia confunderentur, tractari poterit. Simplicior au-

autem curatio, ab affectus ipsius simpliciori natura dessumitur. Atq; ea est, vbi carnosa quæpiam pars sola, alio nihil penitus interueniente, læsa sit. Itaq; pone, manum aut pedem sua parte magis carnosa à tormentario globulo læsam, eandemq; tibi propone curandam. Erit quidem tibi in primis, qualis nam affectus sit considerandum. Eum autem reperies solutionem continui esse cum intemperie maximè cõplicatam: concurrentibus nempè vlcere, contusione, vstione, nec non venenosa qualitate: atque in his quidem omnibus contrarias subinde indicationes vno tempore fieri comperies. Quippè si vlcus consideres, illud exsiccationem considerare cognoscis, si contusionem ea quæ humectẽt & concoquãt, si venenosam qualitatem, attrahentia simul & calefacientia, si vstionem quæ medicè abstergant non euidenter calefaciant aut refrigerent. Tum itaque in eiusmodi complexu estimabis à quo maximè discrimen ægro impendere videatur. Secundo loco quid quæue ex his causæ rationem obtineant, & quæ ab ipsis efficiantur. Tertio quæ sanari ante alia poßint, & quæ non poßint. Vbi namq; à quoquã affectum non leue periculum instat, ad id quod vrget, dirigi primum curantis consilium debet. Vbi aliquid efficiens est, aliud autem quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda. At vbi curari hoc ante illud non licet, ad id quod ordo dictat est respiciendum. Atque quoniam quidem in eo curationis consilio, quod ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendenda est, quæ triplex

Simplices curatiões unde dessumendę.

Qualis affectus sit Medico in primis requirẽdum.

Curatiõis ordo unde sumendus.

Affectus magnitudo triplex.

plex existit, alia quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur, alia quæ ex propria affectus essentia, & tertia præter has, quæ ex facultate, quæ læsum cor pus gubernat æstimatur. In eo verò consilio, quod à causæ ratione sumitur, animaduertendum est, quid nam eorum, quæ inter se coniuncta sunt, augere, aut gignere reliqua posśit: quæ rursus vel gignantur, vel incrementum ab eo accipiant. In eo autem, quod ordo præscribit, quid ante quod, vel quid cum quo, vel quid post quid sanari posśit. Quæ omnia, vbi diligenti animo perspexeris, facilè huius affectus sana tionis rationem, ab ipso veneno extinguendo esse exordiendam intelliges. Etenim siue ad id quod ma gis vrget mentem adhibeas, siue ad causam augentem & fouentem, siue ad id ante quod nihil sanari queat respicias: facilè hoc perspectum habebis. Ab ipso namque veneno, vnde maximum instat periculum, curationis initium sumi debet, tum itaq; quod ab eodem vstio magnificetur, in contusioneq; putredo augeatur, necnon spiritus ipsi labefactentur, ma iorq; continuo dolor excitetur, vel etiã quia compli catorum affectuum quis ante ipsum nusquam curetur. Iam verò & illud in complicatis affectibus curandis scire operæpretium est, quòd vni licet præ cæteris occurrendum sit, alios tamen non ideo esse negligendos. Etenim pro vt quicquid, pro natura sua indicat, id vnum semper indicabit, ceu quod vnam habet naturam. Atque id vnum si quod indicationem facit simplex est, ipsum quoque simplex erit,

Venenosæ qualitati in his uulneribus cur primo occurrẽdum.

erit, sin illud est compositum, hoc quoq; erit compositum. Sanè quædam sui custodiam indicant, quædam amotionem: siue autē hanc indicent, siue illam, quod simplex est simplicem quoq; indicationem habet, quod non simplex etiam non simplicem. Idcirco in præsentibus affectibus compositam, vel etiam ex contrarijs indicationem suggeri est existimandum. Quare igitur cum hæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est, vt dū alteri nimium sis intētus, alterius omnino obliuiscaris: sed vtriusq; memor, quò ad licet vtrunque misceas: quod mihi præceptum vbique memoria teneri velim. In hoc igitur affectus genere quoniam multa concurrunt, vulnus inquam, contusio, vstio, & venenosa qualitas, quæ sanè omnia dolor sequitur, ea erit intentio, vt probè vulnus vniatur, quæ nihil minus mente licet prima concipiatur, postrema tamen expeditur: siquidem antea remouendum id omne est, quod nos ab optato fine desperare faciat. Vt igitur voti compotes fiamus, mea sententia in primis arcendo dolori enixè studendum est, alijs interim non neglectis: propulsabitur verò is, cum veneno, tum vstione extinctis, à quibus mox ad contusionem erit diuertendum, ac denique ad vlceris sanationem.

In curandis affectib⁹ queçūque prius mente concipiuntur postremo ordine assequimur.

De horum vulnerum in carnosis partibus existentium curatione. Cap. XVI.

IGitur quamprimum vulneri in carnosa parte facto occurreris, quanta sit læsio in primis examines

nes oportet. Hoc autem cognoſces cum lædentis cauſæ figura, & magnitudine perpenſa, & vulnere diligenter inſpecto, tum ab accidentibus ipſis. Ex telis enim quod orbiculatum eſt, carnem collidit, maturat, & lacerat: quod autem quadratum eſt, atterit dilaniatq; magis: quod verò cauum teſſerulis animatum ac in plures partes diuidi aptum, inæqualiter magis hæc omnia facit. In quocunque aũt horum genere quod maius eſt magis, quam quod eſt minus lædit. Indicabit hoc idem vulneris ipſius figura orbicularis vel non, æqualis vel inæqualis, latior vel anguſtior, quoniam quale telum ſit, tale & os plagæ eſſe oporteat. Quod itaq; ad hoc attinet, ne decipiaris moneo, vulnera ab his telis facta, altera parte, qua ſcilicet ingrediuntur, anguſtiora eſſe, altera latiora: quæ autem ab alijs telis fiunt, vel ingreſſum patentem magis habent, vel etiam egreſſum æqualẽ: in his verò hoc adeo accidit, quod & forando, & incidendo vulnerent, hæc autem contundẽdo: etenim quæ primò occurrit cutis alijs ſuffulta partibus, non æquè extenditur, ac quæ oppoſita eſt nullis incumbens. Quanta etiam læſio ſit indicabunt, vel ſæuiora, vel mitiora quæ ſequentur ſymptomata. Siquidem in maximis læſionibus maior præcedit concuſsio, corpus & mens ſtupet, vulnerati attoniti fiunt, eoſq; frigidus ſudor inuadit, mox exæſtuant, vulneris ora liueſcunt, infuſcantur, denigrantur, ſubſequitur febris, ſiti conficiuntur, ſomnũ non capiunt, difficulter ſpirant, ſyncopis & vertigo

tigo oboritur, tumultuosa insomnia affligunt, facies inflammatur, oculi rubent, desipiunt, atq; absurda loquuntur, quæ omnia, vbi mitior læsio fuerit, leuiora quoq; accidere consueuerunt. Sed nihil tamē melius est, quam certiore id nota explorare. Ergo qua plaga est, demitti vel digitum, vel specillum lenticulare oportet, quæ vbi ad os non venerint, & nihil nisi læue, lubricum, & carnosum occurrerit, credi integrum esse os ipsum omnino debet: idq́, adhuc magis, si & prius & postea vulneratum membrum manibus hac illacq́ue pertractaueris, atque nihil, quod os fractum esse indicet perceperis. Itaq; omnibus perspectis, sanguinem, si effluit (effluere enim parcißimè solet) excurrere permittas: sin minus, vt omnino excurrat studeas. In Parmensi siquidem obsidione dum apud Io. Baptistā Montium Iulij III. P. M. Nepotem clarißimum, Medicum agerem, præterquam in pluribus alijs, in Bononiensi milite Strobilino nomine appellato obseruaui, brachio è fine epomidæ musculi à bombarda confracto, vt ne quidem eius restitutio vtcunque sperari posset, ne stillam quidem sanguinis emanasse, basilica interim atque humeraria, nec non & arteria ipsa manum excurrente omni ex parte discißis diruptisq́;. Cuius rei testem Camillum Goggiadinum equitem atq; Ducem strenuißimum, cui tunc ille inseruiebat, vna cum alijs quamplurimis militibus habeo. Quod itaque & quam plures alij in Mirandulana etiam obsidione admirati sunt, cum me idem animaduer-
ten-

tentem viderent, in iuuene quodam Florentino, cui è malleorum regione pedem alterum integrè, & alterius totam posteriorẽ partẽ, bombardæ impetus sine vlla tamen sanguinis nota confregerat: & in altero quoque, cui inter femorum & crurum musculos, ac ferè tendines omnes bombardicus globulus transuolando, ne tantillum quidem illos contingens, cute, nullo sanguinis vestigio apparente, denudauerat. Ab his igitur vt sanguis euacuetur enixè tibi laborandum erit, quippè copiosius è vulnere sanguis emanans potest nonnihil virulenti liquoris exhaurire. Quare angusta etiam huiusmodi vulnera scalpello dilatare vtilissimum est, quin à maioribus abscedentes carnes hinc auferre, & labia acie scalpelli circumscribere, & præhensam hamo carnem amputare oportet. In his itaque circunstantia loca altioribus vlcusculis scarificanda, vt sanguinis vacuatio, ne venenum membratim insinuetur, resistat. Cucurbitulæ cum multa flamma agglutinatæ id iuuamenti præstant, vt veneni vis extrahatur. Deniq; contra virulentos hos ictus vstio expeditissimum est auxilium, vt potè cum ignis cætera viribus præstet. Simul quod virus domet, & ferri penitus patiatur, simul quod pars ignem experta deinceps nõ vilem, nec indecoram loci instaurationem efficiat. Admirabitur autem fortasse quispiam quia dixerimus vulnera hæc vrenda esse, cum & antea dictum à nobis quoque sit, eadem vstam sapere naturam: cum potius quidem quæ refrigerent, si modo con-

tra-

traria contrarijs tollenda sunt, vsui futura esse videantur. Atque si dixerimus, ideo nos id faciendum consuluisse, vt virus aut venenum, quod ipsis inest reuocatum vi ignis educatur, adhuc dubitabunt, qui fieri poßit vt veneno alioquin natura calido ignis contrarietur. Itaque scire oportet, unum altero contrariari, uel qualitate, uel ui, atque potestate. Rhabarbarum qualitate bili similis est, & conuenit, alterutro calido & sicco existente: ui autem & potestate summè contrariatur, eam trahendo, & educendo: sic & prorsus ignis ueneno contrariatur id quod alta petere nititur, maximè reuocãdo. Non desunt uerò etiam, qui omnibus hisce vulneribus, & quibuscunq; partibus inexistẽtibus, medicamentum quod recipit saponarij lixiuij selibram, minoris solani semina habẽtis, aut sonchi (cicerbita vulgo dicitur) aut scabiosæ (Græcis nomine uacat) uncias duas, theriacæ semunciam; omnibus simul in uase uitreo mixtis, sub soleq́ue uiginti dierum spacio fermentatis immittant, & linamenta quibus replenda sunt eodem infarciant, idq́ue ad tertiam uel quartam usq; diem admoueant. Qui idem quoq; summopere ægyptiacum appellatum medicamentum maximè commendant. Laudant itaq; alij sambucini olei feruentis infusionem: ita namque vulneribus hisce vstis, qui læsi sunt & à contusionis putredine, & pulueris venenosa qualitate vindicantur. Iam verò quoniam vstio, contusio, adhæcq́; vulnus dolorem faciunt, ob idq́; fluxionem mouent, nempè

do-

dolore partis imbecillitate atque morboſo calore eam accerſente, hanc amouere omnino eſt enitendum. Amouebis autem eam, accurrentem humorem retrahendo, repellendoq́ue, affectamq́ue partem roborando, & ſi quid affluxionem accerſit id ſubmouendo. Sanè humores reuelluntur ſectione venæ, ſi quidem vires valent, ſin minus admotis cucurbitulis, vel ligaturis, vel frictionibus, vel calfactis partibus directè affecto loco reſpondentibus. Repelluntur verò admotis medicamentis quæ hanc vim habent. Accerſentes autem defluxionem cauſæ ſummouentur, partem confirmantibus ſi imbecilla, ſtringentibus ſi laxa, refrigerantibus ſi calida, dolorem demulcentibus ſi hoc ægrotus affligatur.

An sãguinis reuulſio in iis uulnerib. cõueniat.

Iterum dubitari poterit num ſanguinis euacuatio, reuulſionis præſertim nomine, in hiſce vulneribus conueniat: tum itaque & quoniam ferè in cæteris omnibus commune videatur, vt à principio repellendis humoribus, compeſcendoq; ſanguini oui albumina admoueantur: an iiſdem in iſtis vti oportunum eſſe, ſit exiſtimandum. Sane qui vulnera hæc contuſionem eſſe ſolum contendunt, humores repellere, eoſdemq́ue reuellere vtile non ſolum, verum etiam neceſſarium omnino affirmabunt. Qui verò eadem veneno infecta exiſtimant, alterutrum nega uerint exiſtimo: perindè enim ac illi inflammationis periculum euitare ſtudent, iſti veneni noxam fugere conantur. Atque vt illi venæ ſectionem laudant, & ouorum albuminis appoſitionem, quoniam

ea

ea sanguis retrahatur, quo minus in partem affectam influat, hac verò propterea quod qui inde emanat, sistatur, eundem quoq; in vicinas partes repellendo traducere valeat. Alterutram isti damnant, nempè quod venæ sectione venenosa qualitas sanguinem sequens in altiores corporis partes retrahatur: & ouorum candidi viscositate, & infarctu maximè transpiratio prohibeatrr, vel etiam sua frigiditate altius sanguis ipse compescatur. Nos autem neutræ inhærentes opinioni, & venæ sectionem qua sanguis & humores reuellantur, & candidi ouorum appositionem quodammodo admittimus. Albumen quidem post exactam à patiente particula sanguinis euacuationem, sedisq; affectæ absolutam vstionem, nec id quidem simplex, sed vel ex sambucino, vel hyperici oleo apponentes, aut etiam simplex, si vtriusque olei, uel alterius saltem calidissimi larga præcesserit affusio. Solemus autem & plurimum ouorum candido orientalis Armeniæ bolum, ualidissimè enim venenositati repugnat admiscere. Sanguinis vero reuulsionem, perspectis tamen prius viribus, regione, tempore, ætate, & morbo: quoniam veneni huius natura, vt etiam ab aliis dictum est, perindè ac multorum aliorum, cor, aut aliam magis partem quàm aliam non respiciat, sed potius tractu temporis membratim insinuetur, & uniuersum corpus occupet. Qua prorsus etiam ratione, neque à repellentium vsu desistendum esse consulimus, tū quod hæc non ad ipsa, sed circa ipsa vulnera apponenda

ſint, tum quòd præterquam affluxum humorum inhibeant, patientem quoque particulam confirment, ac fortiorem faciant. De hoc autem medicamentorum genere obiter dicere aliquid ad rem ſpectare videtur: quoniam ſcilicet inter medicinæ grauiſsimos auctores non idem de ipſis conſtet. Arabum etenim Princeps, quoniam attractio & repulſio contraria ſint, repellentia medicamenta trahentibus ipſis contraria conſtituit, ob idq; repellentibus medicamentis à frigiditate facultatẽ ineſſe ait, qua refrigerent, partesq́ue condenſent, & meatus conſtringant, ac attractricis facultatis caliditatem refrangant, atq; influentem materiã ſpiſsiorem reddant, & ita humorum ſuſceptionem in partes læſas inhibeant. Licet verò Princeps qualis repellentium ſubſtantia exiſtat, non expreſſerit, facilè tamen ex Galeno intelligi poteſt dicente. Igitur attrahentes ſunt, quæ ex alto uehementius extrahunt: repercutientes verò, quæ in altum occurrentes ſibi ſuccos repellunt. At eſſentia illis calida eſt, & tenuium partium, his verò frigida & craſſarum. Attrahit enim perpetuò calidum, repellit vero frigidum: verum quod cum caliditate coniunctam habet partium tenuitatem, trahit vehementius: quod verò cum frigiditate partium craſsitudinem, id violentius propellit. Itaque ex actionis vehementia nomen vtrique impoſitum eſt. Atque adſtringentium quidem nota eſt eſſentia, ut hinc quidem cum ea tenuis conſtituatur, cuius contrarium craſſum exiſtit. Arabum Principem re-

Lib. 5. de ſim p. c. 17.

pel-

pellentium substantiam crassam esse tunc indicasse constat, cum attrahentibus repellentia esse contraria dixit. Qui itaque inflammationum curationem docens, quæ repercutiunt medicinæ sunt, dixit, vt herbarum frigidarum succi, vt portulacæ, cucurbitæ, & virgæ pastoris, quam alij alopecuros, alij dispacum esse uanè contendunt, nil enim ea Auicennæ aliud est, quam quæ Dioscoridi polygonon aut sanguinalis herba dicitur, sanè indicans eas frigidas humidasque esse debere. Qui ipse quoque dum curare apostemata docet, oportet inquit, stipticum adstringens frigidæ complexionis esse, ubi acuta uel calida apostemata ipsa fuerint. At ubi frigida sint, oportebit id alicui esse admixtum, cui uirtus calida inexistat, cum retentione sicut squinanthum, ut facilè quidem pugnare inuicem hæc omnino constet. Igitur humorum repulsionem facimus, vel eos repellendo, uel transmutando: hi autem impelluntur à frigido, transmittuntur autem à stiptico. Frigidum siquidem ea ratione, qua paulo antea dictum est, repellendo scilicet, humorum in affectam partem influxum prohibet: stipticum verò partes quibus admouetur, corroborando, humorum transmißionis causa existit: nempè partium ipsarum substantiam cogendo adstringit, qua adstricta necessario quæ illi inest materia ad vicinas exprimitur partes: adde itaque eodem nomine, innatum calorem foueri, atq; augeri. Itaque repercußio modo latius, modo præssius vsurpari poterit. Ac proinde Arabum Prin-

 ceps

ceps præßius hanc accepit, dum eam à frigidis fieri dixit. Atq; quidē hæc repercutiendi ratio, humidis ſiccisq́ue esse poteſt, ualentius licet ſiccis adnexa operetur. Porrò & repellendi facultas latius intelligi habet, pro impulſione ſcilicet, ſimul & expreßione: qua ſanè ratione Gal. & alij eam vſurparunt, ſcientes nempè defluxui prohibendo, frigidorum quæ impellant, & adſtringētium quæ tranſmittant, admotionem vſui maxime eſſe futuram. Scire itē operæpræcium eſt, ſtiptica medicamenta quæ tranſmittere apta ſunt, ab humoris repellendi cum temperamento tum ſubſtantia ſi indicatio ſumatur, non eiuſdem prorſus ſemper eſſe naturæ debere. Etenim ſi quæ materia repellenda eſt, præterquam quod ſubſtantia fluxilis fuerit, fuerit quoq; inter calidum frigidumq́; media, aut etiã ad hoc illudúe declinans paululum. Et repellentia etiam, quod ſpectat ad has qualitates ſymmetra eſſe oportebit, ita namque & eam tranſmittent, & ſua ſiccitate vtcunque abſument. Siquidem licet frigidum faciat impulſum, præſtabit nihilominus materiam talem ſolo repelli tranſmiſſu. Si autem quod repellendum eſt, calidum ſit, nec craſſarum partium ſatis, repellentis medicamēti ſtipticitatem frigido admixtam eſſe conueniet, quod maxime in acutis & calidis defluxionibus eſt aduertendum: in quibus præterea quòd maximè impulſus eſt opportunus, frigiditas medicaminis materiæ complexionem malam non auget: quod maximè materia frigida exiſtente (huic enim impulſus non

non conuenit) contingeret. Quapropter frigida existente materia, quæ repelli debet, præstabit uim adstrictoriam calidis affusam esse, atque humorem ipsum solo transmissu repelli. Alias .n. frigiditas frigiditati addita, & crasior & viscosior tenaxq; magis, transmisionique ineptior redderetur, caliditate interim viscositatem incidente, crasitiem tenuante, transmisioni vias parante, nec non humoris frigidi qualitatem alterante. Igitur vt vnde simus digresi redeamus, quam primum vulnus in carnosis solum partibus factum, nihilq; illis esse infixum intellexeris (trahunt enim quæcunq; occurrunt secum globuli, sæpiusque eadem infixa relinquunt) sanguinis euacuationi cum propter iam dictas rationes, tum quia ab omni recenter facto vulnere, nisi in ventre sit statim plus minusue sanguinis effluere expedit, studebis: fit siquidem eo fluente vulnus siccius, proindeque sanius, minusque inflammatione infestatur. Hunc autem largius fluentem, quomodo sistas, paulò post doceberis. Expurgato itaq; à sanguine vulnere, id candenti inuras ferro optimum est: quòd si nec tibi id fieri necessarium videatur, uel maximè renuat æger: feruenti quopiam oleo illud perfundere ne prætermittas: in hunc vsum sambucinum oleũ venit, anethinum, camæmelinum, costinum, & quod ex hyperico etiam conficitur. Præfero tamẽ ego cæteris omnibus medicaminibus id oleum quod in hunc vsum, tũ alijs venenosis uulneribus, ferarumq; mortiferarum morsibus curan-

Hip. de ulceribus. Gal 4. meth.

dis meo marte paratum habeo: quo itaq; & tu utaris maximè consulo, aut saltem nouum simile quodpiam, ita .n. & uersatior in arte fies, effingas componasúe suadeo. Porrò his expeditis, perspecta interim oris vulneris latitudine ex mundatis stupis ea proportione cuneolum (turundam appellant) effinges, quæ dolorem mouere nequeat: hoc tamen obseruato, ut hunc non teretem, & si circulare vulneris os existat, sed utrinque depressum, ut scilicet ea figura alioquin difficillimæ consolidationis tollatur. Atq; hũc albumine uel solo, uel ex altero, alterisúe dictorum oleorum conquassato oblitum impones, nihil salis (quod vulgares maximè faciunt) interim inijciens. Qui fiat siquidem, ut salem quidam cum in alijs, tum uerò maximè in his laudent, non uideo. In illis enim fluxiones excitare mordicationis nomine sal maximè potest: in istis uerò maturationem, tantum abest ut quempiam præstare vsum valeat, probibere. Cum tamen dicat Hippocrates. Danda uerò opera est, ut ulcus quàm celerrimè suppuret, hoc enim pacto quæ iuxta sunt inflammari non possunt, ipsumq; purum quàm celerrimè efficietur: necesse enim est, laceratam collisamque carnem in pus uersam tabescere. At dicant, sal exsiccat. vlceraque omnia, vel ipso Hyppocrate teste, sicca fieri desiderant. Audiant hi obsecro, quid respondeat optimus ipse senex, postquam purgatum erit, siccari vlcus debet, nam sic maturè admodum sanescet, & caro non humida, sed sicca producetur, sic etiam in ul

De uuln. capitis.

De ulcerib.

De uuln. capitis.

cere caro minime ſupercreſcet. Quòd ſi adhuc ceruicoſe quis inſtet, Germanorumq́ue morem proponat, qui quamprimum vulnus acceperint, id ſale replent, ſciat is maximè eorum temperamentum eſſe animaduertendum, ſunt autem hi eo tum humidiore, tum frigidiore citra controuerſiam. Habent autem Germani temperamentum tale cum à cœlo & ſemine, tum à largiori ipſa victus ratione: plus etenim, quam par ſit, cibi & vini deuorantes ingurgitantesq́ue calorem adeò innatum opprimunt, quo minus proprio fungi officio valeat. Hinc illis palor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, furiales ſomni, inquies nocturna, halitus calidi, rerum obliuio, mors memoriæ, paralyſis, apoplexiæ, repentiniq́; ac intempeſtiui interitus. Quare igitur Germanis ipſis haud minus quam porcis, ſalem animam eſſe dici cum poßit, nil mirum videri debet, etiam eorum vulneribus ſalem vſui eſſe: quoniam ſcilicet ſiccare inſigniter valeat, atque in ipſis acredine, à maxima, qua abundant humiditate exutus, nihil mordicare. Verum cum Galeno dicamus nos neque Germanis, neq; aliȷs agreſtibus, aut Barbaris hominibus hæc prodimus, non magis equidem quam vrſis, apris, leonibus, aut aliȷs id genus: ſed Italis, & ȷȷs, qui tametſi genere ſunt Barbari, Italorum tamen æmulantur ſtudia. Nam quis, quæſò, noſtrum tulerit, modo editum infantulum, etiam ab vtero calentem, ad flumen defferre, ibiq́ue (ſicuti Germanos aiunt) ceu candens ſit ferrũ in frigidum

Gal. 3 de morbis uulga. & 2. de tempe.

Primò de ſanit. tuen.

humorem mergendo, simul de naturæ vigore periculum fecere, simul corpus ipsum roborare? Quippè si citra noxam id tolerauit, & quod propriæ naturæ robur ostendit, & nouum præterea robur ex frigidæ commercio comparauit nulli non pateat. Cæterum si ab externo frigore naturalis calor sit victus: quod protinus interire necesse sit, id quoq; neminem latet. Quis igitur mentis compos, nec omnino ferus Scythaúe proprium pignus in id agere discrimen sustineat, in quo errorem mors sequitur: potißimum cum ex eo periculo non magnum sit quod lucrifaciet? Quod tamen Germani cum faciant, nil mirum etiam si sale vulnera inspergant. Cuneolo itaq; ante omnia indolenter, utrinq; vulneri immisso, linteoloq; mundo, læui, molli, ac tenui, vt Hyppocrati placet, eodem, quo & cuneolus medicamento affuso, vulnus ipsum, vel vulneris ora conteges. Eos etenim summè damnamus qui funiculo vulnera hæc traijciunt, tum quia maximum inferant dolorem, neque coeant est verendum. Dolor autem, tantum abest vt excitari debeat, vt primum, id quod antea sæpius repetitum est, submoueri habeat. Cuius nomine etiam curato, ne cuneoli quos imposueris, vulneris fundum attingant, modo ora dehiscentia adseruent. Quod non solum in his, verum & in alijs etiam vulneribus præsertim punctim factis obserues volo. Siquidem in Parmensi agro dum Illustrissimum D. Io. Baptistam Montium in femore è regione tertij & quarti musculorum tibiam mouentium hasta

De officina med.

hasta longiori, dum strenuißimè aduersus hostes pugnaret, vulnere scilicet à poplite ad superiora vsq; femoris altius semper penetrante, saucium hac ratione fælicißimè curarem, Ferrãtesq; Gonzaga pro more eum conuenisset, Medicosq; quos ipse alebat, gratitudinis officio ad eum inuisendum mißisset, hi (existimo) vt aliquid facere viderentur, vix audita quanta à principio vulneris longitudo esset, meũ sunt admirati curationis consilium, cuneolosq; pro vulneris longitudine conficiendos esse enixè adeo contendere cœperunt, rati id alias curari non posse, vt ne quidem vlla ratione illis suaderi potuerit vulnus ipsum iam propè ad altiores sui partes coaluisse: nec cuneolos longos ita facere opus esse, argumento ab orificio vulneris in decliuiore parte existente, tumore euanescente, læsæ partis indolentia, atq; fluentis inde puris paucitate sumpto. Itaque re ipsa illis indicata, hosce cuneolos quam primum imposuerunt, vulneris partem, quæ iam coaluerat aperientes fluxionem excitarunt, dolore nempè eam maximè ad partem debilem accersente. Vt quidem mihi denuo curatio fuerit delegata. Hæc autem non idcirco solum exposuisse volui, vt meã curandi vulnera hæc rationem proponerem, sed vt alios admonitos facerem, nusquam non rationi esse cedendum. Etenim quæ omnia cum ratione fiunt, maximè succedunt, & quicunque rationi detrahere student, tandem sua opinione decepti, deluduntur, deridenturque. Iam verò vt paratæ materiæ defluxioni te

op-

opponas, tempus exigit: quare circa ipſum vulnus è regione potiſsimum ſuperiori partis affectæ, vnde ea maximè influere eſt apta, reprimentia appones (defenſiua vulgus appellat) è numero quorum, frigida aqua eſt, poſca, roſacea, ac tandem quæcunque refrigerant, vel vnà etiam adſtringunt. Quale medicamentum eſt quod recipit ſucci plantaginis, ſucci ſedi (ſemperuiua vulgo dicitur) ſingulorum vnciam vnam, pulueris roſarum rubearũ vncias duas, pulueris myrtillorum tantundem. Item & aliud quod habet aceti optimi vncias iiij. albuminis oui vnciam vnam, aquæ roſaceæ vnciam vnam & ſemiſſem, pulueris roſarum rubearum vnciam vnam. Et aliud ex ſemperuiuo, mali corio, & rhu in vino decoctis. Item & id quod ex olei roſati completi, olei myrtini, olei omphacini ſingulorum vncia una, ſandalorum omnium, vniuſcuiuſque drachma vna, boli armeni vncijs tribus, necnon cera quod ſat eſt ad lenimentum conficiendum. Hoc enim, vel ſimile quodpiam communiter paratum in hunc vſum habemus; quod ſi tamen ad manus non ſit, faſciam poſca imbibes, vel roſacea, vel ſuccis iam dictis, vel etiam ſi his careas, aqua frigida, eaq́ue partem affectam ſupra vulnus obduces, ſæpiusq́ue noua frigida perfundes. Puſcam verò, quam & poſcam, & oxicraton vocãt facturus, aquæ acetum (id enim æquè acre vniuerſum non exiſtit) ita permiſcebis, vt bibi citra noxam poßit. Atqui vbi ex ouorum candidis puluercs recepti ſint bolus armenus ſcilicet,

Galen. 2. ad Glauco.

ſan-

sanguis draconis, & similes alij, non fascia quidem, sed stupis medicamentum est recipiendum, hisque membrum inuoluendum, quibus mox fascia superdanda est. At si in lenimenti formam, vt antea dictum est, hæc redegeris, caput fasciæ tantum eo medicamento incrustabis, quod sat sit membro vnica obductione: reliquum autem fasciæ superdando, arctè obligabis, inter namque ea præsidia quæ per se fasciæ afferunt, id non postremum est, quod ab inflammatione deffendunt, materiamque aliunde ad affectam sedem confluit, reprimentes, & eam quæ iam recepta est expellentes. Valentioris verò pressus finis est, ubi nimirum fasciarum ambitus adstringitur, non magis quàm vt prohibeat partes quo minus sub pulsu concutiantur, quod est præ angustia impedire motum arteriarum, hæc enim est causa doloris: cognosces autẽ te tunc rectè ligasse vbi num prematur rogaueris, atque æger responderit se premi quidem, sed leuiter. Antea omnia verò fascias vsui commodas pares oportet. Atqui quæ nam idoneæ futuræ sint, facilè partium quibus superdandæ sunt latitudine crassitudineque inspecta intelliges. Atque hæc quidem facere opus est, reprimendi fluxus humorum gratia. Fascia uerò ad vulnus deligandum, lintea aptissima est, eaq; lata esse debet, vt semel iniecta, non vulnus tantum, sed paulum vtrinque etiam oras eius comprehendat. Sint autem hæ in primis, quod & supra dictum fuit, materia munda, læui, molli, & tenui: quod verò ad longitu-

De uuln. capitis.

Cõ. 3. in de offici. medi.

Cõmẽt. 1. de fract.

Com. 2. de offic. medica.

Celſ. lib. 5. cap. 26.

Cõmẽt. 1. de fracturis

gitudinem & latitudinem pertinet, impleant trium quatuor, quinque, aut ſex longitudinem quidem cubitorum, latitudinem verò digitorum. Meminiſſe autem vbique conuenit ad vitiatæ partis longitudinem, latitudinem, & craßitudinem referri, quicquid de longitudine linteorũ, tum latitudine, craßitudine, numeroúe propoſitum fuerit. Ne te autem prætereat, quod hyeme ſæpius faſcia circuire debet æſtate quoties neceſſe eſt, tum quòd extrema pars eius inferioribus acu ſuenda eſt: aliàs enim aut pondere, aut multiplici ambitu, aut anguſtia, aut inæqualitate vulnere oppreſſo, dolor & inflammatio promoueretur. Cæterũ ſi quid ad faſciationes vltra pertineat, id pro occaſione loco proprio ſubnectam.

Cõm 3. de offic. medica

De euacuandi & purgandi ratione in his vulneribus. Cap. XVII.

DIſſerendum autem iam de ſanguinis euacuatione eſt, nam antea dictum fuit, venam reuulſionis nomine eſſe ſecandam. Igitur vbi ex morbo, ætate, & virtute mittendum ſanguinem eſſe conieceris: quantum mittere debeas non ex his ſolum, ſed ex alijs quoque ſumas licet: ea ſunt concurſus plœtoricus, quem vocant, ambientisq́; nos aeris tempe ries in anni tempus diuiſa, & regionem, quibus diligenti animo perſpectis, ſtatutaque iam mittendi ſanguinis menſura, venam, quæ vſui futura maximè ſit, requiras operæprecium eſt. Quanuis enim

ve-

venæ sectio (vndecunque fiat) euacuet à toto animalis corpore, non tamen velociter, neque æqualiter ex omnibus venis. Scias itaque in morbis ipsis mitti sanguinem ipsum, vel solius euacuationis nomine, vel solius deriuationis, vel solius reuulsionis, aut deriuationis simul & euacuationis, aut euacuationis & reuulsionis. Siquidem iam incipiens fluxio ad contraria trahenda est fixa verò in patiente particula vacuanda, vel ab ipsa particula quæ affligitur, vel à maximè vicina: primum reuulsione, secundum euacuatione, tertium deriuatione absoluitur. Iam verò sanguinem in præsentiarum esse mittendum auulsionis gratia, non te latere existimo: proinde te admonitum volo ipsam reuulsionem ad contraria (ἀντίσπασιν Græci vocant) & in rectum (κατ' ἴξιν appellant) faciendam esse hanc verò (rectitudinem dicimus) sanè intelligas rectè oportet, aliàs enim iisdem tenebris obrueris, quibus multi antea obducti sunt. Itaque, modò inhærere consilio meo velis, perpetuo reuellendi occasione venas è directo affectæ sedis eiusdem lateris, interimq; remotius quam fieri poterit secabis, nisi in cruribus læsio fuerit, tunc enim altero crure affecto, alterum vel scarificabis, vel eius venam, vel etiam Galeno consulente secabis. Nec enim hoc loco pluribus res mihi agenda videtur, quandoquidē licet multa à multis de hac re scripta fuerint, adhuc tamen volenti de eadem diffusè librum conscribere, materia non desit. Quare vel nostram nunc secteris sententiam,

eius

eius fortasse aliàs rationem auditurus, vel aliorum scripta, Hyppo. potißimum & Galeni omni obseruantia dignißimi, consulas. Cauendum siquidem nobis est, ne breuitati studentes obscuritatem (quod quidam fecerunt) obfundamus: qui credo, nescientes quid affirmarent, vt tamen de se in lectorum animos spectatio magna conciperetur. Quoniã (aiunt) inter præstantes alioquin Medicos tanta est dissensio, an ex eodem magis, an ex opposito latere vena secari debeat, paucis quid sentiamus dicemus, in præsentia solum quod ad propositum spectat, afferentes. Itaque dicimus (aiunt) non eodem modo morbis ab extrinsecus causis occurrentibus excitatis, ac quibus ab internis, esse medicandum. Atq; ideo in vulneribus ipsis omnibus, ex aduerso latere sanguinem detrahi debere contendimus: quòd ita & in oppositam partem reuellatur sanguis, & humorum ad vulnus præpediatur affluxus. At isti quid aduersi loci, vel oppositæ partis nomine intelligant, nihil explicantes, nihil vtique certi proposuisse mihi videntur: si etenim in contrarium auellendum sanguinẽ ducunt seruato κατ᾽ ἶξιν, pedibus (quod aiunt) manibusq; in nostram descendunt sententiam, nec est vt discrimen inter affectus ab extrinsecis, aut intrinsecis causis ortos faciant. Si verò trahendum sanguinem in oppositum ita dicũt, vt affectu existente, puta in dextra capitis parte vena secari debeat in cubito brachij sinistri (vt ipsos existimare credendũ est) decipiuntur longè: quasq;
affe-

afferunt Galeni authoritates, sibi maximè sunt contrariæ. Igitur iam omnibus, vt antea dictum est, ordinatis, homo in lecto colocandus est, ipsique vena (ventre interim prius leni enæmate, si non sponte probè deiecerit, exonerato, nulla aut noctis, aut diei habita ratione) secanda est, nempè confluentibus perpetuo ad affectam sedem humoribus, doloreq́; eosdem haud minus quàm cucurbitula accersente. Quòd autem mittere sanguinem in magnis plagis, aut inflammatione tentari incipientibus, & plenis corporibus expediat, planè, etiamsi nihil dixero, existimo conijcies: idem verò fortasse in paruis vulneribus, nullaq́; apparente inflammatione tentatis, adhæcque corporibus minimè plenis, neutiquam faciendum duces. Hinc mentē quibus nunc dicam adhibe. Porrò Galeno etiam in his sanguinem esse mittendum placuit: tum quia nullum præstantius leuando dolori remedium inueniatur, tum quia sanguinis euacuatione imminens impendensq́; morbus & inflammatio euitetur. Atqui statim audio diligentiorem quempiam Galeni obseruatorem enixè satis nos increpantem, qui venæ sectioni reprimentia (defensiua communiter appellata) præponendo, affectæ parti superdederimus, nempè edoctum ex eius dictis ante omnia euacuandum fore ipsum corpus: quandoquidem si in eo laboremus, ut quod influxit retrocedat, corpus plenum non admittet, atq; ideo nobis prius venam secandam, mox reprimentia superdanda esse fuisse dicendum. Vtilis

4. method. Pri. affo. cō. 23. 2. de frac.

De curan. ra. per san. mis.

De articu.

In arte medicinali.

lis sanè, nec rationis expers contemplatio: quæ tamen dicta nostra nihil debilitet, tantum abest, vt ea labefactet: huic siquidem respondendum esse scias, statim ideo reprimētia admouere esse opportunum, vt influentium, non autem fluxorum iam humorum transitum inhibeant, mox post sanguinis euacuationem, si qui influxerint, eos aliò transmittant. Itaq; & pro occasione nonnunquam venæ sectioni, clysterem præponere, nonnunquam verò postponere expedit, siquidem vbi nihil vrgeat, antea clysterem inijcere, postea venam secare vtile est: vrgente autem dolore prius sanguinem mittere, postmodum enæma inijcere expedit. Quod maximè Hippocratem indicasse constat, qui alibi dicit clysterem ipsum ante sanguinis mißionem, si tamen non sponte probè (subdit Galenus) deiecerit aluus inijciendum esse. Et alibi scribit, Ampliusque non veritus si dolor acutus fuerit, ad animi vsq; deffectionem sanguinē detrahes, clysterem postea exhibebis. Vt ne quidem propterea Galenus, modo nihil vrgeat multifaciat, vel ante vel post sanguinis mißionem enæma immittatur. Porrò laborans ipse, si graue vulnus est abstinere, quantum vires patiuntur, ante inflammationem à cibo debet: bibere donec sitim finiat aquā calidam: vel si æstas est, neq; febris neque dolor est, etiam frigidam. Adeò tamen nihil perpetuum est, sed semper pro viribus corporis est æstimandum: vt imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium poßit, tenuem scilicet & exiguum, qui tan-

4. de uic. rat. acut.

tum sustineat. At de his postea latius. Iam verò & hoc, quod maximè ad reuulsionem facit, subdam, melius scilicet esse sanguinis mißionem bis aut ter innouare, quam vniuersum quod euacuandum duxeris una uice educere: licet enim faciant ad reuulsionem vtique cucurbitulæ, enæmata, frictiones, & ligaturæ, quæ tamen per venæ sectionem fit, cæteris omnibus est efficacior. Quoniam autem inter reuellentia medicamenta adnumerari quoq; enæmata dictum est, nil erit mirum si quæsierit quispiam, num & purgantia in vulneratis conueniant medicamenta: quæ purgantia paßim idcirco nuncupantur, quod sanguinem ab humoribus purum constituant? Quamobrem existimes volo quantum venæ sectio cucurbitulis, tantum purgans medicamẽtum enæmati vsu præstare: perinde enim ac venæ sectio ab intimioribus corporis partibus sanguinẽ ducit, cucurbitulæ aũt extimioribus: sic purgantia medica menta humores ab vltimis secretioribusque locis, enæmata autẽ à primis & manifestioribus trahunt. Vt quidem cùm purgatione (quæ humorum qui sua qualitate molestant euacuatio existit) haud minus quam uenæ sectione probibendum sit apostema, scripserit Galenus nonnullis quidem purgatio sola sufficit, quibusdam sanguinis detractio, alijs vtraque hæc adhiberi profuerit. Moxq; de his quibus purgatio conueniens est, ex Hyppocrate disserens ait. Purgatio per aluum plurimis vlcerum prodest, præterea vulneribus quæ in capite sunt accepta, item

5. meth. & de cur. rat. per sang. miss.

De uenæ sectio. aduers. Erasistratum

De purgãt. med. facult.

1. apho com. 2 & 2. apho. commen. 17.

Auic. 4. 1. 4. cathageni.

4. meth. De ulcerib.

quæ in vẽtre & articulis, ad hæc ijs in quibus oßi caries impendet, præterea quæ ſiuuntur, & quæ exedunt, & ſerpẽtibus, et reliquis quæ ulcera diuturna reddunt, etiã quæcunq; deliganda ſunt, per aluũ purganda ſunt. Vt ne quidẽ in vulneribus iſtis purgantibus eſſe vtendum medicamentis, ſit ambigendũ, potißimumq́ue conuenientibus. Etenim vulnera hæc è numero quidem eorum ſunt, quæ tum propter ſui magnitudinem, tum quia cacoœthe exiſtunt præualida ſunt. Quale autem purgans eſſe oporteat, ex humore qui purgandus eſt iudicari debet. Sed hoc certè in corporibus malis ſuccis abundãtibus faciendum quiſque facilè concedat. An verò in bene habentibus, idem facere vtilè ſit futurum, facilè dubitabit quiſpiam. Hic verò perinde ſciat oportet, ac mißio ſanguinis vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem: ita purgatio & propter abundantiam alterius cuiuſquam ſucci, & propter vim morbi adhibetur. Iam verò cum ſtatuerimus & eam quæ per venæ ſectionem, & quæ per exhibitionem purgantis medicamenti fit euacuationem, in vulneribus iſtis eſſe vtilem, determinandum ſupereſt, an ſimul vnoq́ue tempore vtraq; molienda ſit, an altera præcedere alteram debeat. Porrò quòd nec ſimul, nec eodem tempore adminiſtrandæ ſint, cum uirium debilitas quæ ex duabus his euacuationibus inuicem quodammodo contrarijs ſequeretur, tum etiam euacuandorum quantitas, quæ haudquaquam metiri poſſet prohibet. Quare eorum

De quos, qñ, & quomodo purgare oportet.

rum alterum præcedere, alterum verò subsequi omnino debet. Atqui conuenientius videtur, venæ sectionem purgationi præmittere, quàm venæ sectioni purgationẽ, siquidem summota prius vasorum plenitudine, qui superabundãt humores, vel alio nomine, vt antea dictum est, purgandi sunt, maiori cum facilitate ab attrahente medicamento educentur. Sin autẽ præpostero ordine purgatio præmittatur, difficilis sanè ea fiet, tum propter alia incommoda, tum verò maximè ob nimiam vasorum plenitudinem, ac viarum, per quas attracti humores deferri debent angustiam, ex quibus agitationem non paruam consequi necesse est. Sed nonne superuacaneum etiam foret, in expurgando sanguine, si impurus is esset, multo cum dispendio tempus conterere, vt iam expurgatum, & familiarem naturæ redditum, demum uacues? Mihi sanè consultius videtur (iuxta Hyppocratis & Galeni sententiam) infectum & superabundantem sanguinẽ prius minuere, deinde expurgare: quandoquidem minori incommodo, ac debiliori cum medicamento expurgationem illam assequi possis. Vt ne quidem propterea audiendi mea sententia illi sint, qui Hyppocratem damnant, qui nos alioquin docuerit, & vniuersalia perpetuo medicamenta particularibus, & sanguinis missionẽ purgationibus præferri debere; mox autem, vt antea dicebamus enema, particulare inquam præsidium & purgans, ante vniuersale atque euacuans ipsum, sectionem venæ scilicet, inijciendum dixe-

rit. Siquidem vniuersalia particularibus remedijs præferenda esse intelligere oportet, in eodem medicamentorum genere: atque ita venæ sectio scarificationibus, cucurbitulis, hirudinibusque præponi debet, similiterq; & ea quæ vniuersum corpus mundat purgatio illi præferenda est, quæ caput, & quæ caput, illi quæ oculum solum respicit. Sic itaq; & verè purgatio sequi debet euacuationem. Nec quidem enæma antea iniectum regulam peruertit: cum ne id quidem purgans, sed leniens solum esse debeat. Supra autem quid purgantis nomine intelligi habeat expositum est: atqui lenientia ea appellamus, quæ quod in intestinis habetur, vt fluat, facilè faciunt. Recordare autem nunc quod & paulò antea dicebamus, purgans scilicet idoneum esse eligendum, hoc est dictu, purgandi humoris naturæ accomodũ. Verũ qui purgandus humor veniat facilè intelliges, vbi rationẽ ob quam purgandum esse decreueris, tibi proponas. Erit autem ea, si rectè existimo, quæ circa cum sanguinis, tum aliorum humorum influxus inhibitionem versatur, ob inflammationem, quæ sequi maximè solet, prohibendã. Quare aduertas oportet, qui fluxibiliores sint, eamq; facere aptiores, atq; eos purges: sanè hi sunt cum sanguis, tũ cholera: alterũ venæ sectione, atq; alterum purgatione minues. Tametsi namque cum sanguine cæteri vacuentur humores, fieri tamen nequit, quin & in eo qui remanet, bilis etiam admista seruetur: quæ tum ex se (nullus enim ipsa est, ob eam quam

possi-

poßidet tenuitatem & acredinem, aut mobilis, aut fluxilis magis humor) ad effectam partẽ fluat: tum sanguinem (est siquidem ipsi tanquam uehiculum) trahat. Quod ita cum sit, post sanguinis euacuationem, eam quin purges, ne committas. An verò ante purgationem expectanda sit coctio dubitari potest, cum quæ cocta sunt solum sint medicanda, cruda verò nequaquam mouenda. Sanè duplici nomine fieri purgationem, ex antea dictis, scis existimo: vel ut qui noxij sunt qualitate humores purgentur, uel ut etiam secundum naturam habentes, unde maximè periculum ne influant est, reuocentur. Ad hæc scis, utiq; aut solam, aut vnà cum euacuatione eam moliri. Atqui quidem perpetuo memoriæ teneas oportet, ubi sola purgatione noxijs ipsis humoribus fuerit medicandum, exactam fore coctionem expectandam. At vero ubi reuulsionis solum nomine humoribus secundum naturam dispositis medicari oportebit, purgatione simul & euacuatione, eam expectare (etenim hæc priusquam aduentauerit, hi quidem affectam partem obsederint) nihil operæpræcium est. Adde itaque & in istis, cum humor qui purgandus est, bilis existat, nullam, præterquam uiarum præparationẽ, esse coctionem desiderandam. Viæ verò latiores quàm primum sanguine euacuato factæ, egregiè paratæ erunt. Igitur vt in his quibus sanguis euacuari debet, plura considerari debere dicebamus: sic & ubi quis aliquem purgare uoluerit, inspicere oportet regionem, tem-

1. Aph. 22.

1. aphor. 2. Hip. de locis in homine.

pus, ætatem, & morbum, quem qui non integre nouerit, medicamentum bibendum non fortè præbeat, quo si leuior fiat, demonstrata via est, quod gracilitatem inducendo, curandus est. Si uerò non leuior reddatur sed peius habeat, contraria facienda sunt.

De victus ratione in his vulneribus. Cap. XVIII.

IAm verò ne dum alia huic curationi necessaria percurrimus, victus rationem obliti, æger fame pereat, aliquid de ea dicamus. Duo igitur primum considerare oportet, cibum scilicet, & potum: quorum altero, cibo scilicet, quicquid siccioris substantiæ effluxit restituimus: altero autem, nempè potu, quicquid humidioris. In his siquidem qui de hisce vulneribus monumenta sua prodiderunt, maximè contrariantur. Alij namque morbi magnitudinem perpendentes, uiriumq; ac roboris resolutionem timentes, largius cibandum esse, uel etiam prima die uolunt. Alij verò tenuius super imminentem inflam mationem uerentes. Illi oua, contusas carnes, ac con sumptas, & vinum propinari concedunt. Isti loto pane, ptisana, herbaceis ferculis, aqua simplici, vel etiam granatorum uino cibandum esse contendunt. Vtrinque rationes afferuntur: vt ne quidem inter eos sine periculo iudicari poßit. Nihilominus si meam dicere sententiã liceat, eorum præferam opinionem, qui tenuiori uictu utendum esse consulunt: tum

1. de sanit. tuenda.

tum quòd vires paulò imbecilliores sint seruandæ, tum quòd impura corpora (rarò enim euenit ut qui vulnerantur tales non sint) quanto plus nutries, tanto magis lædes. Adde primis diebus quempiam deficere (nisi sub ingenti, ac prorsus curari nequeunte noxa) non esse verendum. Est enim prudentis hominis, primum eum qui seruari non potest, non attingere. Itaque scias oportet, cibariorum alia magis alijs nutrire atque inter hæc alia citius, alia tardius. Itaque maximè nutriunt carnes, oua, & vinum: citius autem quàm carnes oua, & citiusquam oua vinum nutrit, quod & etiam in vno quoque alimentorum genere fieri obseruatum est. Inter carnes siquidem suilla magis quàm bouilla nutrit, & adhuc magis hæc quàm hædina, quanto autem vtraq; hædinæ alimenti copia præstat, tanto hæc illis nutriendi celeritate præfertur. Sic & inter oua quæ recẽtia sunt non recẽtibus melius et citius nutriunt: pariter & in vinorũ genere merum diluto præstantius alit. Scire autem & quod ad quantitatem spectat, cibariorum quosdam etiam largius sumptos minus longè alijs parcius sumptis nutrire: copiosius enim vncia carnis nutrit, quàm cuiusuis oleris libra, sic & vini cyathus quàm aquæ hœmina. Idcirco in vulneribus ipsis, quoniam inflammatio summè verenda est, hæc præferimus: quæ licet ventrem impleant, quoniam minus in sanguinem conuertuntur, timenda non æquè sunt ac carnes, oua, & vinum: quæ cum dulcedine tum pinguedine prædita (sunt

enim hi soli nutrimenti sapores) & maximè nutrire, & in sanguinem conuerti facilè possunt. Atque ideo quidem ab his maximè abstinendum censemus, quoniam sanguinis generationem, & copiam summopere vereamur: illis verò oportunum vti ducimus: sic ventri, qui continuo, ac importunißimus creditor instat, satisfacere existimantes, interim vasis, uenis inquam ac arterijs valde exinanitis remanentibus. Exhibere igitur in his conuenit panem lotum, ptisanam, & huiusce generis alia: quæ ventrem implent, parum nutriunt, calorem non fatigant, humores ui medicamentosa alterant, ac deniq; vulnera ab inflammatione in primis uindicant. Huius ordinis & aqua ipsa est, refrigerat .n. sitim extinguit, & nihil nutrit. Vt sanè risu propterea digni hi mihi iudicandi videantur, qui vinum vel primo quoq; die vulneratis reficiendæ virtutis gratia, propinandum asserunt. Hi namque præterquam quòd rarius accidat, vt protinus in primo secundoúe die vires imbecilles cernantur, se adeò imperitos esse Medicos ostendunt, qui vt oportet non dignoscant eas, quæ in morbis contingunt virium infirmitates, & quæ ob vasorum inanitionẽ, & quæ ob aliã quampiam irritationem, & quæ ob laborem, & quæ ob morbi acumen fiant, quas item natura nostra habitusq́; singulis affectuum species omnigenas fabrefaciat, quæ cognitæ tamen salutem, & mortem ignoratæ ferunt. Ingens siquidem malum est, si ob laborem morbiq́; acumen imbecillitato porrexerit quis

10. meth. cap. 2.

Hipp. de ration. uict. acut.

po-

potum vel ſorbitionem copioſiorem, vel eſculentum, imbecillitatem eam ex vaſorum inanitione contigiſſe arbitratus. Sanè verò adhuc magis malum peiusq; iudicabitur, ſi quas propinauerit, ſorbitiones morbū magnifacere habeant, vel ſymptoma quodpiam morbo ipſo ſæuius inferant: quemadmodum facturum eſſe in vulneribus iſtis vinum credi poteſt, nēpè quod febres accendat, nec lateat quòd cauendum, id eſt vbi phlegmones ſuſpicio adeſt. Nec eſt quod iſti aut Hippocratem, aut Gale. afferant vini vſum in vlceribus ſummoperè cōmendantes: quandoquidem ſi rectè hi inſpexerint, non exhibitionem, ſed admotionem eius commendant: quod verum ne ſit, audiant quid Hippocrates de eo diſſerat. Vlcera inquit, nulla madefieri debent præterquam vino, niſi ſi articulum teneant. Abſtinētia verò, & aqua tam cunctis vlceribus prodeſt, quàm quod maximè, magis autem recentibus quàm vetuſtis. Itaque tenui victus ratione præſcripta & diutius & breuius, pro ſcilicet inſtantis morbi natura, ac imminentis periculi occaſione vtendum eſt. Condonandum verò interim aliquid tēpori, ætati, & conſuetudini. Quod namque ad tempus attinet, hyeme & vere ventres natura calidiſsimi ſunt & ſomni longiſsimi: vt quidem licet per ea tempora copioſius alimenta exhibeantur, ea facilimè ferant, calore innato ſcilicet plurimo exiſtente. Aeſtate verò, & autumno è contra. Ver autem ſecundum locum habet. Atqui ſi ætates inſpiciamus, ſenes facilimè ieiunium ferunt,

8. meth.

4. meth.

De ulcerib.

Aphor. 1. aphor. 15.

1. aphoriſ aph 13.

runt, secundo loco qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes, omnium minime pueri, potissimumq; viuidiores: siquidem quibus crescunt, plurimum, senibus verò parum innati caloris cum insit, fit vt illi plurimo ægeant alimento, istis autem paucis sit opus fomitibus. Porrò & consuetudo indicat quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre. Iam verò quoniam pluribus aqua simplex dolores ventris, & torsiones generat, vt potè quæ frigiditatis eius culpa & in præcordijs diutissimè moretur, & fluctuationes excitet, & inflatum mutetur, & corrumpatur, ac ita ventriculi resoluat robur, sic vt deterius proinde cōcoquat, adhæc quæ nec digerēdo per corpus alimento aliquid magnopere conducat, coctā exhibeas consulo: vt cruda, qua pollet frigiditate exuta hæc minus faciat, vel ex punici mali succo, quem granatorum vinum appellant, is etenim boni succi est, stomacho vtilis, nec sufficiens alimentum, potissimumq; vinosus, (medij saporis vulgo dicitur) quoniam & acidi & dulcis (tot enim eius sunt differentiæ) naturam participet, vt siquidem malorum à quibus procedit triplex adsignatur differentia, licet alijs quinque adnumerentur, sic & succi horum triplex est sapor, dulcis, acidus, & vinosus: à quorum vnoquoque sanè secundum vincentem qualitatem vtilitas procedit. Cæteris autem nos vinosum præferimus: quoniam dulcis licet stomacho vtilior sit, in eo tamen calorem faciat, inflationem pariat, vn-

1. aphoris. aph. 14.

1. aphoris aph. 17.

Methodi 7.

Diosco. lib. 1. cap. 127.

Plinius lib. 13. cap. 17

Galen. 8. de simp. med. facul.

vnde etiam febrem excitat. Acidus verò nimium adstringat: at vinosus vtriusque horum quodammodo naturam participans nec exactè adstringat, nec impensè calfaciat: sed alterutra in ipso qualitate ab alterutra remissa, medium sortiatur temperamentum, ventriculo vtile propter eam, quam habet caliditatem non exuberantem, & vim adstrictoriam minus excedentem: atq; ideo ventriculum roborare, nec non bilem, quæ facilè ad superiora peruolitat maximè cohibere poßit. Itaque & potus nomine melicraton, mulsa dicitur, melle nempè aquæ plus vel minus permixto constans, recipi potest, vel (& suauior erit) aqua cui mellis loco, saccharum incoctum sit: suauitati siquidem studendum est, ne ægrorum appetentia omnino deijciatur, vel etiam hoc nomine non raro blandiri ipsis oportet, non quidem solum vt his gratificemur, sed quia vtilius illis existat. Quod maximè animaduertens optimus ille senex Hippocrates dixit, Parum deterior potus, aut cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferēdus, ratus idem, quando cum voluptate assumitur cibus, qui paulò deterior sit accidere, quod cum cibos boni succi comedimus fieri solet: non modo scilicet, non manente eo deteriori, sed quandoque etiam redito meliori. Itaq; omnibus quæ tum ad ægrum, tum aßistentes, tum exteriora spectant, indicatis, institutisúe, iam discessurus ægro præcepti Hipp. memor, qui in vulneribus cōquiescēdū maximè censet, cū vniuersi corporis,

2. aphoris. aph. 28.

Gale. 2. aph. com. 28.

lib. de ulcerib.

ris, tũ maximè partis affectæ quietẽ suadere ne obli
6. aphoris. com. 6. uiscaris, tũ quod quiescere opus sit, si quid sanari debeat, tum quod inflammatio instans, quiete soluatur, vel imminens euitetur. Item & illis recordari vtilißimum fuerit, animo omnes affectiones, tristes potißimum, esse excutiendas. Hinc militem cordatumq; virum curans, non nisi vtile fuerit, generosè fortiq; ac prorsus inuincibili animo tum facienda, tum ferenda omnia esse illi recordari: si ciuilis generis quempiam, ad patientiam Deoq; Opt. Maxi. voluntatem obsequendam suadere: si vecordem, & vilem, intrepidè sanitatem promittere: si iuuenem, eum hortari hanc ætatem omne periculum despicere, atq; ita omni ordini, omni sexui, omni ætati, quæ grata futura sunt dicere, morbum leuem esse, breui terminaturum fore, quoniam sanitati acquirendæ ægrorum spes usui maximo sit, atq; plurimũ præstet.

De eijciendis globulis. Cap. XIX.

CAeterum quoniam vulneris ipsius extracto telo medicina non alia est, quàm quæ sit, si corpori icto nihil inhæserit, iam differendum esse videtur, qua ratione, quoúe modo globulum, si totam partem non confoderit, intusq; hæserit eijcias. Siquidem Chyrurgiæ partem hanc telis extrahendis dicatam maximè necessariam esse Poeta Homerus his versibus innuit.

Vir Medicus multis alijs præstantior, vt qui

Cor-

Corpore tela trahẽs, medicamine vulnera curet.

Recordari igitur hoc loci oportet, quod & ſuperius dictum eſt, globulos ſcilicet ipſos differre materia, figura, magnitudine, numero, atq; habitu. Materia quidem quatenus alij ferrei, alij æenei, alij ſtamnei, alij plumbei, & alij lapidei ſunt. Figura autem quatenus ſunt aut rotundi, aut anguloſi, nempè trianguli, vel quadranguli. Magnitudine verò quatenus alij maiores, & alij minores pro tormentorum ſcilicet ratione videntur. Numero quatenus vel ſoli, vel vnà duo, vel tres, vel multis cum teſſerulis feruntur. Habitu denique quatenus alij vno corpore compacto conſtant, alij diuiſo interim tamen hami æerei interuentu, vnito, iunctoùe: alij in plures partes diuidi apti, atque alij intus caui, ac nucleis vel ferreis, vel plumbeis animati. Hæc autem non recordari ideo oportet, quia variam habeant indicationem, omnes etenim pariter eijci debent, ſed ſolum quod quædam difficultates ex eorum generibus ſint. Porro omne telum extrahitur, aut ab ea parte qua venit, aut ab ea in quam tetendit. Illic viam qua redeat, ipſum ſibi facit. Hic à ſcalpello accipit. Nam contra eum caro inciditur. Protinus igitur aduocatus cum veneris conijcias oportet, qualis globulus læſerit, videasq́;, num eum reperias: nihil enim tam facilè in corpore quàm telum hoc conditur, idemq́ue altiſsimè inſedit. Hæc autem eueniunt, & quia magna vi fertur illud, & quia in anguſto ipſum eſt. Si igitur conſpicuum fuerit,

rit, quomodo id facilius tutiusque eijcias, considerandum superest, si occultatum, conuenit authore Hippocrate, modo vulneratus poßit, in ea figura constitutum notare, in qua etiam vulneratus est: si non poßit, iacentis certè quatenus licet modo figurātes specillo tentabimus, vel etiā digito. Explorando igitur telo digitum immittes (nihil enim eo instrumento, quod immediatè sentit huic operi præstantius est) si autem breuior videatur, quàm peruenire ad globulum poßit, aut craßior quàm vulnus admittat, lenticulare specillum accipies: non enim prius dilatari vulneris os ipsum debet, quàm globulus exploratus compertusque fuerit, ne duplex malum commiseris, tum quod globulum non repereris, valde enim turpe est non contingere à chyrurgia quod uelis: tum quod frustra sectionem fecisse videberis, specillo itaque immisso recta ad globulum deuenies: nisi telum os impetens (quod sæpißimè accidit) alio diuerterit, vel inter musculorum adhæsiones, aut membranarum tendinumue auulsiones occultò descenderit, obuolutumue sit. Itaque si non altè telum insedit, & in summa est, aut certè magnas venas & loca neruosa non transiit, nihil melius est, quàm qua venit id euellere. Hoc autem quanto prius feceris te ipsum ægrumque à maximo liberaueris negocio: si autem quis diutius rem differat, vel etiam procrastinetur, humorumque influxionem expectet, hoc opus, nisi ægrum torquere velit, non aggrediatur: angustius siquidem tunc vulnus

Hipp. de medico,

nus factum dolori & inflammationi obnoxium maximè redditur. Atqui etiam prius quàm globulum eijcere aggrediaris, diligenter inſpicias operæprecium erit, num ſecum aliquid traxerit, pannum puta, armaturæ portiunculam, loricæ hamulos, & huiuſcemodi alia. Quādoquidē ſi hæc vnà inhæſerint, mea ſententia maiori ſtudio, vt celerius quàm globuli euellantur eſt enitendum: tum quod eius euulſioni maximo ſint futura impedimento: nuſquā etenim ante, ſed perpetuo poſt ipſum infiguntur, ſiquidem maiori is vi fertur, ſuaq́; figura altius penetrat, ac ideo facilè cum educetur ipſis occurrens, maximi excitabuntur dolores, ac propterea inflammabitur ſedes: Quare hæc ante omnia educere coneris, maximè tum propter id quod iam dictum eſt conſulo: tum quia relictis his: euulſo etiam globulo, nihil prorſus profeceris: quandoquidem alijs putreſcentibus, atque alijs æruginem concipientibus, vulnus maximè dolens, putridum, ſanioſum, fœtens, inflammatione tentari non deſinens, ac denique difficilis omni parte curationis, ne dicam ſanationis reddatur. Vt hercle ſi quid vulneribus hiſce infixum relinqui debet, aut quominus eijciatur negligi habet, id globulus ipſe ſit, qui plurimū plumbo aut ſtamno, materia æruginem minus experiente, etiam multis infixus intus, longiore temporis ſpacio inſederit, vulneribus integrè curatis, pulchreq́; cicatrice obductis. Ergo vbi quid ſimile vulneri ineſſe intellexeris: facilè enim hoc intelliges, loricis, armaturis, ac pan-

nis

nis è vulneris regione diligenter inspectis vncum simplicem, vel bifidum, multifidumúe, vulneri immittes, quo quæ extrahēda sunt, rapta educas. Quoniam autem non rarò is (aut quia spe quandoq; decipiamur, aut plura sint quæ inhæserint) immittendus est, atque sæpius dum extrahitur, ne carni infigatur, periculum est: cannulam (sit autem vtcunq; ea ænea ferrea vel argentea) tanto hamulo breuiorem excogitati sumus, vt latitudine duorum digitorum, ab vnci stipite superetur. Hamulum itaq; hac iam raptis educēdis, sic excipimus, vt recuruæ eius partes, in huius cauitatem receptæ, inferiori eius ore contegantur: quo minus carni infigi valeant. Cannulam siquidem vno tempore & hamum trahentes, quicquid vnco infixum est facilè arripimus. Quod sanè & tu si feceris tutò ac indolenter quod desideraueris, assequeris. Sunt autem mihi in hunc vsum vnci maximè ideo extollendi, quod nusquam ab his deceptus, nunquam ad alia instrumenta hoc nomine fabricata mihi confugiendum fuerit. Dico autem in hunc vsum, quòd non æquè isti mihi facien di sint globulis euellendis, qui alioquin rotundi, cum carnem atriuerint, laxioremq; fecerint, ac idcirco vulnus latius reddiderint, facilè vncos præter labantur, ità credi potest, vt herclè quodcunq; aliud instrumentum globulis educendis comparatum, mihi quàm vncus hamusúe veniat, magis laudandum, hocq; potissimum, cum non semel tantum sed sæpius viderim eos, qui hunc adeo laudant in-

cas-

cassum laborasse. Atqui non ideo tamen communioribus tibi instrumentis (modo quodpiam commodius aptiusúe imaginari fabricareq́; valeas) vtendum consulo: forcipes etenim omnes, aut anserinæ aut dentatæ, sic quadam similitudine appellatæ intra vulnus, magis minusúe pro excipiendi globuli magnitudine, aperiri cum debeant, partesq́ue ideo carnosas diuellendo crucient, summè euitandæ sunt. Itaq; ego multiplicẽ instrumentorum formam euitans: quali vtar, in huncq́ue in carnosis partibus vsum, adhibeam, tibi postea commune faciam. In nostra enim Officina medica, cum huius, tum aliorum instrumentorum descriptiones, graphycasq́ue delineationes oportunius differre iudicamus, quàm hic eas interponentes, curandi ordinis iam cœptam rationem omnino perturbare. Ergo cum quæcunq; vulneri inessent eieceris, vel etiam si quid te præterierit, id naturæ expellendum reliqueris, omnia facies vt antea dictum est. Si verò plus est per quod telo reuertendum, quàm quod perrumpendum est iamq́; venas neruosq́; id transit, commodius est aperire quod superest, atque extrahere. Nam & propius petitur, & tutius euellitur, & in maiore membro si mediũ globulus transiit, facilius sanescit quod peruium est, quia vtrinque medicamento fouetur. Item qua parte aperitur, vulnus laxius esse debet, quàm vt telo postea transeunte amplietur, summa autem vtraque parte ita habenda cura est, ne neruus, ne vena maior, ne arteria incidatur, vbi autem

satis incisum est, telum eximendum est, tum quoque eodem modo, & eadem cura habita, ne sub eo quod eximetur, aliquid eorum lædatur quæ tuenda esse proposui. Altero autem die si æstas sit, biduo verò si hyems sic vulnere habito, tertio die aperiendum: vbi nimis intumescere vulnus periculosum, nihil in-
5. adhor.66. tumescere periculosissimum est, illud indiciũ est magnæ inflammationis, hoc emortui corporis. Nec
Celſ. lib.5. enim quæ tument æquè iudicanda sunt, siquidem ut tumor molis bonus, ita crudus malus est: quandoquidem fieri non potest, vt sit tumor renitens, bene concoquente membri natura humores ad ipsum con
5.aphori.67. fluentes. At verò quantum sperari liceat, vel non, quæ signa indicent, post ea doceberis. Nunc quid facturus sis, detecto vulnere ediscas licet. Igitur hoc quàm primum aperueris, saniem vtcunque (leuiter enim vulnus tractandum nunc temporis est) deterges: oleique nostri aliquid inijcies infundesúe, moxque pus mouente aliquo (id enim contusa caro requirit) super vulnus vtendum est. Concoquentia autem (sic enim quæ pus generant appellare consueuimus: vulgus medicorum digerentia, & digestiua improprie nominat) qualia esse oporteat, in neotericorum quorundam gratiam, qui de hac re & mira & noua prodidisse gloriantur, nobis disserendũ est. Sed quænam noua hæc sunt, quæ prodiderunt isti? Erige aures, mentem adhibe (aiunt) nemo ante nos à nullo quàm calido ac humido medicamẽto pus moueri vnquam obseruauit. Atqui ostendemus nos, argu-

argumento cum à ſimplicibus tum compoſitis medicaminibus, etiam à ſicco idem generari, pix ſiquidem, larix, vitellus oui, & ſimplicia alia quàm plura id præſtant, quod & inter compoſita etiam tetrapharmacum efficit: vt hinc quidem facilè colligi poßit non humida ſolum vt Galenus, ſed & ſicca etiam pus ipſum mouere. Hoc mirum illud eſt, hoc inquam obſeruatu dignum id eſt quod iſti animaduerterunt. Sanè non poſſum non miſereri ne dicam irridere quorundam fatuam ſtoliditatem, qui miſeri alioquin, autorum grauißimorum ſimplicem etiam phraſim non intelligentes, res notatu dignas præteriÿſſe interpretes, aut omiſiſſe authores affirment. Hercle impudentis audaciſque ac perfricatæ frontis hominis eſſe mihi videtur, ſine conſilio ſua in iudicium hominum dare: arrogantis verò atq; temerarÿ, quæ damnanda ſunt, tueri velle. Itaque de ſuppurantibus, medicaminibus, eorumque natura differentes nunc duo præſtabimus, tum quòd eorum facultatem certam ingenuè docebimus: tum quod iſtorum falſam opinionem, quæ ſicca etiam, ſuppurantia eſſe affirmat, radicitus euellemus. Quamobrem nil mirum cuipiam videatur, ſi paulo altius rem exordiamur: cum id faciamus rati vtilißimum ſemper eſſe in quacunq; facultate, ſi obliterētur ea, quæ candidatis ac tyronibus errandi facilè occaſionem præbere poſſunt. Igitur ante omnia ſcire operæpretium eſt, in corporibus animantium, triplicem eſſe alterationem. Vnam exquiſitè ſecundum na- Gal. 5 de ſimpl. med. fac. cap. 6.

turam (coctionem in iuuatiuo neoterici vocant) quum videlicet in ventriculo cibus concoquitur: aut in visceribus, & vasis qui inibi generatur succus, vnde rursum vnaquæq; pars nutriatur. Altera contra planè præter naturam, quæ in omnibus fit putrescentibus. Tertia ex vtraque mixta & media est, partim primæ, & eius quæ secundum naturam est quicquã obtinens: partim aliquid eius, quæ huic contraria est, & præter naturam. Siquidem alterationi secundum naturam duo hæc insunt, vt & ex familiari animantis materia fiat alteratio, & ab innato calore exquisitè superetur. Et uerò quæ præter naturã est, & ab aliena caliditate mutatio accidit, & ad nihil vtilis. At media earum quæ scilicet suppurationes comitatur, ab innato fit quidem calore, sed non planè vincente: neq; enim ex materia peragitur quæ prorsum benigna sit, neque tamen ex omnino aliena. Hactenus Galenus: quem statim fortasse quispiam, vt contraria affirmantem, adnotauerit: quoniam alibi dicat pus ipsum ex sanguine ortum habere: an verò sanguis in corpore materia benigna existat, iudicet ipse. Verum paulò diligentius Galenum is uideat, nec (existimo) eum, vt potè qui nihil contrariũ affirmet, amplius dam-
2.aph.cõ.47 nabit. Ait enim pus à sanguine quidem ortum ducere, at non quidem simpliciter, sed ex eo iam semimalam, vt quispiam dixerit, transmutationem habente. Ex hoc enim non omnino alieno à natura, sed in loco quidem minus transpirabili existente, ab ex-

extraneo ac prorſus præternaturali calore arrepto, pus conficitur. In hunc autem tametſi qui ſecundum, ac qui præternaturam calor exiſtit, concurrentes agant: vincente nihilominus vtcunq; ipſo innato ad coctionem magis, quàm corruptionem hæc vertitur alteratio: quæ ſi præternaturalis vicerit omnino mala atque cum putrefactione fit olida: vtriuſque enim naturam explicat color, odor, ſubſtantiæq; qualitas ipſa. Itaq; quemadmodum naturales alterationes, quæ ab innato proueniunt calore, à ſimili extrinſecus iuuantur, pari modo & quæ in mouendo pure cõſpicitur: vt propterea quidẽ vnũ ex naturalibus operibus ſit ea quæ in pus fit conuerſio, ſiquidem coctionis non expers ea alteratio eſt: ut potè quod primum à natura, concoctrice operante vi, vt materiam vtilem reddat, hæc efficiatur: quam vtilem omniquaque efficere cum nequeat, integrè vtili quàm fieri poteſt, proximiorem reddit. Hoc autem (vt dicimus) efficit concoctrix facultas, congenito propriæ particulæ in qua ſanguis immutandus continetur, calore mediante, præternaturali nihilominus ac medicamento pus mouẽte opitulante. Huius ſiquidẽ facultatis eſt humores æqualiter concoquere, non autem craſſum, & tenue, proindè ac fortis atque vrens qualitas efficit ſeparare. Quin etiam quòd emplaſticum eſſe debeat eius generis medicamentum, ut exactè ſuppuratorium ſit & ipſum liquidò mihi aparere videtur. Nam ſi ſubſtantiam innati caloris augere, non intendere qua-

5. de ſimpl. med. facult. cap. 9.

litatem ipſam conueniat, poros corporis obſtructos eſſe neceſſe eſt, quo videlicet halituoſos tranſpiratus includat: accedit propterea quoq; quòd & qui pus effici habet ſanguis, ne huc illucúe labatur, atq; ideo caloris actionẽ ſubterfugiat, prohibetur: tũ ẽt quòd medicamẽti facultas magis intẽditur, ſicq́; elegantior concoctio perficitur. Cataplaſmata .n. quæ aut detergẽtia, aut validius excalfacientia halitus diflari permittunt, exſiccant quidem, ſed pus non mouent. Itaque duplici ratione, ſi quis rectè perpendat, emplaſticum eſſe debere medicamentum pus mouens intelliget. Cum videlicet vt congenitus calor, quo minus diſsipetur per halitũ foueatur, proinde augeatur, vt tandem fortior factus materiam in pus vertendam maximè aggrediatur. Tum ne ex vtriuſque caloris actione, potiſsimum tamen præter naturalis, tenuis atque humida ſubſtantia reſoluatur digeraturq́; craſsior verò concreſcat, & obduretur. An verò perpetuo quod pus mouere debet, eſſe emplaſticum ſit neceſſe: an ſolum cum innatus calor, collatione ad humorem in pus conuertendum ſit debilis, dubitari poteſt. Porrò huiuſcemodi medicamentum ait Galenus emplaſticum eſſe debet, ſi ſubſtantiam innati caloris augere, non intendere ipſam qualitatem conueniat, tale enim poros corporis obſtruens halituoſòs tranſpiratus includet. Vt quidem mea ſententia, aliquando etiam in huiuſcemodi medicaminibus, emplaſtica hæc facultas non æque adeo ſit expetenda: cuius rei, vel ipſo met Galeno

leno referrente, fidem facit aqua tepida, & manus continuo admota: siquidem calidum suaptè natura suppurationem facit, atque à calido omnis efficitur concoctio. Quamobrem conijcias hinc licet duorum altero coctionem moliri, aut emplastico, aut temperate calido. Quinimo (quod magis admirabuntur, qui itidem admirantur quandoq; à siccis pus moueri) & idem nonnunquam frigido quopiam, vt malua, violaria, & hordei farina pus confici animaduertes. Non tamen eo inficias, quæ simul temperatè calida sunt, atque emplastica maximam concoquendi facultatem habere. Tum itaq; licet dictum sit frigida nonnunquam ad coctionem aliquid facere, scias oportet ea non sua id facultate efficere, sed quatenus solum, si quid eam impediat, id valeant remouere: vt quidem non propria natura, sed ex accidenti hoc magis videantur præstare. Nec ambigas oportet qui fiat vt sanguis ipse potius, in pus ipsum conuertatur, quàm omnino corrumpatur, calore præternaturali etiam, extraneisq; vaporibus, à congenito ipso calore suppuranteque medicamento altius coarctatis: quandoquidem hic plus facere concoquendo, quàm ille corrumpēdo valeat. Iam verò qualem hanc in his medicaminibus caliditatem esse oporteat est differendum. Proinde ait Galenus tale esse debet, quod ad mouendum pus adhibebitur medicamentum, qualis est in naturis temperatis calor natiuus: præstat nanq; in horum genere, atq; emollientium cognoscere, quòd hæc æqua

5. apho. 22.
4. metheor.

lem accendunt calorem ei, qui est in homine secundum naturam: quæ verò emolliunt, multo maiorem: quo circa hæc sua quantitate potius quàm qualitate caloris agere sunt nata: at quæ indurata emolliunt, qualitate potius. Vt quidem non qualitate insiti caloris medicamenti, sed quantitate ingeniti caloris corporis, à medicamento ipso, cum calore tum emplastica ui qua pollet aucta, coctionem fieri sit omnino existimandum. At si iusto calidior natura fuerit, in eo corpore, quod pus mouebit medicamen calidius sit oportet: tanto nimirum temperato calidius, quanto & natura eius temperatam in caliditate exuperat: similis nanq; caliditas medicamenti calori partis, cui admouendum est, maxime esse oportet. Inter autem nostri corporis partes quoniã aliæ calidæ magis, atq; aliæ minus sunt, medicamenta quoq; modo magis, modo minus calida esse debere constat, atq; ideo latitudinẽ habeant necessum est. Ea autem quibusdam inter principium primi gradus caliditatis, mediumq́; secundi determinatur. Nec verò ratione solum à corporibus aut particulis sumpta, quæ pus mouent, aut eligenda aut immutanda sunt, verum & pro humoris con coquendi natura. Tametsi enim dictum antea sit à sanguine pus ipsum ortum ducere, nunc scire oportet hunc sanguine participare & pituita, & gemina bile: ut ne quidem suppurante vno medicamento omnibus humoribus, cum frigidis, tum calidis satisfieri queat: verum diuersos caliditatis ad id requi-

2. de elementis.

requiri gradus. Iam verò cum anteà dictum sit temperaturam eius, quod naturæ in mouendo pure auxilio est, cõmoderatam & similem ei corpori cui admouetur, ac proinde quòd natura nostra humida sit & calida, humida calidaq; medicamenta huiuscemodi frequenter appellari: quod ita cum sit siccum si his aliquando admistum repereris, illud per se quid coctioni facere, caue ne existimes: sed solum (quod & de frigidis dictum est) remouendi impedientis cuiuspiam nomine permisceri. Neque te fallat Arabum principis loquendi modus, qui maturatiuæ, vt appellat, medicinæ inesse contentiuam virtutem oportere iudicat, eumq; existimes indicare talem esse siccam debere, quod proprium sit sicci retinere: quum retentionis nomine obstructionem meatuum, quàm viscidi, ac emplastici medicaminis infarctu accidere superius dictum est, is intelligat. Rursus itaque ad curationem redeuntes, ex rosaceo, ouique vitello concoquens medicamentum conficies: tale enim puri generando vel primis diebus, cum propter rosacei temperatam qualitatem, tum vitelli ouorum calidam humidamque facultatem, vtilissimum erit: nec enim mihi nunc cum his disputandum est, qui sicca pollere qualitate vitellos contendunt: quòd si iusto saniosius tibi vlcus videatur, medicamento terebinthinam, si ad manus sit, addes, quin etiam in penuria terebinthinæ tum humidam pineam, tum etiam frictam commodè admisceas, non minus etiam his & abietinam immittas, in quē

vsum

vſum & oleum abietinum vtiliſsimum erit, ſit verò æſtate lota terebinthina, hyeme autẽ non: vel æſtate communi, digeſtiuo loto, ſic enim illud vocant, perinde ac ego facio vtere: id ex roſaceo, terebin-
6. methodi. thina, albaque cæra æquis portionibus coctum conſtat, mox frigida vel etiam roſacea lotum: hyeme autem iam deſcripto, quod ex vitellorum numero, æqualibus terebinthinæ vncijs, aut laricis plurimũ, conſtat. Horum ſiquidem quodpiam linamento excipiens vulneri inſeres, cui ſedandi doloris nomine poſtea cataplaſma aliquod ad id dicatum ſuperdes optimum erit. Tale eſt quòd ex farina hordacea, fabaceaq;, puluere roſarum, ſymphito (conſolidam vocant) myrtillis, balauſtijsq; omnibus tenuiſsimè tritis, & ſubtiliſsimè perforato cribro excuſsis, in ſapaque, aut vino dulci, aut mulſo ad perfectam miſtionem coctis, conficitur. Vel aliud ex recenti caſeo, cum plantagine ſubacto, & mero aſperſo. In eundem itaque vſum venit emplaſtrum diachalciteos, & phœnicinum vocatum (diapalma nos dicimus) item & illud de minio cui maſtix inſit. Animaduertimus autem in eo commentario, quem in Galeni primum librum de compoſitione medicamentorum per genera ſcripſimus, nobis communiter medicamenta, quæ vetuſtioribus emplaſtra dicuntur cærata appellari: nihil autem æquè præſtat primis diebus ac linteum roſaceo perfuſum admouere, vel etiam poſca imbutum. Itaque inflammatione vitata, necnon coctione molita, quod facilè ex ſaniei qua-

qualitatibus albedine ſcilicet, lenitate, æqualitate, & non ingrato odore deprehendes, vulnus purgandũ eſt: id optimè faciunt tincta in melle linamenta, vel in medicamento quod recipit terebinthinæ, mellis roſati, farinæ hordei, nec non aloes cribrati parum, omnibus ſcilicet, vel optimè permixtis, vel etiam leui igne decoctis inſpiſſatisq;. Purgat item & puluis recipiens thuris drachmas duas, aloes drachmam vnam, iridis ſcrupulum vnum. Idem efficit vnguentum damaſcene, & viride appellatum, vel vnguentum apoſtolorum, vel Galeni panacea quinto catageni, humidiori cærato linamento excepta, ſuperinducto linteo diachalciteo incruſtato. Valet & emplaſtrum primo catageni ex oxeleo aut lithargirio deſcriptum, ſupraq; id vel emplaſtrum, uel enneapharmacum dandum eſt, ita appellatum quod ex nouem rebus conſtet, & ad purgandum valens, ex cera, melle, ſeuo, reſyna, myrrha, roſa, medulla vel ceruina vel vitulina vel bubula, œſypo, butiro. Quorum ipſorum quoque pondera paria miſcentur. Atqui ego huius rei nomine à diachalciteo cerato nuſquam recedo. Tum demum verò purum vlcus eſſe cenſeas, cum ruber, ac nimium neque ſiccum, neq; humidum eſt, Contra verò quodcunque ſenſu caret, quod non naturaliter ſentit, quod nimium aut aridum, aut humidum eſt: quod aut palidum, aut albidum, aut liuidum, aut nigrum eſt, id purum non eſſe indicabis. Purgato ſequitur vt impleatur. Quoniã ſcilicet in cauo vlcere id no- 3. meth.
bis

bis proponatur, vt caro quæ perit restauretur. Scire autem licet generandæ carnis materiam sanguinem bonum esse: dixi autem bonum, quoniam non ex omnibus in omnia mutationes fieri credendum sit:
p de semine sed in quod naturæ illius quod mutatur, vicinius est, facilior est mutatio. Ac ideo facillimum sangui-
14 meth. ni bono tamen, vt caro efficiatur dictum est. Constat autem quod subiectorum quibus superinduci caro
3. & 6. meth. debet, natura ipsa gignendæ carnis opifex est: impropriè siquidem satis cum medicamen quodpiam carnem generare dicimus, loquimur: cum non quidem naturæ medicamentum in hoc æquari posśit. Licet enim medicamentum præparationem quandam ministret, carnis generandæ tamen opus, maximè naturale est, ideoq; minus medicamento adscribendum. Hinc aliqui non propriè, sed ex accidenti medicamenta sarcotica carnem gignere dixerunt: quod item duplici contigere modo affirmarunt, aut verè ac quatenus id ad omnem medicinæ, quæ huius rei gratia admouetur, spectat operationē: vel nec vere nec integrè, sed quatenus hāc partim generat, partimq; non generat: carnis scilicet generationem quadā præparatione, disponēs. porrò medicinæ, quæ verè carnem generans appellatur, facultas est, carnis deperditæ loco nouam substituere, sanguinem nempè in particulam nutritionis gratia confluentem, in carnem permutando, eius videlicet naturam æquans, atque ipsum exiccatione cogens: sanguinis autem nomine hoc loco intelligere oportet, cum pri-

primum, tum ſecundum ex ſecundarijs ipſis humoribus, qui ab ipſo medicamento humiditate exuperante exuti æquantur, in cambiumq́ue, ſiue gluten facilè conuerti habiles redduntur, vt indè à natura, virtute altrice media, ſpecie carnis informentur. Neque autem hic intactum, & quaſi prætermiſſum deſiderari poſsit, quatuor humorum quos ſecundarios propriè appellant genera, ab optimis quibusq; Medicis celebrata, quæ ſint dicamus. Quod igitur in ſolida ſubſtantia partis ſimilaris primum ineſt craſſamentum, humorem id in ſe continet aqueum: qui cum ſit omnium corporum communis, ad hunc numerum minimè referri debet. Is autem primigenius qui vitalis eſt, & viuentium proprius, naturalisq; ſpiritus (ſi naturalis aliquis ſpiritus eſt) ſedes, 12. meth.
in ſolida ſubſtantia poſitus, omnium primus conſtituendus eſt, quem leuiter & inconſideratè videtur Auicennas ei aqueo eundem feciſſe, à quo partium robur & firmitas exiſtit. Alter humor eſt carnoſa vocata ſubſtantia, quæ ceu concretus liquor ſolidis fibris adhæreſcens moles ſit ſimilarium partium: hunc manifeſto videre licet in carnibus dum igni immodicè torrentur, liquari, & plurimum defluere, ferriq; in prunas largiter. Duo iſta ſecundariorum humorum genera enarratæ ſubſtantiæ comprehendunt, ſuntq; in eſſentia partis ſimilaris. Tertius is eſſe cenſetur quo partes aluntur ſingulæ, & quem proindè alimentarium dicere placuit. Hic primum ceu ros aliquis per ſimilarium partium ſubſtantiam diffun-

diffunditur, qualis expressa carne dimanat atque profluit, deindè propius illis adductus apponitur, postea annectitur & agglutinatur, huicq; vni & eidem à statu vario varia nomina quidam indiderunt. At verò cum his tandem adhærescens in partis substantiam conuersus est, illiq; perfectè iam assimilatur, fit tum secundum humoris genus ex tertio. Quartus humor in exilibus arterijs venisq; continetur, hinc mox ex earum finibus in vacua partium loca influxurus. Hunc quidem esse constat purioris sanguinis portionem multiplici coctione exquisitè elaboratum, & ex qua pars similaris proximè alitur. Quo circa hic nondum potest, vti neq; tertius ad similarium substantiam pertinere: quamquam vterque varia commutatione in corporis naturam tandem commigrabit. Qui in maioribus venis reconditur sanguis ad hæc secundariorum humorum genera neutiquam pertinet: sed eos quatuor primos ac principes humores complexu suo recipit. Iam verò si præscriptum ordinem inuertemus ex sanguine qui in venis concludetur maioribus, tres humores ex secundarijs consequutione quadam fient & enascentur. Cum enim sanguis iam in extrema, & ora exilium venarum arteriarumq; perductus erit, primus humor tum appellabitur: secundus autem, cum iam vice alimenti in partium substantiam influxerit: tertius vbi circum partium villos & stamina cõ

3 meth. & 2. ad Glauco.

crescens iam assimilatus in earum propriam carnem conuertitur: quartus uerò villis ipsis atque stamini-

bus

bus ingenitus eſt & inſitus, quem iccirco primigenium appellauimus. Itaque medicamenta hæc generandæ carni dicata, in primo ordine tum ſiccare, tum detergere debent. Vt quidem hæc ipſa Arabum princeps qualia eſſe deberent indicaturus, moderatè ſiccantia conſtituerit, adhucq́; mentem propriam clarius explicans, hæc dixerit primo gradu, vel paulo etiam ulterius ſicca eſſe debere. Paulò autē ulterius particulam eum interpretati aliqui ſunt, innuiſſe, hæc ultra primum gradum, commodè quoque ad ſecundi uſq; principium ſicca exiſtere poſſe: ſanè quod carnē producit, ſi totum qui confluit ſanguinem conſumeret, ipſam materiam creandæ carnis adimeret, uel etiam partis ipſius ſubſtantiale humidum abſumeret. Porrò intelligas oportet, ſarcotica hæc medicamenta primo gradu, uel etiam ſecundi prima parte, ut dictum eſt, ſicca collatione ad corpus temperatum nequaquam conſtitui debere. Aliàs namque plura, quæ uel ab ipſo Galeno in ſarcoticorum genere ſunt enumerata, abſolutè dicō ſiccantia, idq́; uel extrema etiam ſecundi gradus aut etiam fortaſſe tertij præſtantia, non modo carnem non generarent, ſed maximè hanc etiam eliquarent: huiuſce generis cadmia, cētaurea, & ariſtolochia eſſent. Proinde illud ſemper memoria tenendum, ſermonem ad temperatam & mediam exceſſuum naturam in ijs, quæ ita ſimpliciter efferuntur, referendum: puta cum dicimus medicamentum aut vlcera carne implere, aut cicatrice claudere, aut 9. de ſimpl. med. facul.

aliud

alïud quiduis eius generis præstare. Ergo sarcotica medicamenta, cum ut seruetur partis ipsius natura: tum ut morbus expellatur, admoueamus: atq; illud temperiei similitudine, hoc autem dißimilitudine assequamur, sicca sint vtroque nomine oportet, & quod partis siccitas scilicet naturalis siccitate sit simili conseruanda: & vulneris humiditas, quæ maxime carnis generationem probibet, siccitate omnino contraria, sit tollenda. At verò partium ipsarum, atque vulnerum, vlcerumúe, cum non vtique eadem sit vel natura vel dispositio, alijs scilicet humidioribus atque alijs minus existentibus: sic neq; prorsus medicamenta hæc æqualia esse omnino oportet. Quippè thus in humida corporis natura carnem producere potest, in sicca non potest: scire namq; licet duas esse primarum indicationum differentias: quod secundum naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea quæ similia sui sint postulante: quod præter naturam est, sublationem sui, eoque contraria requirente. Perit enim quidq; in contrarium, & à contrario. Atque vlcus quidem quo est humidius, eo sanè medicamento quod magis siccet indiget. Corporis verò natura quantò est humidior, tantò quod minus siccet, medicamentum postulat. Quare si qua sunt vlcera, quibus par est humiditas. quod in sicciore corporis temperamento consistit, vtiq; magis siccari postulat: quod in humidiore, hoc sanè minus, quò natura naturæ interest. Siquidem productam carnem ei, quæ ante erat, similem esse opor-

oportet. Vbi igitur pristina siccior fuit, nouellam quoque sicciorem fieri conueniet, quare vberius hæc siccari, quantoq́; magis sicca fuerit, tanto quod admouetur medicamentum, magis siccam facultatem habere debebit. At in humidiore natura tantò rursum ijs, quæ minus siccent medicamentis est opus, quantò caro ipsa minus est sicca. Thus igitur, vt ad humani corporis naturam, eiusmodi obtinet temperamentum, vt temperatam & mediam naturam propè modum adæquet, humidiorem autem sensim exiccet, quemadmodum ea, quæ ad summum est sicca, paulò est humidius. Merito itaque thus in quibusdam tum vlceribus, tum naturis, pus quidem mouet, carnem non producit: in quibusdam etiam carnem producit. Itaq; si obseruaueris, rationi respondere euenta deprehendes. In humidiore nanq; natura producere carnem potest, in sicciore non potest. Præterea in modicè humidis vlceribus carnem efficere potest: in ijs quæ præhumida sunt prorsus non potest: vt hercle hæc medicamenta, siccantia primo gradu, secundo, & tertio absolutè, atque nulla ad aliquid collatione, esse oportere, rectè Arabũ Princeps enunciauerit. Constetq́ue quantum & illi decipiantur, qui hæc nulla vel partium, vel vlcerum, adde si lubet vel anni temporum habita ratione primo gradu vel paulo vlterius siccare oportere, contendunt. Quantumq́; errent, qui horum medicamentorũ siccitatem, partium siccitati symmetram, vel paulo etiam remissiorem esse satis existimant.

Atqui iam fingamus nos & sanam esse partem, & sanguinis confluxũ citra vllum vel in qualitate vel quantitate vitium. Porrò his ita se habentibus, nihil est præterea quod obstet quominus prima carnis generatio prosperè contingat, idque nullius externi medicamenti ope. Quippè causis ambabus vnde nascitur præsentibus, nulloq; extrinsecus, quod impediat obstante, non potest probiberi carnis generatio. Verum in ipsa prima carnis generatione duplex prouenire excrementum necesse est, quod omnẽ qualitatis alimenti mutationem alterum craßius, alterum tenuius excrementum sequitur. His excrementis etiam per vniuersum corpus semper prouenientibus, quod tenuius est, ipsa inuisibilis est perspiratio: quæ etiam subinde fit visibilis, quoties vel naturalis calor languet, vel nutrimento vtitur quàm iustum sit, ampliore, vel motus quispiam vehementior animali contingit. Alterum est sordes, quod in summo corpore nostro colligitur. Quin etiam in vlceribus tenuius excrementum sanies, Græce ichor appellatur: quod crassum est, sordes. Ac ex tenui quidem excremento vlcus humidum redditur, ex crasso sordidum, eoque duplicibus medicamentis eget: vtique vt humidum est siccantibus: vt sordidum, quæ ipsum expurgent. Ergo cùm nullo vnquam tempore natura cesset, certè nec tempus vllum erit, in quo nõ ambo hæc in cauo vlcere colligantur. Quare nec tempus vllum erit, in quo non vtrunq; medicamentorum genus desiderabit, vtique & quod siccet,

3. meth. de nat. hum.

cet, & quod expurget. Quale autem hoc, quod ad siccitatem spectat, debeat esse, iam expositum est. Quod verò ad abstersionem attinet, superest exponendũ. Leuiter igitur hæc, & sine morsu, vel etiam minus quam siccent, abstergant oportet; ne scilicet carnis materiam tergant, atque auferant. Quippè quod super hoc fuerit, ita vt non modo humoris, qui influit redundantiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem ipsum depopuletur, id refici carnem prohibebit. An vero generationi carnis accommoda esse, quæ cum siccandi abstergendiq́ue, vt antea dictum est, adstringẽdi etiam facultatem poßident, si quis quærat, nequaquam, aut leuiter quidem, per inde ac thus, adstringentia, admitti facilè posse, esset respondendum. Simpliciter si quidem quæ adstringunt, si in hunc vsum recipiantur, carnis generationi, tantum abest vt ipsam iuuent, maximè aduersabuntur, eam videlicet, quæ in vlceribus est, quod summè tamen euitari oportet, densantia. At qui Galenus, quum non raro humiditas vlcera infestet, caroq́ue propterea in his laxior gignatur, idcirco in sarcoticorum genere thus stipticam qualitatem non nihil nactum recensuit: huiuscemodi pro occasione ad carnis generationem tanquam idonea, vel etiam necessaria esse recipienda, indicans: Quod ĩtaque Arabum Princeps animaduertens carnem generantia medicamenta (dixit) non eo vi adstrictoria indigent, vt in his stipticitas sit desideranda. Cæterum adhuc cum definitum non sit, quatenus in calefacien

do frigefaciendoq́; hæc se habere debeant hoc quoque inuestigare quodammodo cogimur. Non etiam tantum an siccet, sed an etiam non ualde calefaciat, aut refrigeret, expendi oportet. Ergo altercum, & mandragoram, & meconium, ceu supramodum refrigerantia fugies, tametsi siccant ea quoque quantum sit vlceri ex vsu. Resina vero, & pix, & asphaltus, quanquam modicè siccant, tamen immodicè sunt calida. Ideoq́; eis nemo vtetur solis, nec aliter, nisi cum leuiter refrigerantibus admistis, vnum ex omnibus medicamentum fecerit, quod sit temperatum. Temperatum enim sit cum caliditate tum frigiditate sarcoticum medicamentum oportet, si tamen & pars cui fuerit admouendum temperata existat: aliàs etenim tantum à medio in oppositum distet, est opus quantum pars ex aduerso ab eodem recesserit: ita vt parti calidißimæ frigidißimum, & frigidißimæ calidißimum admoueri medicamentum debeat. Præstabit ergo vulneribus purgatis melicraton infundere, quoniam in his & fundum petere, & carnem generare poßit: pro læsionis nanque ratione non rarò medicamentorum forma immutanda est: replet itaque vulnerum cauitates medicamentum quod recipit rosacei, resinæ, terebinthinæ, mellis singulorum, vncias duas, cærusæ, butyri, singulorum vnciam, alij etiam thuris vnciam addunt. Idem præstat Italicum appellatum: quod hoc modo facies, erinei (dico autem syluestris ficus) tenerum corticem oleo excoctum proijcito, cæræ ru

Pau. Aegi. lib. 7.

sæ

sæ quantum satis est in oleo liquefacito, & in linamenta illito vtitor. Quod si paulò humidiora iusto vulnera fuerint, ex vsu erit medicamentum quod habet resinæ, ceræ, vtriusque drach. duas terebinthinæ veræ drach. tres, thuris, masticis, vtriusque drach. vnam, mirræ, sarcocollæ, mumiæ sing. drach. semis, olei masticini drach. quatuor, mellis rosati colati drach. quatuor, farinæ hordei drach. vnam & sem. ex quibus omnibus fiat vnguentũ. Vel aliud quod constat ex melle cocto, myrra, sarcocolla, & aloe tritis simulque omnibus mistis. Vel etiam puluis qui habet mannæ, thuris, iridis illiricæ, farinæ orobi, aristolochiæ longæ, corticis opoponacis partes æquales, quibus & cadmia lota addi potest. Vel item alius puluis ex lithargyrij, scoriæ ferri, centaureæ minoris, aloes, thuris, & masticis partibus æqualibus. Atqui communiter vsurpatur, vnguentum rasinum vocatum, vel basilicum: illud recipit terebinthinæ, resinæ vtriusque libr. tres olei libram vnam, ceræ quantum sat sit ad vnguentum faciendum. Hoc vero duplicis formæ est, atque alterum quod maius appellatur ceræ habet, resinæ pineæ, mellis, picis græcæ, seui vacini, olei singulorum partes æquales. Alterum autem quod minus dicitur, habet resinæ, picis græcæ & colophoniæ pondera æqualia. Quæ si debiliora aliquando videantur, quam particulæ humiditatem superfluam absumere valeant, vnguento vel damascenæ, vel iside roborantur, si fortiora digestiuo admisto remittuntur.

2.de compo. med.per ge. Pro inde si quis nos roget, quale horum sit præstantius, succurrat, id quod identidem à me prædicatur respondere, omnia esse optima ei, qui affectus, quibus singula offeruntur, cognoscat: sicut & eos ignoranti omnia peßima.

14. meth. Sanè vero cum robustis corporibus valentiora medicamenta, imbecillis mitiora sint adhibenda, pro illis, Isidis appellati ræsino quartam vel dimidiam partem, vel plus minusúe pro vt res postulabit, admiscebis: pro istis vero, damascenum ea symmetria, quæ necessaria tibi videbitur. Cæterum, quod & antea à Galeno, mox & à nobis in opere de introducendis Græcorum medicaminibus dictum est, in medicamentorum componendorum ratione versatißimus sis desidero. Nec enim officinæ semper in promptu, vnde hæc habeas sunt, nec parata vbique reperiuntur. Atque sint iam hæc quidē satis quò ad curationem horum vulnerum in carnosis verè partibus existentiū attinet, iamq; ad neruorū, neruosarumúe partium affectiones curandas transeamus: postea quomodo quibusq; medicaminibus cicatricem (est etenim par in his atque illis huiusce rei ratio) inducas, docturi.

De horum vulnerum in neruosis partibus existentium curatione. Cap. XX.

Neruorum igitur vulnera hæc contusa maximè cum sint promiscuam cū Echimosi, seu carnium contusione habere generationem, facilè indicat, similis

milis vtriusque affectus curatio. Vt nanque illic (quod postea dicemus) digerentibus & adstringentibus medicamentis vtemur: sic nõ minus hic etiam siccantibus, & adstringentibus nobis vtendum est: præsertim dum cutis vnà cum neruo contusa exulcerataque est. Vulnerato igitur, contuso, atque attrito ab hisce tormentis neruo, cutim illæsam esse haud erit existimandum. Nerui autem nomine & tendines, & syndesmos (ligamenta vocant) mihi intelligi propterea volo existimes, quod eiusdem speciei cum sint, parumque natura differant: eandem quoque, vel parum, adeò vt nihil ferè dicas differentem curationem requirant, ac postulent. Itaque his à tormentario globulo vulneratis & contusis, nostrum oleum, quo virulentiæ venenosæ obsistas, infundes. Tum quoniam vbi tendones & nerui sunt hic doloris, conuulsionis, & delirij periculum instat, victum tenuiorem institues, sanguinem mittes, & aluum purgabis. Sanè verò quam primum hac ratione veneni facultatem extinxeris, atque dolores ac inflammationes inhibueris, vlcus sic curato: oui vitellum & terebinthinam gutatim optimè permisceto: crociq; parum (neruosis enim prodest partibus) addito, & vtere: interimq; sedem affectam circunquaque rosaceo perfundito, eiusque superiorem partem reprimente lenimento, deffensiuum vulgo appellatum, obducito: atq; sic materiam coquito: postea vlcus abstergito, & vt antea dictum est carne repleto. Id autem vel in primis semper ha-

bendum curæ est, ne quid ex his quæ vulnus contingent frigidum sit. Atque quidem hoc facies vbi partem neruosam globulus transfonderit. Si nanque infixus restiterit: ante omnia eum vt eijcias tibi erit enitendum: quippè quod ab ipso in his summi dolores, ingentißimi cruciatus, intentißimæ inflammationes, gangrænæ, febres, conuulsiones, & deliria excitentur. Nec quidem percunctandum est, quando etiam non raro, hæc post eius eductionem accidant. Tanto vero tibi ab his partibus educendis globulis, iucundius operandum erit, quanto hæ cæteris corporis omnibus partibus, dolorem magis sentiunt. Quare danda opera erit cum in primis in omnibus, tum verò maximè in his, quæ circa neruosas partes fiunt operationibus, vt breui tempore, & citra dolorem, tum denique vt tutißimè cures. Tutißimè autem curabis, ubi quod aggrederis omninò absolues, vel sin minus cubantem saltem non lædes. Cito verò & iucundè rem expedies commodè, cum tui habita ratione, tum illius qui curatur, ac luminis. Quare quod & supra admonebamus. vulneratum in ea figura tibi constitues, in qua erat eo tempore, quo vulnus accepit: ita nanq; facilius & iucundius, quo telum tetenderit, specillo explorabis: & eum minore cum dolore eijcies: quod ubi præstiteris, omnia ut antea expositum est facies. Sanè vero si ad manus oleum nostrũ non sit, id quod ex hyperico, uel ruta conficitur calidum inijcies, uel etiam vini stiptici affusionem vtilem comperies.

Quæ enim valenter ſiccare poſſunt contuſis neruis vtiliſſima ſunt: quæ autem humectare & mollire, contra quam carnoſis partibus vnà vulneratis contuſiſque, inimiciſſima. In præſentiarum autem licet cutis ſimul vnà cum neruis contuſa & vlcerata ſit, ſiccis tamen medicaminibus ideo eſt inſiſtendum, quoniam ipſorum præſtãtia, hæc adeo ſuperetur, vt horum ratione ſolum habita, penitus ea negligenda videatur. Atque ideo ſiccorum medicaminum vſus oportunus iudicatur, vt quam primum in cohalitum hi redigantur, atque corruptionis periculum euitetur. Iam verò ſtatim quis dubitabit an nerui coaleſcere poſſint? Tum ſi contuſi ſint, cur non magis puris generatio ſit molienda, quam omnino inhibenda? Primæ cuius dubitationis occaſionem potiſſimum Hippocrates præbet, quum dicat. Quando os aut cartilago, aut neruus abſcinditur in corpore, non augetur. 7 aphoriſm. apho. 20. *Quòd ſi quis eos vniri poſſe contendat, Pauli fretus autoritate dicentis. Equiſetum ſi illinatur, neruos quoque præciſos iungit: atq; propterea dicat, Hippoc. ſententiam fruſtra hoc loco adduci, quod non de auctione, ſed coitione, hic ambigatur, audiat is eum alibi de his explicatius in hunc modum differentem.* Paul. Aegi. lib.4.cap.37 Aeti.tetrab. prim. ſerm. p. & Gal.6. de ſim.med. facul. *Cum diſciſſum fuerit os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium neque augetur, neq; coaleſcit. Proindè his quæ dicentur mentem adhibeas oportet, cum etenim ab Hippocrate recedere nefas ſit, neque Galenum, Aetium, & Paulum ſimul cæcutiſſe* 6 part.apho. apho.19.

tisse est existimandum: res mihi maximè digna, quæ perpendatur, iudicanda est. Itaque superiori aphorismo, quæ corporis partes præcisæ, neque augeantur, neque coalescant, Hippocrates docens, primam os proponit, quod cum frigidum sit & siccum, adeóque durum, fractum coalescere haud potest. Hinc
Artis medi. cap. 91. *est quod Galenus ait, Fractura est continuitatis in osse solutio, quæ quantum ad primum attinet scopum insanabilis existit: quo ad secundum verò quodammodo sanabilis est. Primus igitur scopus est coalitus partium, qui ob oßis duriciem fieri non potest. Secundus alligatio, quæ fit callo supernato par*
5. meth. cap. 7. *tes fractas colligante. Quum etenim mollium tantum corporum in vnum coeundi sit habilitas, vt tum in externis videre licet, nullo nec lapide cum lapide, nec testa cum testa coeunte, tum verò in nobis ipsis, quando nec cartilago cum cartilagine, nec os cum osse coalescat. Non enim fracta ossa per vnionem cohærent, sed per callum ceu glutino iunguntur. Quod certè intelligendum erit de oßibus iam duris & siccioribus. Puerorum enim ossa, vt potè mollia adhuc, coalescere possunt, vel etiam teste Galeno dicente. Quoniam fracti oßis soluta partium*
6 meth. c. 5. *continuitas est, vtique finis quò tendet is qui eas curabit, saltem primus vnitio est. Quòd si is per affectarum partium siccitatem perfici posse non videatur, restat alter, qui est vt alterius cuiusdam interuentu glutinentur: qui si nec ipse comparabilis aduertitur, insanabile esse vitium dixeris. Quod igi-*

tur

tur coaleſcere nequeat tam durum os, quàm id quod in iuuenibus, & adoleſcentibus, & viris, multoq́ue magis in ſenibus cernitur, id profectò vel cuiuis patere poteſt. Poteſt certè illud tantum vnitionem recipere, quod abundè molle eſt, cuiuſmodi conſpicitur in pueris. Quin etiam alibi ait, Molle verò & puerile os coaleſcere poteſt. Pueros autem humida & mollia oſſa habere, diſertè idem Galenus docet, dum in hanc ſententiam ſcribit, Eſt verò puellus adhuc in ſummo humidus, veluti muſcus: idq́; non in ſanguinis vaſis modo, & viſceribus, ac carne, ſed etiam ipſis oßibus, quæ ſcilicet ſiccißima ſunt omnium, quæ in nobis ſunt partium: verum cum hæc, tum reliqua tota vna cum iis membra quaſi cerea ſint, infantium nutrices fingunt formantq́ue. Tanta eſt in toto puellorum corpore humiditas, vt quidem facilè hinc quis, ſi oſſa coaleſcere ſua ſubſtãtia etiã, ac neutiquam vlla media poſſunt, longè facilius neruos ſubſtantia molliori, eodemq́; humidiori vnionẽ ſequi poſſe, exiſtimet. Atqui animaduertat is oportet, & humiditatem & mollitiem qua oßibus nerui præſtant, potißimum eſſe cauſam quo minus ipſi præciſi coaleſcant. Oſſa nempè quæcunque mollißima fuerint, etiam ſi rimulas atque diiſcißiones patiantur partes eorum abſcedere haud neceſſarium eſt. Ad nerui vtcunque aut ſicciores, aut humidiores fuerint, ſi præcidantur, ſtatim eorum partes vtrinq; contractæ recedunt. Vt quidem cum ex ſemine originem habeant, tum regenerari nequeant, ob largæ enim

Artis medi. cap. 91.

2. de temp. cap. 2.

Neruos coaleſcere quid prohibeat.

Neruorũ ſubſtãtia cur nõ regenerẽtur

enim materiæ penuriam non renaſcuntur. Tantum .n. nullibi acceruatim contentum ſemen reperire licet, quantum vnumquodque eorum, quæ deperdita ſunt, indiget ad generationem: quin & cum per multum tempus coaceruari poſſet, à præoccupante carnis generatione impeditur. Tum quia non ob id ſolum quod nerui ſunt & tenues non coaleſcunt, ſed quoniam etiam & eo, quod talem habent naturam, capita non ſunt, cum præciſi fuerint, parum diſtantia, cum tamen ſe ſe contingant, quæ partes iungi vnirią; debent, neceſſariÿßimum ſit. Proindè quum vel prorſus auferantur è corpore, vel tantum diuidantur, ideò Hippocrates dixit, eos neque augeri, neq; coaleſcere. Augentur enim, quæ deficiunt: coaleſcunt autem, quæ diuiſa ac ſeparata ſunt. Quare rectè auctio dicitur deficientis reſtitutio: coaleſcentia autem orarum, quæ ab inuicem deductæ ſunt, vnitio & agglutinatio. Itaque Galenum, Aetium, & Paulum dicentes hippurim (caudam vocant equinam) iungere præciſos neruos, intelligere oportet, ſi vel non integrè præciſi fuerint, atque capita non vſque adeò ſeiuncta ſint, quin ſe ſe adhuc contingant: vel potius ſi per longitudinem, non autem ſecundum latum iÿ ſauciÿ fuerint. Cæterũ ob quam rationem in neruorum vulneribus, vel eorum etiam contuſionibus ipſis, ea quæ pus mouent non admouenda cenſeamus, rationem dicere iam aggrediamur. Porrò huius rei cauſam, euitandi doloris rationem ſtatuimus: qui in his ſanè ex eorum medicamen-

Artis medi. cap.87. & p. de ſemine.

Philoſteus 9 apho.19. 6. partic.

Reſpõſio ad Galeni Aetii & Pauli authoritatem.

In neruorũ contuſionibus quę pus mouent, cur non admouenda.

mentorum vſu, quibus in carnoſis partibus contuſis utimur, ingentiſsimus excitaretur. hæc ſiquidem calida & humida cum ſint, putredinem facere maximè apta ſunt: hanc autem in neruis euitare maximè oportet, quia ſcilicet motui atque ſenſui dicatas particulas affligere & cruciare, quod maximè dum pus conficitur accidere eſt exiſtimandum, non debeamus. Adde ſi ſemel putruerint nerui, eos (quod antea oſtenſum eſt) iterum, ſecus quam caro ipſa, non generari: vt quidem maiori negocio, quàm carnem, hos adſeruare ſit enitendum. Neq; enim quaſcunque contuſiones computreſcere aut neceſſe eſt, Hippocrates, vel Galenus dixerit: ſed eas ſolum, quæ vulnera, nempè carnoſarum partium inciſiones, ſequuntur. Atque hoc Hippocrates ipſe apertè nos docet, vbi ait. Quodcunque vlcus cæſim percuſsimúe acuto telo eſt diuiſum, medicamentum enæmon, & ſiccans, & quod ſuppurare vetet, admittit. Sin caro aliquo telo tum contuſa, cum cæſa ſit, huic ita medendum eſt, vt quam celerrimè ſuppuret; nam minus phlegmone vrgebitur, & neceſſe eſt carnes, quæ contuſæ cæſæq; ſint, putrefactas, & in pus verſas liquari, poſteà nouam carnem naſci. Indicat enim hoc ſermone manifeſtè ſolos eos vlceratarum carnium affectus non eſſe ſiccandos, in quibus gigni quam celerrimè pus cupimus: vtique quòd cum aliqua putreſcentia pus fiat obiter docens. Quinimo & paruas contuſiones non rarò reſolui, nequaquam verò in pus conuerti, quoties vidimus? Vt quidem hau

Cōtuſiones oēs putreſcere, non eſſe neceſſe.

De ulcerib. & Gal. 4. methodi.

haud vulgarium Medicorum more, res ipsas vltra corticem non respicientium, nobis ea sit Hippocratis vsurpanda sententia, contusa scilicet in pus verti omnino esse necessum. Proindè alteri quoque satisfaciendum est dubitationi, nempè antea dictũ est his vulneribus commodè nostrum infundi oleum, & quoq; communiter Medici id quod ex hyperico est (vulgo perforata dicitur) quoniam dolorem sedat, & conuulsionis periculum delet, infundunt. Atq; alij una etiam abietinum appellatum permiscent, vel horum loco id quod vel ex terebinthina, vel vitellis ouorum conficitur accipiunt. Atqui oleum
3. Metho.
vel ipso Galeno teste cauis vulneribus vlceribusq́; infusum aduersißimum omnium medicamentũ est, cum si ita mederi velis vsu ipso intelliges sordidum ac malè olens vlcus fieri. Nec est vt quis dicat, fortasse dictorum oleorum affusionem, non infusionem vtilem esse. Non enim adeò rudes sumus, qui talem proposuissemus difficultatem: cum haud nos lateat, non parum interesse, nudo ne neruo oleum, an per interpositam cutem admoueatur: & dixerimus Medicos vlceribus in quibus contusi, & attriti sunt nerui oleum ex hyperico, nosq́; nostrum maximo cum usu infundere. Sanè igitur vlcera ab eo, quod ex oliuis atque inde proprijßimo nomine oleum appellamus lædi, maximè verum est. At verò quod nos, atque alij rationales Medici infundimus siccare debet, tantum abest vt sordida reddere vlcera debeat. Porrò olei ipsius quatuor genera enu-

enumerantur, vnum quod ex oliuis maturis aut immaturis expreſſum oleum abſolutè dicitur. Alterum quod ex ſeminibus oleaginis exprimitur. Tertium quod vi ignis tollitur aut deſcendit. Quartum quod oleo conſtat, ſed cui plantarum partes ac animalium ſunt incoctæ. Itaque de primo intelligens Galenus, dixit oleum vlceribus eſſe aduerſiſsimum: quandoquidem tria alia genera, vel ſubſtantiæ cuiuſpiam vulneribus vtilis, ſucci ſint, vel etiam oleũ floribus, fructibus, germinibus ac folijs in eo maceratis exiſtat, his vſui etiam maximo eſſe poterunt, modo flores, fructus, germina, ac folia, quæ in eo macerata ſint, hoc præſtare valeant: quandoquidem pro cuiuſq; iniectorum natura oleum variari contingat. Quinimmo his vtimur oleis tanquam vehiculo commodo conuenientibus medicaminibus deffe- 6. de ſimpl. med. fac. *rendis, nempè tenuitate, qua pollent altius ſeſe inſinuantia, ſiccandiq; facultatem induta, neruos ſummopere iuuare poſſunt. Cæterum quæcunq; huc ſpectant, alibi ex profeſſo latius pertractantes, ad oſſium fracturas, quas facit hoc telum, tranſeamus.*

De horum vulnerum, cum oſsis fractura, curatione. Cap. XXI.

HAe autem ſæpiſsimè fiunt, quoniam huius teli impetum oſſa minimè ferant, uel quam rariſsimè hoſce globulos remorentur. Nempè inter multos, atq; multos ſanè, quos tum in Parmenſi tum Mi-

randulensi obsidione hoc tormento vulneratos cura uimus, vni soli Veronensi sphærulam oßi fœmoris infixam comperimus, eamq; inde negocio haudqua quam leui eduximus. Tantus est etenim huius teli impetus, tanta est vis, vt quæq; ad resistendum magis apta videntur, eadem magis lædantur: huius au tem modi ossa cum sint, ab hoc, si occurrerint facilè perfringuntur, atteruntur q;. Animaduertere autem in his maximopere oportet, non semper sub ictu etiam vehementiori ossa infringi: quandoquidem solet euenire, nec rarò, vt altera parte fuerit ictus, & altera os fiderit. Itaq; expendas in primis oportet, num glans plumbea totam partem transfoderit, an intus adhæserit. Introque si adhuc maneat, an sola, an quid secum traxerit, diligentißimè ob ea quæ superius repetita sunt, perpendes, eaq; omni studio educas. Terebra glandem si oßi infixa reman serit, educes: in cuius rei magisterio vsui esse vncos ne tibi alicuius autoritate suadeas: itaque glandem infixam euulsurus cannulam prius rectè ad ipsam immites, mox terebra, quominus carnosas aut neruosas partes lædas, rem absolues. Euulso vel etiam emisso globulo, nihiloq; intus inhærente, oßis sedem fractam, & fracturæ rationem consideres diligenter consulo: harum etenim diuersæ sunt species, & diuersis oßium partibus accidunt: modoq; aliæ alijs faciliores curatu sunt, modo difficiliores. Leuius si quidem curantur, quæ vel per transuersum, vel per longitudinem fiunt, & simplices sunt appellatæ fractu-

cturæ : quibus & ea quæ oblique accidit, & paulo difficiliorem habet curationem addi potest. Atqui rarò sub his ictibus, tales fieri consueuerunt, quoniam ferè semper in his multifariam ossa frangantur. Cæterum aut simplices, aut multifariæ hæ accidant, quæcunque ossium capitibus proximiores contingunt, peiores iudicantur, nam & maiores cruciatus gignunt, & difficiliorem curationem habent: cuius item generis, & quæ iuxta articulos fiunt, esse solent : inter quas itaque quæ fragmenta acuta habuerint, pessimæ censentur, nam & carnem vulnerant, vel neruos quoque, vel musculos etiam & tendines pungunt. Cognoscuntur verò ossa per transuersum præsertim esse fracta, si eorũ partes disiũctæ separatæue ac variæ inueniuntur, si membri figura inæqualis percipiatur : atque si dum membrum dimouetur, & manu variè tractatur, ossa collidi sentiantur, & veluti crepitus quidam ex ea collisione audiantur. Per longitudinem verò factam esse fracturam conijcitur, ex non naturali scilicet partis affectæ crassitie, doloris inæqualitate, vel iudicio maximè. Sanè autem acuti atque pungentes dolores argumento comminuta esse ossa plurimum sunt. Ergo antequam dolores maiores fiant, suboriantur-úe inflammationes, membrum ipsum, si transuersim ossa fuerint fracta atque sua sede dimota, in naturalem figuram reducere studebis, quod tunc factum esse intelliges, si dolor fuerit ipse sublatus. Quòd si etiam articulum secum traxerit, luxationẽ prius

restituas oportet, mox verò fracturam cures. Hoc autem primis diebus facere expedit, si quidem id si omissum fuerit, inflammatio oritur, sub qua difficilè & periculose vis neruis adhibetur. Considerandum etiam in artubus est, qui duo ossa habent, cuiusmodi crura & bracchia sunt, num alterum solum, an simul vtraque fracta sint: quoniam maiori negocio opus sit, fractis duobus oßibus reponendis, quam alteri tantum: non quod alia in eiusmodi casu curatio admouenda sit, sed primum vt valentius extendatur, si vtrunq; os fractum est; quia necesse est minus neruos contrahi altero osse integro, eosq; intendente: deinde vt curiosius omnia in continendis oßibus fiant, si neutrum alteri auxilio est. Nam vbi alterum integrum est, plus opis in eo quam in fascijs ferulisque est. Itaq; nec prætereundum est, nonnunquam etiam fracta in his ossa in suis sedibus remanere, quod potißimum sub his ictibus, vbi scilicet alio quam vulnus existat, ossa frangi acciderit fieri animaduertes. Quo casu ad nostri immitationem, tibi tantum enitendum erit, vt fascijs & positione, naturalem partis figuram adserues, medicaminibus verò dolorem inflammationemq; effugias atq; vites C. Marsilij etenim Bononiensis iuuenis nobilißimi crus ita affectum cum inuenissem, eique solus triduo manum admouissem, concinuum sibiq; adeo vsque simile crus erat, vt illud si vidisses, ne quidem alterum os, ne dicam tibiam simul atque fibulam esse fractam, iudicasses. Cæterum Bononiam
cum

cum perueniſſemus (Mirandula enim, vbi vulnus acceperat adueniebamus) mihiq́ue iniungeretur ſocius: is (exiſtimo vt aliquid vltro præſtare videretur) crus ipſum, etiam me maximè reclamante, manibus varie pertractans, oſſa vt exciderent, atque aliud ſuper aliud efferetur fecit, vt ne quidem poſtea, nempè doloribus ingentiſsimis excitatis, nec non ob id largius humoribus affluxis reſtitui potuerint, moxq́ue, poſt etiam vitæ maximum diſcrimen peßimè ferruminata remanſerint. Quare his caſibus vt antea dictum eſt, ne membrum pertractes, ſed omni cura & induſtria id maximè vt in ſuo ſtatu adſerues, eniteris: ſi etenim in caluariæ fracturis, quibus fragmenta longius excurrunt non ad finem vſque ea perſequi Galenus cenſuit: quid opus eſt has, in quibus minus impendet periculum, atque non id ſine diſcrimine fiat præter rationem uel vſum tractare? Verum maximè Medico illi indulgendum cenſui, qui cum minus audiret, ſurdus nanque erat, crepitus illos non ſentiret, quos antea fieri in oßium fractorum colliſione, dicebamus: atque propterea grauius iucundeq́; minus ea pertractant: quantum ſi quidem inter alios ſenſus, chirurgo auditus neceſſarius ſit præterquam Galenus dixerit, à nobis quoq; oſtēſum in his libris eſt, quos de chirurgicis diſputationibus inſcribemus. Ergo huiuſcemodi vulnera in primis oleo noſtro perfundes, nec non his oui albumen ex roſaceo immittes. Nec à noſtra hac ſententia te reuocet quod ſcriptum reperies, ſi oßis 6. methodi.

fracturæ carnis quoque vulnus accesſit, neq; roſaceum tutò admouetur, quandoquidē hæc vlcus tum ſordidum, tum putre efficerent: etenim & omnino noſtra hæc vulnera putreſcant neceſſum eſt, contuſa nanq; ſunt, & venenoſam ſapiunt naturam: atque illud de communi oleo intelligi debet, à quo noſtrum vi & natura, vel ſubſtantia quoq; tantum diſsidet, quantum à niue ipſa caligo. Itaq; & quæ adſtringant medicamenta, & humorum inhibere fluxum valeant ſuperdanda ſunt: huius generis eſt ex Armenia bolus, maſtix, coralus, ſanguis draconis, oleū roſaceum, myrteumq;: oui album, ſolani, ſedi, portulacæ, plantaginis ſuccus, roſa, myrtus, rhus, malicorium, poſca, vinum nigrum, & ſimilia. Atqui communiter ſumitur lenimentum, quod recipit ſanguis draconis, rubricæ lemniæ (bolum armenum vocant) roſarum rubearum, ſingulorum æquas portiones: olei roſati omphacini, olei myrtini, aceti acerrimi, & cæræ quod ſat ſit mediocris vnguenti introducendæ formæ: quo ſcilicet faſciola oblita pars membri affecti ſupra vulnus obducitur, eodemque circum oblinitur. Denique faſciæ vino nigro auſtero, aut oxicrato frigido quidem æſtate, tepido autem hyeme mandātes ſuperligantur. Ferulæ interim ſuperdantur, vel non: hæque modo adſtringuntur, modò remittuntur, prout ſcilicet vſus & neceſſitas poſtulare videtur. Quæ tamē curandi ratio ab Hippocrate & Corn. Celſo non probatur. Hi enim pluribus tantummodo, & latioribus faſcijs (ferulas ne vide-

videlicet comprimendo lædant, similiter & canales omnino reijcientes) deligaturam in eiusmodi fractura, quæ cum vulnere incidit, fieri iubent, laxius scilicet quàm si ea plaga non esset: adeò vt affulcitæ quidē, non compressæ tamen fasciæ ipsæ esse videantur. Ita nanq; (inquit Celsus) numero fasciarum efficietur, vt laxæ quoque æquè contineant. Ac satius quidem est, sæpius circuire, ut ante Celsum scripserat Hippocrates quàm adstringi. Sed & in eas fascias multiplices ingerendum subindè, eodem Celso autore, est calidum oleum, & vinum, magisque vbi sic cum vulnere fractura à principio incidit, fame, idest exquisitiore victu vtendum, vulnus calida aqua fouendum, frigusque omni ratione vitandum, & transeundum ad medicamenta, quæ puri mouendo sunt: maiorque vulneri, quam ossi cura adhibenda. Vt autem de hac re, quod ad ferularum appositionem attinet, sic apud autores etiam eximios controuersa, id quod res est semel statuamus, hoc tibi tanquam axioma, idest, pronuntiatum esto. Cum fractura cū vlcere interdum in longitudinem membri contingit, tunc ex vtraq; vlceris parte ferulas etiam ab ipso curationis principio circundare licitum esto. Cum verò transuersum vlcus euasit, idque maximè si maius sit, ferulas statim ne imponito. At si squamula aliqua ex osse resoluitur (id quidem ex eo colligi potest, quòd & copiosior, tenuiorque humor profluit, & caro circa vlcus laxa, & mollis effecta intumescit) deligatura laxiore ad cu-

Lib. 8.

Lib. 3. fract.

Si ossis pars aliqua recessura est.

rationem vtendum est, ne scilicet pus intercludatur, sed effluere facilè queat: frequentiusque, vt consulit Hippocr. religandum, quoad os recesserit, ferulæque non apponendæ. Vbi verò vel hamulo, vel quopiam alio eiusmodi instrumento squammam euulseris, deligatura iterum validiore membrũ adstringes. Porrò per totum id, quo vlcus curatur tempus, medicamen aliquod ex his quæ inflammationem arcent, linamentum continens vulneri incumbet, ac simplices fasciæ inijcientur, quæ singulis curationibus resoluentur, cum aliæ supradictæ remaneant. Inter hæc autem, si quod paruulum fragmentum osis eminet, si id retusum est, in suam sedem dandum: si acutum, antè acumen eius longius est præcidendum: si breuius limandum, & vtrinq; (inquit Celsus) limandum. Tum ipsum recondendum est: ac si id manus facere non potest, vulsella (quali fabri vtuntur) inijcienda est, rectè se haben ti capiti ab ea parte, quà sima est, vt ea parte qua gibba est, eminens os in suam sedem compellat. Si id maius est, & membranulis fragmenta cinguntur, sinere oportet ea sub medicamentis resolui, idque os vbi iam nudatum est, abscindere: quod maturius scilicet faciendum est, potestq; ea ratione & os coire, & vulnus sanescere: illud suo tempore, hoc pro vt se habet. Nonnunquam etiam (inquit) in magno vulnere euenit, vt fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum cæteris coeant. Quod hic quoq; ex modo fluentis humoris colligitur, quo magis ne-

Si osſis fragmentũ eminet.

Si fragmenta uelut emoriantur.

cessa-

ceſſarium eſt, ſæpius vlcus reſoluere, atque nutrire, ſequitur verò, vt id os per ſe poſt aliquot dies excidat. Cæterum cum tam miſera antea conditio vulneris ſit, tamen id interdum maius, diutiusq́; facies. Sæpe enim integra cutis oſſe abrumpitur, protinuſq́ue prurigo, & dolor oritur. Quæ ſoluere (ſi accidit) maturius oportet, & fouere aqua per æſtatem frigida, per hyemem egelida. Deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractum quibuſdam velut aculeis carnem vexat, quo à prurigine, & punctionibus cognito, aperire id melius, eosq́; aculeos præcidere neceſſe habet. Reliqua vero curatio in vtroque hoc caſu eadem eſt, quæ vbi ictus protinus vulnus intulit. Hactenus Cor. Celſus de fractura cum vulnere facta. At verò ſi quis dubitet, an à prima ſtatim circumuolutione, latiore faſcia totum vlcus comprehendendum ſit, ita vt nulla eius pars nuda relinquatur: an orbiculares faſciæ partibus vulneris vtrobique, hoc eſt ab vtraque vlceris parte inijci debeant, obliquæ verò ſupra ipſum vulnus in longitudinem collocandæ ſint ſic vt per decuſsim ad X litteræ ſimilitudinem iuxtà hiatum occluſio ex omnibus fiat: quid ſentiam facilè reſpondebo: ſi tamen antea adnotauero ulcerum ipſorum in primis naturam maximè eſſe perpendendam. Etenim ſi immineat adeò, vt etiam inſtare inflammatio ipſa videatur, nullam quidẽ circa ipſum vulnus eſſe faciendam faſciationem, vtiliſsimum duxero, cæterum adhibenda admouendaue omnia eſſe, quæ vel maximè

Vulnus ĩterdum maius efficiendũ.

Si osſis fragmẽra uelut aculei carnẽ ſuppũgant·

eius periculum tollere posse perspicuum sit dixero. Tum itaque mihi anteaquam de fasciandi in vlceribus vbi fractura est, ratione, integrè deliberetur: animaduertendũ operæprecium esse videtur, quantum temporis inter ipsas medicationes, interponi debeat. Quandoquidem si casu, percußione, saltu, uel quapiam simul offensione affectus acciderit, non ante triduum quidem, vel etiam Hippocrate & Galeno autore eum deteges. At verò si tormentaria hæc vulnera consideres, & immutanda certè medicamenta sæpius, & virus frequentius educendum intelliges. Cuius itaq; rei nomine in illis cum Hippocratem tum Galenum, in his verò rei occasionem, sectæris, te maximè atque maximè consulo. Quare in his vlceribus ego etiam deligandi rationem imprimis præfero, quæ cum medicaminibus frequentius admouendis, immutandisque, tum sanici promptius extergendæ commodior videatur. Atque ideo in his vlceribus curandis, vt fasciandi quidem modus, qui decussatim fit non mihi displicet, ita nec eum damno, in quo è regione vlceris foramen in fascijs efficitur, per quod facilè medicamenta ipsa inijci vtilißimè etiam possunt. In his etenim præterea quòd minus affecta pars, quam si vlceri, fascia superdetur, tractatur, (quod in primis, si quid aliud vtilißimum est) & sæpius quoque & commodius vlceri mederi potest, & non semper eam religare oportet, ac ideo coalescere ossa melius possunt. Nempè & parti nudæ & vlceri ipsi vbi

ita fasciatum sit, hapsum lanæ mollẽ tepido oleo repletum accommodare oportet, eumq́; fasciola breuiori superligare, vt & parti sit medicamento, & etiam quominus ea turgeat sit impedimento. Sanè verò quantum mihi hæ fasciandi rationes laudandæ sunt, tantum damnandus modus est ille, in quo linteo ab utroque capite in tres, quatuor, quinque, ac etiam plures partes diuiso membrum ipsum excipitur, moxq́; inter se partes è regione respondentes deuinciuntur. Quoniam scilicet inæqualiter hæc modo pars ipsa ligetur, & inter nodos caro turgeat, nec non sub ipsis noxiè adeò præmatur, vt calori fermè transitus intercipiatur: quod sanè nisi ego quandoque animaduertissem, nobilißimi iuuenis cuiusdam crus, quod me inuito, ita Medicus alter, obligauerat, gangræna corripiebatur. Sanè verò si comminuta ossa sint, atq; frustula abscesserint, vt quidem indolenter educi poßint, educantur: sin autem naturæ relinquantur, & quod Hippocrates monet fascia tantum laxior circumligetur, ne pus retineatur, sed exitum facilè habeat, & dum os recedat, sæpius soluatur, ac deligetur: ferulæq́; omnimodè vitentur. Ad vlcus verò eadem quæ & anteà dicta est curatio adhibeatur. Atque si æstas fuerit, panni subindè vino madefiant: superdetur hyeme multa lana succida vino atque oleo respersa. Subijciaturq́; pellis sic figurata, vt humor per ipsam facilè descendat: & quod effunditur recipiatur. Cæterũ si quid ad hoc spectet, sitq́; id à me prætermissum Hippocra. 3. de fract.

ſum Hippocratem, Galenumq́ue à quibus hæc omnia exactißimè ſunt pertractata, conſulas operæprecium eſt.

Quomodo globulus, ſi articulo inhæſerit, euelli debeat. Cap. XXII.

AT quoque ediſcas vtile eſt, qua ratione globulum ſi in articulo ſeſe inter duo oſſa demerſit eijcere poßis: quoniam in his ſedibus maximos faciat dolores: & vix vnquam hæc vulnera, niſi quod infixum fuerit extrahatur, ſanari queant. Ergo ſi ſtatim poſt læſionem aduocaberis, vulnerario ſpecillo in primis globum requires, moxq́; terebra eum excipies, anteà autem circa vulnus duo membra faſcijs habenisúe deliganda, tuncq́; per has in diuerſas partes diducenda ſunt, vt neruos diſtendant. Quibus extentis laxius inter oſſa ſpatium eſt, vt ſine difficultate telum recipiatur. Non autem terebram ſolum ex vſu eſſe propterea exiſtimes, ſed & alia etiam inſtrumenta, pro vt occaſio & neceßitas poſtulare videbitur. Nempè aduocatus ego quandoque ab A. Zambeccario Equite duceq́; militum ſtrenuißimo, inſcius quid abs me eſſet expetiturus cum aduenißem, Baptiſta Piſanus militum itaque dux generoſus in maleolo multis anteà diebus vulneratus ſe ſe obtulit, qui inter tibiam talumq́; globulum quidem deliteſcentem habebat, quo intenſiſſimè cruciabatur: tumq́ue magis quod qui eum anteà

tea curauerant, & qui ad huc eum curarent Medici, (duo enim illi astabant) globulum euellere desperarent manum scilicet, aperiendi nomine admouere non audentes: veriti, existimo, tendinem, aut neruum quempiam, est enim pars ea maximè ex carnis, facilè posse secare. Quod ego cum animaduertissem audacter rectà vlceris orificium nouacula aperui, specillumq́;, quod altera parte cochlearis figuram immittatur, è regione globulo submisi, moxq́; eius partem quam manu habebam paululum inferius depreßi, vectisq́; modo anteriorem globum leuaui, nec sine illorum Medicorum pudore eieci, perbelleq́; ipsum sanitati restitui. Illud itaq; haud prætereundū est, partē læsam in eum esse statum componendū, quominus defluxiones suscipiat, aut si quas susceperit illas commodius effundat; quare in principio vel ipso Galeno autore acliuis positio vtilis videtur quominus vel admittat vel recipiat humores: decliuis autem cum iam defluxerint, atq; expurgandi sint: æqualis verò cum horum neutrum vel adest, vel verendum est.

Si partem quampiam principem hoc telum offenderit, quid faciendum. Cap. XXIII.

AT modo si pars aliqua princeps icta sit, puta cerebrum, cor, gutur, pulmo, iecur, venter, intestina, renes, vterus, aut vesica: siq́ue letales iam no-

tæ

tæ extent neque ſine cruciatu & magna euulſione queat fieri extractio, manū admoliri recuſabimus, ne præterquam quod nihil ſumus profecturi, etiam conuitiandi occaſionem idiotis exhibeamus: eſt enim prudentis hominis, primum eum qui ſeruari non poteſt, non attingere. Quòd ſi exitus fuerit incertus metusq; grauis, ſine tamen certa deſperatione indicare neceſſarijs periclitantis in difficili ſpem eſſe expedit, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videamur: mox manum admouere. Multis etenim accidit, vt abſceſſu quoq; in aliqua vitæ neceſſaria parte oborto, præter opinionem ſalutem conſecuti ſint, cum & iocinoris fibra, & omēti pars aliqua vel abdominis membranæ, quin etiam tota vulua ſæpe numero adempta fuiſſet, nec mortem ſecutam indè perhibeatur. Gutur etiam ſubindè in anginis de induſtria inciditur, quemadmodum de guturis ſectione ait Paulus. Si igitur in huiuſmodi telum relinquatur, in præſentaneam mortem præcipitat, & præterquam quòd hæc ars ab omni humanitate aliena æſtimabitur, mors etiam certa ſequetur: ſi eximatur, fortaſſe ſalus quoq; comitabitur. Porrò principum membrorum vulnerationem agnoſcere difficile non eſt, vt quæ ex accidentium proprietate, retrimentis, & loci affecti poſitura, deprehendatur. Verum tamen quia quædam vicina ſunt, intereſtq; an vulnus in ſumma parte ſit, an penitus penetrauerit, neceſſarium videtur notas ſubijcere, per quas quid intus actum ſit, ſcire poſsimus,

Paul. Aegi. lib. 6. cap. 33

&

& ex quibus vel ſpes, vel deſperatio oritur. Igitur corde percuſſo ſanguis multus & niger, ſi exitum habuerit, effertur, venæ langueſcunt, color palidiſſimus, ſudores frigidi, maliq; odoris oriuntur, extremisq; partibus frigidis, matura mors ſequitur. Pulmone verò icto ſpirandi difficultas eſt, ſanguis ex plaga cum eſt patens, euacuatur, ſimulq; etiam ſpiritus cum ſono fertur, cum non eſt magis ex ore ſpumans, venæ ceruicis inturgeſcunt, lingua colorem mutat, æger multum inſpirat, frigidi appetens, in vulnus inclinari iuuat, quidam ſine ratione conſurgunt, multi ſi in ipſum vulnus inclinati ſunt loquuntur: ſi in aliam partem obmuteſcunt. Sin cerebrum, membranaúe eius vulnus accepit, dolor capitis validus ſubſequitur, oculi feruent, rubentque, lingua agitatur, mens deſipit, ægri concidunt, vox nihil ſonat, ſanguis per nares, quibuſdam etiam per aures exit, fereq; bilis vomitus inſequitur: quorundam ſenſus obtunduntur, appellatiq; ignorant quorundam trux vultus eſt, facieſq; peruertitur: quorundam oculi quaſi reſoluti, huc atque illuc mouentur, fereq; tertio vel quinto die delirium accedit: multorum etiam nerui diſtenduntur. Ante mortem autem pleriq; faſcias, quibus caput deligatum eſt, lacerant, ac nudum vulnus frigori obijciunt. Iocinoris autem vulnerati notæ ſunt, multus ſub dextra parte præcordiorum profuſus ſanguis, ad ſpinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones, doloreſq; vſque ad iugulum, iunctumq; ei

la-

latus ſcapularum, os intentum, quibus nõnunquam etiam bilioſus vomitus accedit. Renibus verò percuſsis, dolor ad inguina, teſticuloſq́; deſcendit, difficulter vrina redditur, eaq́; aut eſt cruenta, aut cruor fertur. At liene icto, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt, ſitis ingens oritur, dolor ad iugulum, ſicut iocinore vulnerato venit. At cum vulua percuſſa eſt, dolor inguinibus, & coxis, & fœmoribus eſt, ſanguinis pars per vulnus, pars per naturale deſcendit, vomitus bilis inſequitur. Quædam obmuteſcunt, quædam mente labuntur, quædam ſui compotes, neruorum, oculorumq́; dolore vrgeri ſe confitentur, morienteſq́; tandem, eadem quæ corde vulnerato patiuntur. Vbi ſtomachus autem percuſſus eſt, ſingultus & uomitus bilis inſequitur, ſi quid cibi vel potionis aſſumptum eſt, id red ditur citò: venarum motus elangueſcunt: ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcũt. Communes verò ieiuni inteſtini, & ventriculi vulnerati notæ ſunt. Nam cibus, & potio per vulnus exeunt: præcordia indureſcunt: nonnunquam bilis per os redditur. Inteſtino tantum ſedes inferior eſt. Cætera inteſtina icta vel ſtercus, vel odorem eius exhibent. Medulla verò quæ in ſpina eſt diſcuſſa nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur: ſenſus intercidit, interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel vrinam, vel etiam ſtercus excernunt. At ſi ſeptum tranſuerſum percuſſum eſt,

est, præcordia sursum contrahuntur: spina dolet per totam humeri quidem partium compagem: spiritus rarus est, atque magnus cum gemitu: sanguis spumans fertur. Vesica verò vulnerata, dolent inguina: quod super pubem est, intenditur: pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit: stomachus afficitur. Itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt, frigus, & ex eo mors sequitur. Porrò in his partibus, si vel tantillum adhuc spei supersit, quod antea dictum est, re ipsa vt se habet necessarijs indicata, vel ipso Hippocrate autore, qui dicit, Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore letale est, omni cura, omniq́ue solicitudine enitendum erit, vt opem feramus: nempè globulum eijciendo si infixus sit, eo instrumento, quod nobis familiarißimum est, & apprimè huic vsui vtilißimum. Quòd si in vacuum globulus fuerit, puta abdominis amplitudine, aut thoracis cauitate, vel eodem instrumento, vel altero quoq; quod primùm Io. Baptista Cannanus Sanctiss. D. N. Medicus meritißimus ostendit, & vulgo medicorum quoniam coli à quo mulieres filum fuso trahentes, torquentesq́ue digitis nere conspicimus, figuram referat, rocchetta dicitur. Quo quidem facto, si quid aliud vel si alias vnquam oleum nostrum theriacum infundendum est: id autem theriacum ideo nobis est appellatum quod ipsum ex theriaca conficiamus: quam equidem in omnibus vi tantum superat, quan-

6.aff.aph.18

tum

tum eadem cæteris medicaminibus præstare creditur. Atque propterea quoque hoc ipso, interim tamen omnibus tum quæ ad euacuationem vniuersalem, tum particularem spectant, rectè pro rationeque institutis adhibitisque, ad exactam vsque sanationem, perpetuò erit vtendum. Vel etiam eiusdem aliquid, si viscera tacta fuerint, erit exhibendum. At verò particulariter magis, si vulnus aut thoracem, aut abdomen solùm, illæsis vtique visceribus offenderit, (quod in Senensi obsidione contigisse vidimus Herculi Nouolarensi, cui globulus è pubis regione supra aqualiculum totum ventrem transfodiendo iuxtà spinam nullo læso viscere exierat) singulis diebus nostri olei aliquid guttatim inijcies, moxque si vulnus sit in ventre cannulatum cuncolum, si in pectore tortile linamentum quopiam concoquente medicamento, quale id est, quod ex terebinthina & vitello oui conficitur, illitum impones, atque sedem totam rosaceo perfundes, ac denique linteum eodem medicamento incrustatum superdabis. Cumque apparuerit coctio, oriculario specillo sedem abstergente quapiam lotione lauabis, huiusce generis ea est, quæ recipit mellis ros. vncias tres, mirrhæ, fœnugræci, farinæ lupinorum, singulorum vnciam dimidiam, vini albi dulcis libr. vnam aquæ hordei, libr. duas omnibus mixtis, ad tertiasq; consumptis. Vel alia, quæ habet rosarum rubr. hordei, thuris, mirrhæ, aloes, zuccari, omnibus in aquæ vinique æqualibus portionibus ad tertias ebulitis.

Hinc

Hinc conijcias licet vulnera, quæ in thorace fiunt, eandem prorsus curationẽ requirere, quam & quæ in abdomine accidunt: eo solum excepto, quod in ventre inferiori sanie superabundante, cannulatum cuneolum immittere licet, in thorace autem non licet, ob eam scilicet, quæ inde sequeretur spirituum resolutionem. Cæterum in his singulis omnia perindè ac in alijs dictum est vulneribus facienda erunt. Atqui in his vulneribus, quæ potissimum in thoracis partem elatiorem fiunt, sanies infrà labitur: vndè facilè postmodum, etiam si vulnerati in vulnus inclinentur, non delabitur: quod facilè (omnibus nempè in deterius labentibus cognoscitur, increscente scilicet dolore, tussi, spiritus difficultate, nec non febre) aduertendum est nunquid alicubi tumor quispiam appareat, ibique incidendum, sin verò minus inter quartam quintamque costas mendosas incisionem candenti ferro facere expedit, vt indè, priori vulnere coalescente, paulatim pus ipsum vacuetur: 6. aph. 27. & 7. 45.
atq; hoc quidẽ vulnus vt alia curabis. Iã verò spina ipsa vulnerata conuulsionis maximum impendet periculum adhucque magis si huius medulla læsionem perceperit: cuius noxa si cerebro communicetur, illico deliria, vomitus, corporisque vniuersi conuulsio sequitur: sin minus inferiorum saltem membrorum, neruos in quam ab ipsa suscipientium resolutio oritur. Hanc autem eadem prorsus methodo, quæ curandis neruosis partibus anteà tradita est, curare vtile erit. Pericardio autem, & corde transfixo

nihil opus est Medico ignobilis etenim pars licet pericardios sit, facilè tamen inflammatur, cordiq; proxima nimis, curationē non admittit. Cor itidē membrū, quod ad vitam pertinet, omniū nostri corporis præstantißimū nobilißimumq; atque ideo pati minimè aptum nec abscessus, nec vulnera diu sustinet:
p. de locis affect.
tum quòd vnum cæteris omnibus partibus opem ferre natum sit, innati siquidem caloris fons & origo existit: tum quòd partes in ipso diuisæ agglutinari ex eius iugi motu non poßint. Dictum est autem diù
6. aph. 9 10.
cor ipsum noxam non ferre, quoniam licet cor vulneratum mortem afferre necessario, vnum ex his sit, quæ inconfesso habentur, non tamen similiter semper id accidit: nam si ad ventrem cordis vulnus aliquando penetrauerit, protinus magno cum san-
5. de locis affect. cap. 1.
guinis fluore hominē mori necesse est, idq; præcipuè, si sinistræ partis venter fuerit vulneratus: si verò nō ad ventrem vsq; pertingat, sed in cordis substantia consistat vulnus, ex ita affectis aliqui, non solum ea die qua vulnerati fuerunt, sed sequenti quoq; nocte viuere potuerunt, qui oborta deindè inflammatione extincti sunt. Quinimò & in suppurato qui post diuturnam affectionem obijerat, quemque ego in studiosorum plurium, vel Theodosii in primis piæ memoriæ, & Luccatelli gratiam dissecui obseruatum est fermè pericardium totum corruptum fuisse, maioremq; ipsius cordis, quod adhuc quidē, ob diutius scilicet putredinalem in eo adseruatū calorem palpitabat, partem exesam extitisse: vt quidem vl-
cus

cus diutius tulisse facile credi possit. Iam verò pulmones ipsi nō impossibilem, sed difficilem tamen habent curationem, quod num ex naturali eorum motu accidat, vt pleriq; existimant, tu ipse ex Galeno requiras cupio. Horū autem vulneribus mastiches, 5.meth. olibanum, tragacanthum, & gummi arabicum imposita iuuant: ad hæc cibaria sorbilia exhibenda sunt, cuius generis ptisana est cum penidijs: præterea silentium ita vulneratis summoperè est seruandum et quies, nec quidem antea thoracis vulnus coalescere permitti debet, quàm pulmones ipsi sani fuerint. Sic & vulnerato diaphragmate in parte sui carnosa, discissa.n. eius media regione, quæ neruea est coalescit nunquā, cibarijs & potionibus tussientibus dicatis vtendum est: cæterum quod spectat ad reliquam curationem, eadem sint, quæ paulo antea dicta sunt. Iecur vero, lien, & renes si affecti fuerint, nec in his vasa magna discissa fuerint, eadem methodo prorsus, qua & cætera viscera curanda sunt: modo id animaduertatur, vt quàm celerrimè fieri possit curentur, natura scilicet in his egrè diuturniorem ferente noxam, si quis autem ventriculum, intestina, vesicam, venam cauam, aut magnam arteriam ab his globulis vulneratam sanauerit, mirabile sanè, ac diuinitus factum credi poterit.

De his, quæ extrinſecus per vulnera incidunt, curationibuſque eorum Cap. XXIIII.

HIc ordo felicis curationis eſt. Sed quædam tamen periculoſa incidere conſueuerunt. Interdum enim ſanguinis fluor ſuperuenit. Interdum inſlammatio oboritur, vel eryſipelas, vel herpes, vel gangræna, vel ſideratio, non rarò œdema, ſcirrus etiam, potiſsimum ſi in articulo fuerit læſio. Interdum etiã vetuſtas vlcus occupat, induciturq́; ei callus, & circum oræ craſſæ liuent, poſt quæ quicquid medicamentorum ingeritur parum proficit, quod ferè negligenter curato vlceri ſuper uenit: hinc ſinus, hinc fiſtulæ, hinc oſsium corruptiones, hinc humida modo, modo ſicca vlcera, hinc neruorum affectiones, eorundemq́ue, ac membranarum reſolutiones: quibus omnibus qua ratione ſit occurrendum, nunc edoceberis.

Curatio aduerſus profuſionem ſanguinis in vulneribus. Cap. XXV.

INconſtans ſanè, ſcio, oratio noſtra pleriſque videri poterit, quæ anteà quidem vulnera hæc cruſtam haud minus quam ab igne contrahere ſic affirmauerit, vt etiam, ab his ſanguinẽ neutiquam fluere multorum teſtimonio comprobauerit: in præſentiarum verò qua ratione ſanguinis fluxus ſiſtendus ſit,

sit, differere proponat. Verum iam ne quis amplius admiretur, idem namque adhuc asserimus. Atque propterea à principio de sistendi sanguinem ratione, quod inter alia tamen primum in reliquis vulneribus fieri consueuit, nihil dictum est: & in hunc locum translatum hoc negocium est, quoniam quandoque post illius escharæ casum, vasis scilicet reclusis sanguinis sequatur eruptio, cui, curationi enim impedimẽto esse potest, quomodo occurri posit iam differendum est. Proinde si profusionem sanguinis timemus, quod ex sede vulneris, & magnitudine eius, & ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest, siccis linamentis vulnus implendum est, supráque imponenda spongia, ex aqua frigida expressa, ac manu super comprimenda. Si parum sic sanguis conquiescit, sæpius linamenta mutanda sunt. Et si sicca parum valent, aceto madefacienda sunt. Id vehemens ad sanguinem supprimendum est, ideoq; quidam id vulneri infundunt. Itidem & in his frigido utendum vndè fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit. Quòd si ne adhuc quidem sic supprimatur: altius sistendi eum ratio repetenda est: nempè considerando quantum, qualíque sanguine corpus ipsum redundet: qui si in eo copiosior videatur auertendus aliò est, cum scilicet eum ad proxima deriuando, tum ad contraria reuelendo: hinc frictiones partis oppositæ potissimumque per ea medicamenta, quæ calefaciant, vel aspero linteo, aut silicio etiam factæ: præterea vincula 5.aph.aphorismo 23.

 cula

cula valentius obducta ijs, quæ ad contrarium reuocant, remedijs sunt adnumeranda. Porrò & quod ad obturantia præsidia attinet, primò digiti sunt, vinculi, fasciæ. ipse itaque met sanguis, emplastica medicamenta, ignis, tum quædam medicamenta quæ ignea sunt, necnon quandoque etiam vasorum integra præcisio. Præter omnia autem iam dicta inter hæc hæmorrhagiæ remedia cēseatur & appositus vulneratæ partis situs: sanè verò appositus fuerit si ad geminum hunc finem sit directus; nēpè vt & dolore pars careat, & sursùm spectet, alioquin non solum profluuium sistetur, sed etiam si non aderit prouocabitur. Ergo qui hæc nouerit, si quando astiterit ei cui ex vulnere sanguis profluat, illicò dissidentia labra suarum manuum opera in idem adducat necessum est: hæc autem adducet tum ligatura, tum adstringētibus præsidijs, non enim aut venam aut arteriam suere fas est. Si autem neque propterea compescatur sanguis, digitum super os vasis imponat, blandè innitens ac sine dolore cōprimens: quippè simul tum sanguinē sistet tū eum concrescere in vulnere faciet. Iā vero adhuc sanguinis fluore procedente ad emplastica medicamenta est deueniendum, è quorum numero ea sunt quæ ex resina frixa, & tenuissimo farinæ triticeæ polline, & gipso, alijsque id genus sunt composita: in quem utique usum mihi maximè laudandus est Galeni ipse puluis, quo, quemadmodum ego soleo, vtaris cupio: thuris igitur partem vnam, aloes parti mediæ ad-

admiſceto, mox cum vtendi tempus inſtabit, tantum eius cum oui candido ſubigito, quantum mellis ſubſtantiæ craßitiem referat: quod omne dehinc leporis mollißimis pilis excipito, moxq́ue tum vaſi ipſi, tum vlceri vniuerſo liberaliter imponito: vbique copioſè ipſum impoſueris, forinſecus faſciam tenuem verſus uaſis radicem obduces, vbi ſcilicet primo quatuor quinqueúe amplexus ipſi profluenti vaſi inieceris, ut in reliquis penè membrorum omnium deligaturis facere oportet: ideo autem penè omnium dico, propter cerebri membranas, in quibus vbi ab eis fluat ſanguis, potius verſus illas eſt mollienda ligatura, ne ſcilicet copioſius ſanguis fluens, nullam animalibus ſpiritibus gignendis materiam relinquat. Itaq; non eſt in his committendum, vt in opere properes, veluti quidam ſtolidi chirurgici faciunt, ſed altera manu vaſis inferiorem partem comprimes, aut complexus tenebis, altera medicamentum vulneri impones, ac blandè ei apprimes donec concretum adhæſerit. His factis vbi tertio die ſolueris ſi tutò adhuc medicamen vlceri adhæret, aliud rurſus ſuper impones, ac veluti linamentum id, quod ex pilis factum inhæſit, madefaciens deligabis, ita vt initio deligaſti: ſin prius ſua ſponte deciderit, radicẽ vaſis digito blandè comprimes, quatenus videlicet nihil confluat, hoc quidem ſuſpenſa manu adimes, atq; nouum impone, ad huncq; modum quoad carne muniatur, vas curare debebis: vtiq; à principio ad finem particulam ſeruans ſupi

 nam.

nam. oportunum itaq; erit, vbi vel hoc vel aliud tale medicamentũ admoueris, aſsiſtentem quempiam alternis manibus id leuiter comprimere: alternis autẽ dixi, ne ſcilicet manu plus iuſto calefacta ſanguis quoque magis aduocaretur. quare etiam per æſtatem has ſæpius frigidiſsimæ aquæ immergere vtiliſsimum cenſeo. At verò iſtis medicaminibus niſi profuſio ſiſtatur, nihil intermittas quin te ad urentia medicamenta cruſtamq́; inducentia conuertas, ut potè quòd cum ſuperflua ſanguinis inanitione ſpiritus reſoluantur, vires deficiant, nec raro anima agatur: ſunt autem hæc quæ vna cum calore adſtringendi facultatem coniunctam habent. Sed alius rurſus metus ſubeſt, ne nimis valenter ibi retenta materia magnam inſtammationem poſtea moueat. Quæ res efficit, ut neq; rodentibus medicamentis, neque adurentibus & ob id ipſum inducentibus cruſtam, ſit utendum, quanuis pleraq; ex his ſanguinem ſupprimunt. Sed ſi ſemel ad ea decurritur, potius quæ mitius idem efficiunt, talia ſunt, miſy, calcithis, ſori, dyphriges, atq; calcanthum uel uſta, uel inuſta modo tamen lota ſint. Quod ſi illa quoq; profluuio vincuntur, venæ quæ ſanguinem fundunt apprehendendæ, circaq́ue id quod dictum eſt duobus locis deligandæ, intercidendæq́ue ſunt, vt & in ſe ipſæ coeant, & nihilominus ora præcluſa habeant. Vbi ne id quidem res patitur, poſſunt ferro candenti aduri, modo alia ratione ſanguis comprimi nequeat. Atqui quoniam tum ignis tum quæ cruſtam

fa-

faciunt, vbi ea decidit, magis nudam partem, quã pro ipsius naturali habitu derelinquunt: in his quisquis methodo administrare omnia volet, is modos omnes quibus sanguis supprimatur longè antea consideret, tum eum eligat, qui minori sit cum periculo, vtens non minus & reliquis omnibus, quoties necessitas vrgeat. Tutius autem sistentium sanguinem genus ego censeo, eoq́; vtendum suadeo, quod suo lentore meatus obstruit, quam quod crustam efficiat: cuius rei rationem ex Galeno tu ipse perpendere poteris. Si autem arterias sit, quæ sanguinem profundat, duorum alterum facias oportet, vel eam vinculo obstringas, vel totam omnino præscindas. Sanè vinculum magnis quoque venis iniÿcere interdum cogimur, interdum totas præcidere vtiq; transuersas: quippè ità retrahitur ex vtraq; parte pars vtraque, celaturq́;, ac integitur à superiacentibus corporibus vulnus. Tutius autem est vtrunq; facere, & vinculum vasis radici iniÿcere, & quod deinceps habetur præcidere. Moxq́; implendum carne vulnus ea ratione, qua superius dictum est. 5. methodi.

Curatio aduersus horum vulnerum inflammationem. Cap. XXVI.

ET aduersus profusionem quidem in his auxilium est. Aduersus inflammationem autem in ipso sanguinis cursu, ea timeri possunt, vbi læsum est vel os, vel neruus, vel cartilago, vel musculus: aut vbi

vbi parum ſanguinis pro modo vulneris fluxit, vt propterea quidem ſuperius euitandæ inflammationis nomine, à quibuſcunque recenter factis vulneribus, vel ipſo Galeno autore, ſanguinem fluere eſſe oportuniſsimum dictum ſit. Sed iam verò non quomodo hæc prohibeatur: verum qua ratione ſi facta fuerit, tollatur, dicamus. Ergo quoties quid tale erit, conſiderare vniuerſi corporis habitum expedit, atq; ſi ſangineus is exiſtat etiam ſi nõ amplius ad affectã sedẽ ſanguinis confluat, non ex vlcere ſolũ eum aduocare, patiq́; fluere tutum erit, ſed mitti ex brachio quoq; debebit, moxq́; inflammatæ ſedi emplaſtrum admouendũ eſt ex dulci malo granato, vino nigro auſtero incocto factum: vel aliud quod recipit maluam, violariam, & furfures aquæ vinoq́; incoctos: itaq; & vtile eſt oxicratum ſuperfundere: vel vnguentum de lithargirio, aut de ceruſſa, aut de ouis, quod album Pauli quidã appellant, oblinere. Quod ſi vna dolor affligat, emplaſtro ex pane lacte incocto, ouorumq́; vitellis & roſaceo, nec non croci pauxillo additis is leuetur: vel & roſacei ipſius profuſione, quandoquidem ſedando dolori longè magis eſt ſtudendum, quam vlcus ſordidum reddi ſit verendum. Quies autem & inedia plurimum iuuant. Quòd ſi tendo, vel neruus læſus videbitur, præcidendus erit, nam percuſſus mortiferus eſt, præciſus ſanitatẽ recipit. Sanguine aũt vel ſupreſſo ſi nimius erumpit, vel exhauſto, ſi per ſe parum fluxit, longè optimum eſt, vulnus, vt antea dicebamus glutinari.

Eryſi-

Erysipelatis vulneribus superuenientis curatio. Cap. XXVII.

Occupat & non rarò partes vulneratas, vel etiam vulnera ipsa, biliosa defluxio, Græcis erysipelas dicitur, sua quippè mobilitate excitata, & calore vlceris, aut dolore accersita: aduersus quam vel ne fiat, vel si facta sit vt tollatur enitendum est. Vbicunque igitur periculum fuerit ne ea superueniat, quod facilè vel ipso Galeno autore, præsagiri potest, quum ex aliqua nota eius principium deprehenditur: puta si vlceratus locus iam incalescat, vel doleat, aut colorem ex flauo rubicundum, seu aliam notam quantumuis exiguam præseferat, verendum est ne erysipela subsequatur, quam suspicionem augere potest, natura ægrotantis, ulceris habitus, tempus, anni, regio, & cætera eius generis: enitendum erit quod influit repellere, incipiẽtem ardorem coercere, siccareque id materiæ, quod iam receptum fuerit. Quod quidem præstabunt, quæcunque frigorifica virtute influentem materiam retundunt, repelluntq́;, aceruatam verò modicè mediocriterq́; calfacientium & humectantium beneficio dißipent, priusquam particula aut liuorem contrahat, aut certè nigrescat. Hoc enim per initia refrigerari desiderat, ac potißimum cum sine manifesta sit occasione: digeri verò & exiccari quando iam eius abierit feruor: illud præstant solanum, semperuiuum, portulaca, vmbilicus veneris, psyllium, alter-

Imminentis erysipelatis signa.

Aduenienti erysipelati q̃uo occurrẽdum

2. ad Glau.

altercum, lenticula paluſtris, intybum, cæratum ex aqua admodum gelida, tumq́ue ſi æſtas fuerit vuæ accerbæ ſuccus cum portulacæ, vel ſemperuiui ſucco vſui accommodabitur: quale autē omphacinum hoc eſſe oporteat, videas in noſtro de introducendis Græcorum medicaminibus licet. His adde mandragoræ ſuccum, meconium, opium, glaucium, lactucam, polygonon, alſine, atq; trifolium, ſed non omne, atque oxicraton. Pſyllij autem ſuccum, vbi ſolani ſuccus non adſit, commodè recipies, nempè ſecundi refrigerantium ordinis habetur, ſicut ſolanum: in deſsicando verò, & humectando medium

Arabū error

quodammodo eſt, & ſymmetrū: ne putes cum Arabibus corticem frigidum gradu quarto, medullam gradu quarto calidam. At verò uel adhuc fiat, uel iā factum ſit eryſipelas, horū nullum niſi poſt corporis purgationem admouebis: nam ante hanc tutum non eſt fluxionem ex ignobili parte intrò repellere, timendum enim eſt ne in princeps membrum feratur, ut propterea dixerit Hippocrates, Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora non eſt bonum, ab interioribus autem ad exteriora bonum. Atq; ideo cuicunq; vlceri ſuperueniat eryſipela purgare corpus conuenit ſeu deiectione, ſeu vomitu, pro vt vlceri præſtabit. Nunquid enim & ſanguis detrahendus ſit aliqui ambigunt, dicente Cornelio Celſo, vel etiam Auicenna, Oportet ſi vires patiuntur ſanguinem mittere. Conſideres autem tu antea operæpretium eſt, num iam eryſipelas ſuperuenerit, an ſo-

6 aphoriſ. aph. 25.

Hipp. de ulceribus.

lib. 5. cap. 26

Tertia quarti.

ſolum ſuperueniat ſit periculum: atque adhuc ſi ſuperuenerit, an ſimplex atq; exquiſitum, an mixtum & non ſimplex id exiſtat, vlceratum uel non, & an partes vlceri adiacentes ſolas aprehenderit, an vna quoque ulcus. Quod ſi cum ijs vlcus etiam teneatur, id purum ſit an ſordidum ſit videas opus eſt. Porrò imminente eryſipelatis periculo, ſi quid ipſum irritet, id omne ſubmouendum eſt; ſi interna ſit cauſa, purgandum eſt corpus cathartico bilim ducente: nunc enim eryſipelas aut eryſipelatis periculum proponitur, cuius cauſa eſt flaua bilis. Nec quidem hoc caſu tibi expectanda eſt materiæ concoctio: tenuis enim adeoq; ſubſtantia fluxilis eſt cholera ipſa ut quā facillimè moueatur, educaturq; Itaque ea educta, ſi quid adhuc ſupererit eius acuitatem ſyrupo de ſucco acetoſæ, de ſucco endiuiæ, ex aqua plantaginis, acetoſæ, roſaceæ, vel ſimilibus retundes: interim tamen refrigerantibus ipſis adſtringentia quoq; admiſcens: cuiuſmodi ſyrupus eſt roſatus, acetoſus, uel myrtinus: ita namque præterea quòd humoris huius qualitati acri oppugnaueris, eiuſdem quoq; fluxionem in patientem particulam inhibebis: his adde uictus rationem tenuiſsimam, interimq; frigidam eſſe iniungendam. Quod ſi iam defluxio partes ulceri proximas occupare inceperit, humoris ipſius curſus auertendo quam longiſsimè ab ea parte, ad quam confluit attrahendus eſt, idq; tunc maximè quum maximo impetu fertur: quare vlceris ſitu inſpecto facilè intelliges vomitu

ne an alui deiectione purgare hominem expediat. Quum plaga in superioribus partibus est, satius est, si humores non vltra profluunt, ad vomitum confugere: si vsque irrumpunt, solicitare aluum: è contrariò quum violantur partes inferiores, si humorum impetus cessauit, ducere aluum præstat: si manet, excitare vomitum. Atque tunc quidem sedem affectam refrigerare (refrigerari enim per initia erysipelas desiderat) succo plantaginis, solani, semperui ui, & similibus expedit, cauendum siquidem ab his succis maximè est, qui tametsi refrigerent, emolliendi quoque facultatem posident, cuius generis maluæ, lactucæ, violariæ atque similium succi sunt; hi etenim facilè ad suppurationem erysipelas ipsum perducerent. Itaque horum succorum aliquem aliquotíe admoturus, actu frigidos admouendos esse, donec scilicet vehemens ipsius ardor subsidat, scias oportet; tum & quæ subindè aduentitia qualitate frigida erysipelatosis affectibus succurrunt immutanda esse: maximè vbi exactum erysipelas atq; citrà phlegmonem fuerit: etenim hoc summè refrigera ri) semper enim ab æquali medicamentorum excessu, cõtrarius naturæ excessus abigendus est) deside rare iam dictum est. Proindè duo obserues summope re necessarium est, tum vt medicamenta cum incaluerint (aliàs etenim affectus augeretur) remoueas, eorumq; loco frigida denuo reponas: tum ne lintea his madentia supra partem laborantem siccari permittas, ne illa amoturus cutis sequatur, atque

Vomitus in ulcerib quibus excitandus, ĩ quibus que deiectio

Erysipelati actu frigida medicamẽta admouenda sunt

In erysipelate curando duo obseruãda.

que

que ita vlcus quod maximè verendum est, gignantur. Iam verò hæc omnia facias, si simplex & genuinum erysipelas sit, satis fuerit, si adiecero, quòd si exigua sit affectio, non vt in magnis quidẽ ventrem medicamento quod flauam bilem ducat, purgare sit necessum: sed abundè erit acri vti clystere, tum quòd ne sanguis quoq; ex uena in hisce necessario mittatur, ad hæc etiam quod cum iam huius feruor abierit, conferat scarificare, & cataplasma ex hordeacea farina calidum imponere, & ceratũ, aliudque simile medicamentum, quod digerendi uim obtineat. Quæ etiam erysipelati ex vlcere facto, vel similiter manifestas habenti causas, statim admota, præsertim loco antea scarificato, vsui accommodabunt. At verò si nothum, mixtumq; erysipelas existat, potißimumq; ex inflammatione, à uincente humore denominationem, & curationis quoque initium sortitur: superante enim sanguine bilim phlegmon erysipelatodes, superante autem bili sanguinem erysipelas phlegmonode, neutro vincente inflammatio, & erysipelas dicetur. Memor igitur eorum, quæ de curatione cum inflammationis, tum erysipelatis à me dicta sunt, his facilè curationem adhibebis. Ergo cum vterq; affectus calidus sit, & ex humorum defluxione fiat, vterq; & refrigerari, & euacuari communiter desiderabit: quoniam verò inflammatio quantitate, erysipelas qualitate magis premat, hoc magis refrigerari, & minus vacuari: illa contra magis vacuari, & minus refrigerari de-

be-

Eryſipelas & inflammatio quid differant.

bebit. Eryſipelas enim ſanguinis vacuationem, & quæ validè repellant, medicamenta reſpuit: refrigerantia verò maximè requirit: contra inflammatio totius corporis vacuationem, quæ permiſsionem ſanguinis fit, & quæ vehemẽter reprimant, medicamenta efflagitat. Cum igitur in hac miſtione affectus alter alterum ſuperat, ei quod magis vincit ſemper repugnandum. Cum verò neuter ſuperat, miſta quo ad fieri poteſt, curatio eſt adhibenda. Itaque conſtat & in quibus ſanguinem mittere vel non neceſſarium ſit, quoniam verò quam rariſsimè accidit ſimplex & purum fieri eryſipelas, plurimumq; inflammationi iungitur, ſi vires ferant, & à Celſo & à Principe dictum eſt in his ſanguinem mittere eſſe oportunum. Vbi uerò eryſipelate ulcus ipſum teneatur, an ſordidum, an purum id exiſtat in primis animaduertere oportet: ſi quidem ſi ulcus purum ſit, præſidia, quæ ad inflammationem dantur leuiora eſſe debent, cuiuſmodi lenticula eſt, quæ nec nimis calefacit, nec nimis refrigerat, vt quæ mediam naturam habeat, ſed ſiccat, & valenter adſtringit, quam Galenus aſſerit utiliter imponi vlceribus inflammatis, quum ob aſtringendi uim inflammationem coerceat, reprimatque, &, vbi neceſſe ſit, humorem inſidentem concoquat, & in pus conuertat: hæc autem, ut adhuc magis repellendi intendatur proprietas, vult Hippocr. vt ex vino inferueat, auſtero intellige: atq; ut olei quoq; miſceatur modicum, ut ex omnibus mixtura fiat quæ commodè

Cel. & Princeps cur in eryſipelate ſang. mittẽ. dixerit.

Cõmẽ. 5. in textum Epidimi.

De ulcerib.

modè illinatur, & possit etiam mollire. Neque oleum suspectum esse nobis debet, quum & modicum accipiatur, & ad vlcus detur quod iam parum est; tunc verò timendum esset vbi vel copiosè adhiberetur, vel vlcus sordidum esset: adde huic affectui dicatis medicaminibus semper quodpiam digerens, cuiusmodi oleum est oportunissimè permisceri, ne scilicet ex diuturniori frigidorum vsu halitus inhibeatur, atque durities quæpiam relinquatur. Si autem sordidum vlcus quod erysipelate laboret, extiterit, glasti folia conterens cum lino cruda imponito, aut cataplasma, quod linum habeat ex solani, vel glasti succo dilutum: quæ quum purgandi ac detergendi facultatem habeant, pertinere ad vlcera sordida magis quàm pura videntur: acria enim cum sint, illis dolorem afferent: his autem non æque, quoniam caro quæ sorde protegitur, medicamenti acrimoniam, sicut quæ pura est, non sentit, interponitur enim sordes inter carnem & medicamentum. Hæc autem tepida imponenda esse, & nullo modo frigida clarius est, quam vt à me, aut ab Hippocrate exponi debeat, qui vbi vlcus sit, caueri frigus voluit, quamuis alioquin erysipelæ saluberrimum foret. At verò erysipelas exulcerari si acciderit, vnguento de lithargirio, vel albis vnguentis cuiusmodi illud est quod de cerusa dicitur, & alterum de ouis, quod iam anteà dictum est album Pauli aliquibus esse appellatum curetur.

Oleum non semper ulcerib. suspectũ

Oleo qua ratione in ulcerib. utẽdũ.

Vulnerum horum in vlcera degenerantium curatio. Cap. XXVIII.

QVòd vulnera à tormentis bellicis facta malam prorsusq; veneficam qualitatẽ habeant, tametsi satis in superioribus ostensum sit, potißimũ tamen & hinc colligi potest, quod quæ aliter accidunt, nec sæpe adeo, nec tot infestentur periculis: at verò in his licet leuiter cõmittatur, sæuißima fiunt accidentia, herpetes, phagadenæ (quas Hippocrates νόμας *appellare solet) gangrænæ, syderationes & huiusce generis alia patiẽtibus quidem grauia, atq; Medicis non leuiter negotiosa. Igitur vbi vulnus aut corporis culpa, aut ægri, aut Medici errore ad vlcus conuersum sit, caussa, (vbi manifesta sit) omnino submouenda est: mox verò plus minusúe, pro humoris craßitie aut tenuitate potenti medicamento est opus. Recordare autem quod à nobis antea dictum est non omni naturæ eadem medicamenta conuenire, sed debiliori molliori q; molliora validiori validiora esse adhibenda. Neq; enim tolerat debilis natura potentiora. Quare quicunq; recta via medicandi procedet, vbi ægri naturam considerauit, statim dignoscit quo medicamento ulcus indiget. Quum autem medicamentum incarnans adhibuerit, & nihil profecerit, sic quodã modo ad aliud transire oportet. Nam si ampliores sordes fuerint, & humidius vlcus, nosse debet, quod medicamentum minus, quàm oportuit resiccauit: quapropter mel-*

mellis ammixtione vires eius intendet. Si verò purum & humiditatis exors vlcus compererit, plusquam debuit resiccauit: quare oleum ammiscebit, & ceratum liquidum admouebit. Atque quidem in his summa diligentia utendum est: contingit enim aliquando, vt à fortiore medicamento vlceris caro colliquetur, & sordidum ac humidum appareat vlcus, velut ea, quæ minus quàm oportuit sunt resiccata. Verum hoc à peritis facilè dignoscitur: vlcus .n. eliquatum cauius se ipso efficitur, & labia protuberantia habet, rubet, iam & inflammationem habet, & æger sæpe manifestò mordacitatem percipit. Alterum autem vlcus, quod minus resiccatum est, tale nihil consequens habet. Proindè vlcera, quæcunq; benigna fuerint, atque omnis malitiæ expertia tibi sarcoticis erunt medicanda: erunt aũt incarnantia hæc eligenda pro ratione, quod etiam anteà dictum est, complexionis particulæ affectæ: hinc alijs thus, alijs aloes satis fuerit, alijs rasinum appellatum vnguentum, alijs viride: si aũt hæc caua fuerint, lauanda prius vino erunt, mox verò thure, mirrha, sarcocolla, & iride inspergenda. Alia autem sexcenta medicamenta eodem modo miscere potes. Nunc enim satis esse existimo in singulis vnum aliquod tibi subscribere, futurum monumentum simul & exemplum eius, quæ in alijs est facultatis. Itaq; si in vlceribus caro ita supercreuerit, vt æqualitatem excedat, usui sunt medicamenta fortiter siccantia, quale est flos æris, testacea omnia vsta

alumen vstum, mysi, chalcitis, attramentum sutorium, vel medicamentum, quod etiam ad maligna vlcera facit, & carnes fungis similes cum melle repurgat, & cum cerato replet: quod recipit squamæ æris, calcis viuæ, mannæ, thuris æquales partes. Inter vnguenta idẽ præstant vnguentum, quod quoniam ex duodecim constat rebus Apostolorum vocatur, & Aegyptiũ. Illud aliquibus recipit ammoniaci drach. vnam. bdellij, olibani, aristolochiæ, sarcocollæ singulorum drach. v. mirrhæ, galbani vtriusq; drach. iiij. spumæ argenti drac. quindecim, aloes, opopanacis, vniuscuiusq; drach. duas, floris æris drach. tres, rasinæ drach. quatuor, ceræ albæ drac. duas, olei communis quod sat sit. Alijs autem recipit lithargyrij vncias vigintiquinque, ammoniaci vncias nouem, colophoniæ vncias sexdecim, æruginis, galbani vtriusq; vncias duas, bdelij, opopanacis singulorum vncias tres, aristolo. longæ vel etiam rotundæ, thuris masculi singulorum vnc. sex, mirrhæ vncias quatuor, ceræ, olei, singulorum libras duas. Cuius usus nisi profecerit, ægyptiaco erit vtendum, vel alio potentius erodente quopiam, cuiusmodi calchantum est, vel vstum, vel non vstum: in quorum omnium vsu, tibi semper memoriæ esto, adiacentes particulas frigidis medicaminibus esse communiendas. Quòd si ex fluente aliunde materia hoc accidere conijcias, corporis habitum inspicias oportet, vbiq; humores redundare cognoueris (πλη τοραμ Græci vocant) eos euacuato: sin verò male affe-

affectos eosdem esse videris (καχεχία dicitur) illos purgato, sedemque affectam, ne facilè hos recipiat roborato : atq; membra affecta maximè quietem exposcere perpetuo memento. Vbi autem maligno occurreris vlceri, scalpello, vel etiam ignito ad optimam vsq; carnem te incidere volo, posteaque eschara casui studeto, mox vnguẽto de minio ex se, vel ex tutia mixto absolutam consolidationem vsq; assequere. Subnigro autem, aut viridi, aut fusco existente ulcere illud scarificato, lixiuioq; sal habente, quo magis sanguis aduocetur, lauato: ac tandẽ candenti ferro, aut vrente medicamento vrito. Quod idem in vlceribus putridis, cognoscuntur enim hæc ex virus qualitate, facito. Iam uerò ad gangrænam vlcere conuerso, quicquid superficietenus denigratum videris abradito, atq; etiam optimam carnem altius scarificato: si ne ita quidem sistatur, ac ad syderationem, quam Græci σφάκελον nominant, & sensus ac motus integra est deperditio transitum fecerit (id autem cognoscitur vbi membrum acu transfixum nihil sentiat) illicò membrum rescindito, putridumq; abijcito. Atq, ut hæc quidem fiunt nec rarò à principio, ita etiam breui, adhibita diligentia sanantur. Sunt verò quædã, quæ diuturniora sunt, neq; cicatricem admittunt: sunt & alia quæ post obductam cicatricem rursus rumpuntur. Hæc circum glabra fiunt, & squamulas è summa parte dimittunt, nam qui ita afficiuntur, prauos ad partem confluentes humores habent, qui vlcus erodunt, neque Sexto apho. aph. 4.

enim radices pilorum possunt corrumpere, loca autem vlcerata permittere ad cicatricem peruenire. Illa post receptam cicatricem non multo tempore interposito inflammantur ac refringuntur: in qua re videtur experientia rationi adstipulari, fit enim hoc talem aliquam ob causam. Quando ex adhibitis medicamentis caro, quæ oßi superiacet patienti, exsiccata contraxerit cicatricem, statim quidem integra sanitas restituta videtur. Rursus verò paulatim aliqua influente sanie ex osse corrupto, in parte penitiore iterum aduenit inflammatio, & puris generatio consequitur, à quo cicatrix eroditur caro vero exulceratur. Atq; ideo illorum ulcerum, quæ ob malorum atque corruptorum humorum influxum cicatricem non admittunt, sanatio ab illorum purgatione erit petenda; horum verò quæ oßis corrupti nomine reuiuiscunt, hactenus curatio instituenda est, quatenus squama affecti oßis excidat: dicente ob id Hippocrate, Vlcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora os abscedere est necessarium, & cicatrices cauas fieri facilè verò excident oßium squamæ si papaueris syluestris, & fici folia cum vino & polenta imposueris, aut hyoscyami & atramenti sutorij pares portiones adhibueris: sed & peucedani radix trita citißimè oßium squamas disparat. Item & medicamentum siccum quod ad chyronia & cicatricem respuentia vlcera myrificum, recipit squamæ æris, thuris singulorum sextantem, quod est vncias duas, aluminis, salis

Apho. 6. com. 45.

Sexta part. aph. aphorismo. 45.

salis ammoniaci, singulorum trientem, vel vncias quatuor, malicorij, cerussæ, singulorum vnciam vnam: vtere sicco, vel si malueris cum cerato, aut simile aliud quodpiam admoueto. Repurgato autem iam vlcere tum itaque carne pleno, cicatricem vt obducas tibi studendum est: id præstat ceratum ex lithargiro, emplastrum è cadmia, tum itaq; phænicinum, dyapalma vulgo dictum, facit & emplastrum candidũ, præsertim ad corpora tenera velut sunt mulierum & puerorum, quod conuenit etiam vlceribus spontaneis: & habet, spumæ argenei libram vnam & trientem, cerussæ libram vnam, cæræ libram vnam & trientem, thuris & mannæ eius singulorum quincuncem vel vncias quinque, terebinthinæ vnciam vnam, aquæ libram vnam, olei myrtei libras duas, cerussam & argenti spumam in aqua coquito, & consumpta aqua, ac medicamento non amplius inquinante, ceram primum, deindè resinam addito, & ablato ab igne pharmaco thus, ac mannam, siue polinem eius ammisceto.

Curandorum sinuum, & fistularum ratio. *Cap. XXIX.*

SI autẽ subiectæ carni coalescere cutis nequeat: quod accidit cum diuturnius sanies retenta se se in cuniculos insinuans glutinationem difficilem reddit, sinus efficitur, cuius curandi ratio, humidius .n. admodum est, valenter siccantia requirit. Itaq; non Sinus quid 2. ad Glauc.

omnis ſinus ſimplex diuiſio eſt, ſed frequenter alia atque alia parte laceratus eſt, tum etiam alius ſurſum, deorſum alius, in hancq; aut illam partem tendit. At verò ſiue ſimplex ſiue duplex is ſit, ſiue magnus ſiue paruus, ſiue breuis ſiue altus eadem ſemper eſt curandi ratio ſolumq; in ratione maioris & minoris differunt. Hanc autem, ſinuum poſitionis figura præcipuè variat: etenim qui ſurſum tendit, facilè per eius os ſanies effluit: cum verò deorſum vergit, intus retenta contiguas partes erodit. In quo quidem ſinu, niſi prius facto ad effluxionem vulnere, nihil profeceris, ſiue carnem generare ſiue glutinare velis. In alio verò inciſione nihil erit opus: modo ſitum commodum affectæ parti ſerues: quo quidem ſinus qui ſurſum vergit, vt deorſum declinet: & qui deorſum declinat ſurſum vergat, efficere poſſis: molliri enim humoris effluxum oportet: quod fit vel vulnere tantum in imo facto, vel tota cauitate omnino diſſecta. In imo fit ſectio, ſi vlcus magnum fuerit, & locus totus ſine periculo aperiri non poſſit. Cum verò ad latus declinat, aut deorſum vergit, aut intro fertur, ſed ita locari pars afflicta poteſt, vt libere ſanies è ſinu effluere queat, inciſione ex aduerſo facta opus non eſt. Nam eiuſmodi ſinus, atque aliorum maiorum totam profunditatem ad glutinationem aptam reddere poteſt iniecta mulſa. At verò, qui ſecandi ſunt ſinus, antea ſpecillo plumbeo, aut candela tentandi ſunt, ſimplices ne, an duplices, vel etiam multiplices ſint, an breues,

an alte penetrantes, an iuxta carnem desinentes, an ad ossa vel cartilaginem subeuntes, rectè an tortuosè procedentes. Quandoquidem in multiplicibus considerandum est, num vna sat sit futura incisio, an duplex sit mollienda. Qui verò breues & iuxta carnē desinentes omnino & sine periculo secundum sui vniuersam cauitatem secandi sunt: alti autem & ad ossa cartilaginesq́; terminati non æquè, adhucq́; tortuosi, rectis diligentius pertractandi sunt. Vbi tamen nihil impediat, præstat totā eorū cauitatem dissecare. Proindè omnia sinuosa vlcera modo aqua mulsa, modo uino, modo uino mulso, modo aceto mulso eluenda sunt. Ad extergendam .n. saniem aqua mulsa præstat. Ad repurgandū verò & roborandū vinum mulsum confert. Ad glutinationem vinum. Ad cruentum ac graue olentem humorem acetum mulsum. At qui horum curandorum totam rationem petas ab ipso Galeno operæpretium erit, à quo doceberis quidem sordidos sinus antea abstergentibus medicamentis, quam vel glutinentur, uel carne repleantur esse purgandos: vt autem aduertas tu oportet, si vnà fuerit inflammatio, non anteà his esse vtendum, quam ipsa sedata fuerit. Vtimur autem nos maximè ægiptio vnguento ex lixiuio sinubus lauandis mundificandisque: adhæc postea cum debita positione, tum penicillis fasciationibusque eorum coalitum procuramus: nil tamen quod & anteà dictum est, modo id facere nihil prohibeat, præstantius est, quam eos totos aperire: ita enim apertos,

tos, cum minus saniosa colluuies infestet, natura fermè sponte replet, curat, atque sanat. Quæ nam verò huic perficiundo negotio sint commoda instrumēta, te Medica officina nostra docebit. Quòd si aliqua causa sinus incumbentem cutim tenuem velut detritum vestimētum reddi accidat (quod Græci ῥακώδες dicunt) nos verò detrita vlcera commodè appellamus, quæ difficulter coalescunt, ac glutinantur, & præsertim siquis compage siccum medicamentum imponat, ab his enim magis adhuc cutis deteretur, & exarescet velut pelles attritæ. Ad hæc igitur glutinanda vtendum erit medicamento, compage quidem liquido, facultate verò sicco. Quale est phœnicinum emplastrum Galeni, quod nos ad huiusmodi affectiones præstare cognouimus, si ita paratum fuerit, vt neque valde durum sit, neque adhuc inquinare desiuerit, ita enim præparatum & cruēta vulnera glutinat, & omnibus vlceribus cicatricem inducit. Ad sinus autem detritos efficacißimum est, quod tenerum est, & compagem mollem habet, & cum oleo veteri ac vino mediocriter vetusto maceratum est. Nam sicut duritiem ad hos vsus improbamus: ita molliciem fluidam reijcimus. Liquidum enim calido corpori incumbēs diffluit & linteolum siccum relinquit: quod non solum nihil prodest, sed etiam glutinandæ cuti maximè obest. Conuenit item atritæ vestium instar, vt comprehensum est, cuti potißimum mel, quoad emplastri spißitudinem habeat coctum, impositumque. Præstiterit autem post illitionem

tionem lacero in ſinu factam mirrham, vel aloen, vel thus probè trita, ſeorſim ſingula, vel ſimul omnia inſpergere. Expertum quoque & centaurium tenue mirandum pharmacum ad hos vſus eſt. Succedit huic ſymphytum, & plantaginis folia cum radicibus ſiccata: conuenit & rumicis radix, vitis alba, iris, dictamum, ſaluia, polium, ſabina, cupreßi folia, ſalicis ſuccus, & iu teneris carnibus erui farina. Quæ omnia prius tundenda ac cribranda ſunt, & ex eis tunc melli ammiſcendum eſt, quum coctum ab igne aufertur, ita vt probè cum eis agitatum mel donec tepidum fiat, imponatur linteo inductum. At verò quoniam ex abſceßibus fiſtula naſcitur, de fiſtulis quoque aliquid (nam omnia quæ tum ad harum, tum cæterorum omnium affectuum curationem ſpectant, in alio libro huic rei propriè dicato expoſituri ſumus) dicendum eſt. Appellantur igitur fiſtulæ per tranſlationem à fiſtulis arundinum, aut ex alia materia confectis. Eſt enim fiſtula vlcus altum, anguſtum, & calloſum, interdum etiam & ſine callo. 2. ad Glauc. *Cuius curandi ratio talis eſt. Imprimis quia ſordidum eſt, lixiuium immittatur, tantiſperque ſinatur, donec repurgata fiſtula ſit: deinde medicamentum quod exſiccet indatur cuiuſmodi Galeni medicamentum eſt, quod à fuluo colore cirrhum dicitur:* 2. de comp. med. per genera. *exſiccat enim vehementer ſine morſu. Si verò calloſum ſit vlcus, haud ità facilè curationem admittet. præſertim ſi aduſque oſſa perueniat. Non enim ante curatio ſperanda eſt, quam callus exemptus ſit. Eximitur*

mitur autem aut ſcalpello, aut medicamento. Expeditius quidem in ore vlceris exciditur, intus medicamento exeditur. Exeſt autem calchantum, æru go, calx, alumen, miſy, calcithis, auripigmentum, ſpondilij itaque radix feruefacta impoſitaque callos eximit: item veratrum nigrum duobus, tribuſue diebus inſertum, ad hæc amurca cocta & in collu ſionem adhibita. Sed vt hæc maximi effectus ſunt, ſi cui iſta non adſunt, facilè tamen eſt callum quibus libet adurentibus medicamentis prodere, aut quibus hæc maximè in effectu ſunt erodere. Satiusq; eſt vel papyrum intortam, vel aliquid ex penicillo in modum collyrij aſtrictum eo illinere. Scilla quoq; cocta & miſta cum calce, callum exeſt. Si quando verò (ait Corne. Celſus, qui de fiſtularum ſignis, differentijſque egregie diſſerit) longior & tranſuerſa fiſtula eſt, demiſſo ſpecillo contra principium huius incidi, commodiſsimum eſt, & collyrium vtrinque demitti. At ſi duplicem eſſe fiſtulam, aut multiplicem exiſtimamus, ſic tamen vt breuis, intraq; carnem ſit, collyrio vti non debemus, quòd vnam partem curet, reliquas omittat: ſed eadem medicamenta arida in calamum ſcriptorium conijcienda ſunt, iſque ori fiſtulæ aptandus, inſpirandumque, vt ea medicamenta intus compellantur, aut eadem ex vino, vel ſi ſordidior fiſtula eſt, ex mulſo: ſi calloſior, ex aceto liquanda ſunt, atque intus infundendum, quicquid inditum eſt. Superponenda verò ſunt, quæ refrigerent, & reprimant. Nam ferè quæ circa fiſtu-

fistulam sunt habent aliquid inflammationis. Neq; alienum est, vbi quis resoluerit, antequã rursus alia medicamenta coniiciat, per oricularium clysterem fistulam eluere. Si plus puris fertur, vino: si callus durior est, aceto: si iam purgatur, mulso, vel aqua, in qua eruum coctum sit, sic vt huic quoque mellis paulum adiiciatur. Ferè verò fit, vt ea tunica, quæ inter foramen & integram carnem est, victa medicamentis tota excat, infraq; vlcus purum sit. Quod vbi cõtigit, imponenda glutinãtia sunt, præcipueq; spongia melle cocto illita. Neq; ignoro multis placuisse, linamentum in modum collyrii compositum, tinctum melle demitti: sed celerius id glutinatur, quam impletur. Neq; verendum est, ne purum corpus puro corpori iunctum, non coeat adiectis quoq; medicamentis ad id efficacius: cum sæpe exulceratio digitorum, nisi magna cura prospeximus, sanescendo in vnum eos coniungat.

Ossa vitiata & corrupta quibus signis cognoscantur, & qua ratione curentur ex Cor. Celso. Cap. XXX.

QVomodo fracta ossa, vna cũ vulnere tractanda sint anteà satis expositum est. Nunc autem, quoniam eadem tractu temporis, non raró aliqua caussa alterantur corrumpunturque, non esse inutile indicauimus, notas, & signa, quibus id deprehendatur, tum itaque horum incommodis occurendi ra-

rationem adſcribere: omnibus interim ex Cornelio deſſumptis: qui diſſertè quidem, & diligentiſsimè hanc partem tractauit. Os igitur quod vitiatum eſt, primo ferè pingue fit, deinde vel nigrum, vel cariosum. Quæ ſupernatis grauibus vlceribus, aut fiſtulis, hisque vel longa vetuſtate, vel etiam cancro, vel gangræna occupatis eueniunt. Oportet ante omnia os nudare vlcere exciſo: & ſi latius eius vitium eſt, quam vlcus fuit, carnem ſubſecare, donec integrum os vndiq; pateat: tum id quod pingue eſt, ſemel iterumúe ſatis eſt admoto ferramento adurere, vt ex eo ſtatu ſecedat: aut eradere donec iam aliquid cruoris oſtendatur, quæ integrioris nota eſt. Nam neceſſe eſt aridum ſit, id quod vitiatum eſt. Idem in cartilagine quoque læſa faciendum eſt: ſiquidem ea quoque ſcalpello radenda eſt, donec integrum id ſit, quod relinquatur. Deinde ſi vel os, ſiue cartilago raſa eſt, nitro bene trito reſpergendum eſt. Neque alia facienda ſunt vbi caries, nigritiesúe in ſummo oſſe eſt. Siquidem id vel paulo diutius eodem ferramento adurendum vel radendum eſt. Qui radit hæc, audacter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturius deſinat. Finis eſt, cum vel ad album os, vel ad ſolidum ventum eſt. Albo finiri ex nigritie vitium, ſoliditate quadam ex carie manifeſtū eſt. Accedere etiam cruoris aliquid integro, ſupra dictum eſt. Si quando autem altius deſcenderit, vtrum libet dubium eſt. In carie quidem expedita cognitio eſt. Specillum tenuè in for-

foramen demittitur, quod magis minusúe intrando, vel in summo cariem esse, vel altius descendisse testatur. Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore & ex febre. Quæ vbi mediocria sint, illa alte descendisse non potest. Manifestior tamen adacta terebra fit. Nam finis vitij est, vbi scobis nigra desiit. Igitur si caries alte descendit, per terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat: simul enim post hæc & resoluetur ab inferiore osse, quodcunque vitiatum est, & is sinus carne replebitur, & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem oßis transit, oportet excidi. Atque idem in carie quoque ad alteram partem oßis penetrante fieri potest. Sed quod totum vitiatum, totum eximendum est. Si inferior pars integra est, eatenus quod corruptum est, excidi debet. Item siue capitis, siue pectoris os, siue costa cariosa est, inutilis vitio est, & excidendi neceßitas est. Neque audiendi sunt, qui osse nudato, diem tertium expectant, vt tunc excidant: ante inflammationem enim tutius omnia tractantur. Itaque quantum fieri potest, eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum, & omni vitio liberandum est. Longeque perniciocißimum est, quod in osse pectoris est: quia vix etiamsi receßit, curatio veram sanitatem reddit. Itaque osse vitiato eiecto, cætera

po-

postea sic facienda, vt in vulneribus, antea præceptum est. Iam vero sint hæc satis cuicunq; hæc vulnera curare, vel de his disserere cupienti. Atque si plura alicui à nobis in hac re præterita, vel leuius quam oporteret methodum curatiuam præscribenti animaduersa, sciat is non hoc nos nomine librum istum conscripsisse: sed exquirēdi causa potißimum vulnerum horum rationem & naturam. Aliàs autem, quæ obiter nunc ad curationem spectantia adscripsimus, ex profeßo exactius, diligentius, absolutiusque pertractaturi.

FINIS.

Ca-

CAPITA HVIVS LIBRI.



EXCELLENTISS. HEROI
D. GARTIAE DE TOLETO
IN REGNO NEAPOLIT.
Hiſpanorum Duci.

ALPHONSVS FERRVS
S. P. D.





VM ea ſemper fuerit litterarum dignitas, & quaſi prærogatiua vt Princeps honeſtum, glorioſumq; rati fuerint, quodcunq; earum genus ſit (modo non obſcœnum) ſibi dedicari, probanda eſt profectò eorum ſententia, quorum ſcripta in virorum illuſtrium nomine apparuerunt. Fieri enim poſſe hoc pacto credidere, & vt ad ſuorum ſtudiorum opera lectores qui nihil niſi elaboratum ingenio, ac omni ex parte abſolutum ſupremæ fortunę hominibus mitti exiſtimauerit, libentius allicerent. Et præclara illorum auctoritate freti acres inuidiæ morſus & venenatas obtrectatorum linguas minus extimeſcerent. Vtrumq; me conſecutum putauero, ſi te auſpice; quem non minus ipſe inter heroes ſuſpicio quam generis claritas, promptisſimũ ingenium, maximus rerum vſus, admirabilis prudentia, inſignis gloria, & incredibilis rei militaris peritia te conſpicuum reddat: lucubrationes haſce meas memoriæ prodiderim. Opus (niſi longe fallor) non inutile & tibi (vt ſpero) non iniucundum. Quippe,

qui & bonas artes foues, & militū saluti, quibus pręcipue labores hos nostros vsui fore, animaduertes, diligenter consulis. Poterit uel ex eo abs te probari, quod ex infinito penè artis medicæ professorum numero vix quispiam hactenus hanc materiam attigerit. Exposcebat porrò insuetum teli genus nouum curandi modum, exquisitamq; medendi rationem. Quapropter nihil hic mihi subticendum esse statui, quod aut longa experientia coniicere, aut flagranti studio consequi, ipse ualuissem. Et quia potius aliis prodesse studui, quam gloriolę rationem habendam esse censui, uolui quęcunque perniciosi huiusmodi fulminis ictu percussis conducere arbitrarer, quanto fieri posset breuius, perstringere. Ego, & si huic rei summum studium adhibui, non deerunt tamen uel qui fortasse adhuc sagacius indagent, vel qui materiam latius pertractent, nec ideo minus pręclare mecum actum iri putauero. Videbor.n.cum primus ausus fuerim glaciem frangere, etiam ex posterorum scriptis gloriæ partem iure meo quodam modo mihi vendicare posse. Tu interim lęta frōte cape qualecunq; est munus. Dei uero optimi maximi exemplo nō id ipsum, quod quidem rei estimatione paruum est, sed amoris mei erga te magnitudine, & animi propensione metiaris velim, bene Vale.


AL-

ALPHONSI FERII NEAPOLITANI,


ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS.

De Sclopetorum, siue Archibusorum vulneribus.

Liber Primvs.



PROOEMIVM.



Vlnervm, quæ sclopetis, siue archibusis inferuntur, nulli veterum meminisse potuere; quando hoc malum recens est inuentum. Recentiores verò Medici, quibus id curæ esse debuit; insueti fortasse vulneris atrocitate deterriti, vel ex toto rem silentio præterierunt, vel certe admodũ pauca, atq; ea à vera medendi ratione aberrantia, pace eorum dixerim, attigerunt. Ab exiccantibus enim, & sanguinem supprimentibus curationis suæ initium accipiunt: nulla habita ratione morborum inter se distantium, atq; eorum quæ illis sunt innexa. Quam ob rem nos, vt saluti hominum pro virili parte nostra consulamus, ac chirurgicæ medicinæ studiosos, quantum in nobis est, iuuemus, non ab re fore duxi-

mus, hasce nostras lucubrationes in lucem proferre, quæ sunt diuisæ in libellos treis. In quorum primo, de ea ipsa re, medica, ac diligenti speculatione, nec non validißimis, nisi fallor, rationibus disputamus. In altero, curationes, & remedia, quæ multo studio, summa diligentia, longoq́; vsu, & domi & belli vera esse cognouimus, proposuimus. In tertia, atq; extremo, de interioribus vulneribus studiose præcipimus. Quæ, si diligentius, vti par est, Medici fuerint executi, & ægrotantiũ sanitati rectè prospexerint, & sibi ipsi laudẽ non mediocrem comparabũt.

Quid sit vulnus per Sclopetum, siue Archibusum illatum. Cap. I.

VVlnus sclopeto, siue archibuso factum multiplex est morbi genus, multiplexq́ue continui solutio, non carens veneno. Multiplex morbi genus esse propterea dicitur, quod in eo vulnere adustio, contusio, attritio, fractura, venenum est: Quorum quilibet per se genus morbi efficit, atq; in suas species diducitur.

Quid per adustionem hoc genere vulneris sit intelligendum. Cap. II.

ADustio in hoc genere vulneris solutio continui est, facta ab instrumento igne calefacto afferente dolores, punctiones, pustulas, crustas, caliditatem,

tatem, attractionem in id membrum in quo fit: quæ in suas species diuiditur pro diuersitate membrorum in quibus fieri contingit, vt puta, si membrum neruosum sit, exangue, osseum, carnosum, nobile, vel ignobile. Ac tales quidem adustiones, seu debiles sint, seu vehementiores, cum membri particulam suaptè natura destruant, quartum caliditatis gradum attingere videntur. Quamobrem; vt Rasis inquit, exasperatur vehementer adustionis locus, ita vt eo profluant humores, qui, quoniam ab adustis crusta prohibentur, ne dissolui poßint, membrum corruptioni, & putrefactioni parant. Lib.27. cōt. cap.3. trac.2

Quæ sit membri adusti curatio. Cap. III.

HOc autem morbi genus curatur ab Auic. duplici ratione, vna adusti mēbri pustulas prohibente refrigerantibus medicamētis, & illis quidem non mordicantibus: altera verò adustam particulam detergentibus corrigente, cum exiccatione quadam temperata sine mordicatione. Verum quia in hoc vulneris genere, atque hac adustionis specie, quæ artificiali puluere fit, partes aliæ vulnerati membri sunt actu, aliæ non actu, sed potentia adustæ, & male affectæ, propterea medicamenta mixta esse debent vti moderata refrigeratione pustulas prohibeant, tum desiccantibus, ac modicè calefacientibus, detergentibusq; adustionis curationem

perficiamus, quo partes affectæ non minus corrigantur, quàm adustæ curentur. Ratio autem, quamobrem calidum, ac detergens medicamentum conueniat, ab Arist. aßignatur, quoniam illud ab igne colliquatum absumit, exiccatq́; atque ita sanat. Calidũ etenim, vt ille ipse docet, est quod eliquando ambusta facit, exiccando tollit.

1. prob. problemate 56.

Sclopeti, vel Archibusi puluerem venenosum esse, & in quo genere veneni reponatur. Cap. IIII.

Dicitur præterea huiuscemodi vulnus non carere veneno, quod per puluerem venenosum, seu virulentum globulũ est illatum: quòd ita esse ex eius compositione ostẽditur. Constat. n. vt fieri consueuit, vel ex nitri partibus decem, & una sulphuris: vel ex sulphuris partibus duabus, ac totidẽ colurni carbonis, vel saligni. Sulphur autem, vt Auic. asserit, calidum, et siccum est ad quartum gradum cũ attractione, atq; attenuatione. Nitrũ vero, quod bauracti armenum ab eodẽ dicitur, calidum, & siccum est in fine secundi, ad tertiũ tamen eius siccitate vergente, quod quidẽ vehementer abstergit, excoriat, incidit, quãuis cũ axungia suilla superpositũ canis morsui remedio sit salutari. Corylus aũt frigidæ, et siccæ naturæ est gradu primo: licet eius fructus paululum inclinet ac caliditatẽ. At salici frigida, & sicca vis est, cum moderata (ut ita loquar) stipticitate, cinis autem

2. Cano.

Can. 2. cap. 88.

Auic. 2. can. cap. 43.

autē eius vehementer exiccat. E quibus constat puluerem quartū caliditatis gradum obtinere: propter eorū vim ex quibus cōficitur: atq; eo (ut diximus) venenatum esse. Argumēto etiā sunt eius artifices, qui confectionis, siue præparationis tēpore ab acribus abstinent: vt sunt allia, ut cepe, vt acetum, ac cætera generis eiusdem. Experimento etenim, & si causam ignorent, ea sibi obesse cognouerunt. Aperiendi.n.uis & incidendi, tum prædictorū ciborum acrimonia efficit, ut pulueris malignitas ad cordis intima, & mēbrorum principalium penetret. Quāobrem commonet eos Auic. quibus à veneno timendum est, ut ab acribus cibarijs, salsis, acutis, aromaticisq; abstineant. Talia.n. veneni saporem, & occultant, & frangunt penetrareq; cogunt. Sed cum ipsi artifices fateantur se, tum cribrando, tum conterendo, non nihil pulueris haurire; deglutireque, nemini dubium est, si alijs cibis vtantur, illum non modo eos non vexare, sed ne molestare quidem. Causa est, quòd ad uenas non tendit, vel eis non officit venenata vis, vt potè qui huiuscemodi veneno assueuerint. Ex frequentatis.n. actibus talis prouenit habitus, ut quod in puluere ueneni est, ijs obesse nō possit, quando ab assuetis, ut Philosophi perhibent, neque actio, neque passio fiat, quod et probat Gale. de muliere quæ fuerat napello, vt vulgo appellant, nutrita, verum enimuero in quo veneni genere puluis istiusmodi reponendus sit, rem altius aliquanto repetentes iam iam ostendemus. Venenorum itaq; (ut petitio-

Fen. 6. cap. 2. 4.

Simp. 3. cap. 17.

petiores nouere alia ſunt intrinſecus aſſumpta) quæ vel in cibo, vel in potu, vel in medicamentis præbentur, procul dubio pernitioſa ſunt, de quibus quidem auctores non pauci, tum ad eorum cognoſcendam vim, tum etiam ad curationem plurima tradiderũt. Alia, quæ extrinſecus lædant, vt baſiliſci, vt aſpidis, vt viperæ, è quibus vnus viſu, ſibiloq́ue, altera ſaliua; tertia morſu hominem occidit, de quibus plura dicere in præſenti omittimus, cum ad inſtitutum hoc opus haud quaquam pertineant. Eſt & aliud venenorum genus, quò noſter potiſsimum ſermo dirigitur, quod tactu vulnerando perimit, vt ſunt omnia armorum genera; aliter, aliterq́ue venenata, quæ ſolutionem extrinſecus faciunt, cum manifeſta,
64. cap. 22. tum occulta vi, vt recitat Auic. de milite, qui ex lanceæ contactu: qua ſerpentem occiderat, mortem obijt, cuius primum manus, deinde vniuerſum corpus emortuum eſt, quod quidem an latenti, ac propria quadam virtute, an euidenti cauſa factum ſit, cum veneni ſit proprium altero ex his duobus modis nocere, manifeſtum eſt venenatam vim per po-
6 4. tract. 1. cap. 2. ros ad interiores meatus, & venas, arteriasq́ue, & tendines penetrare, per quas quidem, ceu per quoſdam riuulos ad nobiliora membra defertur, aliud poſt aliud inficiendo, ab eaq́ue parte ſumpto initio quæ primo contactu læſa eſt, donec ad ipſum cor, vti ad membrorum omnium nobiliſsimum peruenerit, cuius quidem rei cauſa arteriæ ſunt, vt pote quæ ſua dilatatione ſemper attrahant quicquid eis offeratur.

ratur. Cuiusq́ue autem veneni proprium est petere cor: quanuis perexiguas vires habeat, quoniam præ ceteris membris cordi aduersatur, tum illud festinanter appetens quicquid inuenit, destruit, tum sanguinem, tum spiritum inficit. Multa itaque magis, si magna vis veneni sit, vehementer agit, extenditurq́ue ad extrema, inde ad cor, miro quodam artificio. Spiritus enim sentiens veneni aduersantem vim, ad cor, tanquam ad suum principiū, arcemq́; contrahitur, verum, quo magis vitalis spiritus in præcordijs coartatur, suum contrarium fugiens, eo magis illum venenum persequitur. Quapropter ea membra, quæ per transitum facit, priuantur spiritu, & calore quibus reguntur. Quod quidem fit, quoniam agens omni patienti suo præstantius est. Venenum enim in corpore & membro, cui adhæserit, agens est, corpus vel membrum, patiens. Hinc fit vt membri humiditas corrumpatur, putrescat, atque extinguatur paßim animalis, & naturalis virtus: cum ad cerebrum perturbandum, & ad iecur peruenit venenata uis; à quibus in omnia corporis membra diffundatur. Quoniam autem vitalis, naturalis, atque animalis spiritus veneni malignitate vitiati sunt, & distribuēdi ad omnia membra, ad suas exercendas actiones; facile est, vt ea omnia ab his inficiantur. Sed nunquid pulueris venenata vis loca quædam propria habeat, ac specialia, quæ post cordis læsionem offendat, vt de lepore marino traditur; cuius veneno vbi cor læsum est, suaptè natura pulmo-

monem petit? et de cantharidibus, quæ, ut idem læserunt, vrinæ instrumenta magnopere infestant? Mihi quidem videtur, non eam esse huius pulueris proprietatem, quæ ubi cor inuaserit, membra vlla specialiter lædat, sed indifferenter cuncta. Cum.n. calidæ naturæ sit, quarto gradu, ut ex simplicibus colligitur è quibus fit: & cum proprium calidi ueneni sit celeriter agere, ideo calidum uenenum, modo sint cætera paria, citiusq; frigidum, vel humidum, uel siccum contendit ad cor, quam caliditatem mirabilem vocat Auerroes, nec ab re quidem: quoniam quanquam uenenum exiguum sit, breui tamen interuallo temporis mirabilem producit effectum mortificandi scilicet, atq; interficiendi, tum quia id, et si calidum sit, difficilis tamen concoctionis est, ac diutius moratur venenata eius uis, ita ut celerius penetret, occisionem, quàm nutritionem præueniens. Is autem puluis non ab re venenosus dici potest, propter eius facultates, quæ cum proprietate, & natura mixti coniunguntur. Substantia. n. eius tenuis, & velocitas maiorẽ illi addit penetrationem, uehementioremq;. Augetur ẽt à motu qui maioris caliditatis causa ẽ. Ignẽ.n. igni si addas, furere illum necesse est. Extrinsecũ itaq; id instrumenti artificium velocitatẽ quandam, et subtilitatẽ, penetrationemq; auget in mixto. E quibus sanè constat puluerem huiuscemodi non carere ueneno, tam ex natura simplicium, quàm artificij, addentis calcar (ut dicitur) equo currenti. Venenatum itaque medicamentum hoc calidum habitum

bitum

bitum malum induxerit principalibus membris, & illi, quod læsum est, putrefactionem, mordicationem, rosionem, ulcerationem, corruptionemque parabit. Quæ quidem omnia calidi ueneni propria sunt. Impressiones autem hæ siue accidentia maiora, uel minora sunt, intensa uel remissa pro dispositione agentis in patiens: agens enim cum peruenit (ut scribit Auicenna) nec patienti est præparatio, non prouenit actio, neque passio, quod, & Gale. sentire videtur. Actus enim (inquit) actiuorum fiunt in patiente disposito. Hæc autem dispositio agentis in passum, uel contra, consideranda est Medico rationali propter velocitatem actionum sui effectus (ut dictum est) atque ex malo patientis habitu. quorum usu obstructis, & ueluti carcere inclusis venenis in membro patiente, longa mora & iuncta usu astringentium ui ueneni, et propulsa penitius, multo acrius, & uelocius agunt, quæ cum non remouet extemplo, non desinit eius malignitas inducere prauas qualitates, & effectus, qui corrigi non possunt. quare merito (ut Auicenna inquit) putrefaciens, quanto diutius remanet in corpore uel membro, tanto eius effectus deterior est. Quapropter si malignitati extrinsecæ uulnerati mēbri tempestiue succurratur, suo bezoartico (ut uocant) medicamento minus læduntur interna membra, minusq; ab eorum ueneno timendum est. Quamobrem recte inquit Gal. venenatas medicinas non interficere, nisi longo post tempore, quandoquidem ad plura

3.simp. cap. 20. & 21.

De feb. pest.

exten-

extenduntur loca veneni vires, atq; ita vehementius agunt propter longam moram, quæ omnia tolluntur, si corrigentibus, ac defendentibus medicamentis veneno, seu venenatæ parti extrinsecus, vel intrinsecus occurratur, membraque à mala veneni impreßione defendantur; ita vt longo tempore repercussa debilitentur, refringanturq; eorum actiones. Talis enim venenata vis contactu agens manifestã imprimit læsionẽ. Nõ æque tamẽ (vt mea fert opinio) veneni tantum puluis hic habet, quantum ea medicamenta, quibus & sagitta, & reliqua telorum, vel armorum genera tinguntur in solutis continuitatibus sanguinem congelando, quamquam potest & is puluis congelare præter cæteras læsiones, licet calidus natura sit; quoniã (vt ex Gal. authoritate Auic. asserere videtur) caliditas congelat siccitatem; quemadmodum frigiditas spißitudinem. Proprium enim veneni est sanguinem, cum à calore afficitur, congelare. Immodica item venenosi siccitas, sanguinem cordis humorem consumendo, interficere poterit; aut partem à parte separando, donec fiat maxima solutio interna, & non minus crustosa, ac si externa apparet; veluti calx, nitrum, sulphur, ac cætera generis eiusdem, quæ sua ingenti siccitate interimere possunt. Hæc autem siccitatis venenata vis ab incendio, & fulgureo (vt ita dicam) motu; quo vires venenosæ augentur, incrementum accipit maximum. Illa enim, quæ à fulgure percussa sunt animalia, & extincta, venenata sunt, si qui ve-

Can. 2. actra. 1. cap. 3.

scan-

ſcantur; nec minus interficere poſſunt, quàm rabidum animal morſu, tactuque. Sed quotum gradum veneni habeat hic puluis, ſiue à tota ſimplicium compoſitione, è qua prouenit forma, quam ſpecificam dicimus: non autem quia calidus, neque ſiccus, ſed quia talis ſit, ſeu vis ea ab euidentibus facultatibus prodeat (vi dictum eſt) ignoratur, perpetuoq́; (vt ego exiſtimo) ignorabitur vt aſſerere Auic. videtur. De hac enim definita menſura experienti Medico, atq; erudito multum tribuitur; & illi quidem potius fidendum, quàm rationali tantum (vt Ariſt. inquit) ſed ego quidem arbitror inter venenorum letalia genera, quibus tela ſiue arma inficiuntur, pulueris iſtiuſmodi venenum remiſſus eſſe: & quamuis ab eo illata accidentia ſimpliciter interimere poſſe non videatur; veruntamen quantum vis exigua ſit venenata vis, eius habenda eſſe rationē cenſeo, nec à Medico pro ægri ſalute negligendam: cum eius naturæ ſit infeſtare, vel interficere, ſi diutius ſine remedio immoretur. Venenum enim medicamentum eſt corporis habitudinem corrumpens, non modo ſuaptè aduerſanti atq; euidenti, ſed occulta quadam vi, vt Auic. placet.

Fen. 2. lib. 1. doct. 2. sūma 1 ca. 15. In proœ. meth.

Can. 2. cap. 4. tract. 1.

Cuius facultatis bezoarticum medicamentū curationis initio ſit eligendum. Cap. V.

PRauum me hercule, vulneris hoc genus eſt, ad hominum vitæ inſidias compertum, necemq́ue acer-

acerbam inſerendam; à quo ſanè vel pauci euadũt; vel qui liberantur, claudi, fiſtuloſi attracti fiunt. Quorum gratia hunc laborem ſuſcepimus, ac ne imperitis Medicis hoc vulneris genere amplius aberrare liceat; qui ſine vllo diſcrimine in prima curatione oui albo vtuntnr, velut in quolibet ſimplici vulnere, & carnoſo, fieri conſueuit, nulla ratione, vel authoritate permoti. Præcipit enim Gal. cauendum eſſe, ne quis Medicorum, venenatorum animalium morſus, ictusq́; initio illati vulneris aſtringentibus medicamentis curare tentet: quinimmo vehementer attrahentibus, calfacientibusq́ue. Quam rectè itaq; Meſuæ filius, ſtudium (inquit) tuum principio ſit, in vulnere laxando extrahendoq́ue veneno, antequam toto corpore diffundatur. Ac per principium, diem ſecundum, vel tertium ab inflicto vulnere intelligit; quando poſt quartum diem, venenum totum corpus occupauit. Paulus item medicamenta corrodentia prima curatione apponenda iuſsit, exinde butyrum leniendi gratia, & oras aduſtas emolliendi. Quo etiam genere medicamenti vſus eſt Auicenna. Ait enim forte tibi neceſſe erit, vt medicinis corrodẽtibus vtare, proinde butyrum adhibere, quantum verò differant rodentium medicamentorum facultates ab oui albi natura, nemo eſt, qui dubitet. Differunt enim, vt album à nigro, vt lux à tenebris. Oui ſi quidem album compeſcendo, ac refrigerando, reſolutionemq́ue veneni extrinſecam prohibendo; quin etiam viſcoſa & glutino-

Par. 2. libr. Sect. 2. tract. 25. in proœmio.

Can. 2. cap. 4. tract. 1.

tinosa sua substantia poros extrinsecus claudendo ad interiora, venenum, si quod est penetrare cogit. Corrodentium autem, & calfacientium medicaminum, est euocare, aperire, extrahereq; non modo venenum, sed & sanguinem, superfluosq; infectos humores ex toto auellere: ne membra ipsa interna à veneno infici possint, sed quæ vulnerata sunt, omni suspicione veneni liberentur. Quamobrem iure Ras. Simeonis authoritate asserere videtur, vt primum emplastris, cucurbitulis, scarificationibusq; venenum extrahatur. Scrapi. item locum exugi, scarificariq; iubet; & cucurbitulas admoueri, vti venenum vi eximatur. Quod si remedia hæc minime conferre videantur, membrum abscindendũ esse. Quam ob causam ne id efficere cogatur Medicus, præcipit Phil. vt venenatum vulnus ferramento initio aduratur: quæ res & ægrum liberat, & venenum altius penetrare non sinit. Vnde non iniuria asserit Auic. nullum attrahentium medicamentorum æqui pollere cauterio. Abstineant itaq; obsecro, imperitiores Chirurgici ab hoc prauo medendi vsu, scilicet curationis initio, oui album, atque id genus cætera subministrare, ne carnifices magis, atq; hominum vitæ insidiatores, quàm Medici esse videantur, maioremq; læti causam ægris præbeant, quàm ij, à quibus vulnera acceperunt. Cap. 2 Trac. 2 lib. 25. cõt.

Quid per contusionem hoc genere vulneris sit intelligendum. Cap. VI.

PRoprium quidem istius modi vulneris est, contusio-

tusione non carere in carne, contritione, siue attritione in neruo, fractura in osse, ob instrumenti contundentis naturã; quod sua violentia obtusaq; dur itia soluit, ac destruit quicquid sibi obuium est. Tum quælibet istarum multiplex continui solutio dicitur, auth. Auic. quæ sanè causa est, vt eo loco abscessus fiat, ac putrescat membrum, quod contusum, attritum vel contritum est. Ac earum quælibet consideratur, vel prout est in euidenti vulnere, hoc est ea parte, qua soluta continuitas est, aut vbi non sit manifesta solutio, idest procul à centro soluti continui. Hæc quidem animaduertenda est in membris intrinsecis ac nobilibus, aut in extrinsecis, minusq; principalibus. Affunditur enim ad partem contusam siue contritam sanguis plurimus, non modo propter multiplicem solutionis continuitatem, venarum, arteriarum homorosagiam, verum etiam propter dolorem loci attriti, vel contusi: qui dolor à membris adiacentibus eo attractionis causa est. Quapropter merito affunditur sanguis plurimus.i. humorũ copia, & in mẽbro abscessus fit, qui quidem poros condensat, resolutioq; congestæ rei plurunq; prohibetur. Proprium etenim contusionis est abscessum fieri, & abscessus membrum implere, meatusq; obstruere, ac resolutionem prohibere. Quamobrem iure Hyppo. sanguis cum effuderit (inquit) in membro aliquo, præter naturam ipsum putrefieri necesse est, ac si extra proprium locum existere videatur, atque à regimine naturæ sit derelictus.

Gal.

Gal. item asserit, omne contusum necessario putrescere, atque in saniem verti, si præcipue sanguinis contusi solutio non acceleretur. Atq; hoc ipsum est, quod ait Auic. nisi contusioni soluentibus medicamentis oppportunè succurras, membrum perducitur ad corruptionem. Quare in omni vulnere, vbi quassatio, attritio, & contusio sit, prius habenda ratio est, & curatio contusionis, & quassationis. Non enim sunt indutiæ ab hoc morbi genere (vt inquit Gal.) immo propter coaceruati sanguinis putrefactionem, corruptionemq; membrum quàm ocißimè cancrena occupatur. Quare acceleranda est eius curatio, & putrefactioni occurrendum.

3.de curādis morbis 4. 4. Tract. 5. cap. 5.

Quæ curatio contusioni conueniat. Cap. VII.

PRæter cætera morbi huius remedia, illud præcipuum est, cum magna contusio altaq; fuerit, siue carnoso, siue neruoso membro, tum sanguis plurimus coaceruatus: siue coaceruandus est, partesq; adiacentes, & vulneris oræ (vt assolet) laceratæ sunt. Tunc impoßibilis est resolutio, & partium adiacentium vnio per oui album, ac cætera quibus continuitates vniuntur. Quinimmo emollientibus, digerentibusq; & sanguinem euocantibus vtendum est: atque illud est (quod inquit Auic.) in attritione contusioneq; non opportere administrationem fieri cum reductione continuitatis inciforum

4. 4. tractat. 2 cap. 2.

carnis, villorum, ac tendinum, cum ipſorum conſoli dationo. Quoniam in eo attritionis, et conſolidationis genere, ſuaptè natura conſolidationi repugnat. Sanguis enim putrefactus, caro, neruiq; dilaniati præſentem conſolidationem non admittunt: quinimmo quæ ſedant dolorem, vt quæ leniter molliunt reſoluuntque, contraria ſunt conſolidationi. In ipſa igitur ſoluta continuitate, vbi attritio, contuſio, vel contritio fit, prima curatione huiuſmodi aſtringentia, & cōpeſcentia, fluoremq; prohibentia nullo modo adminiſtranda ſunt, ſed vehementer mollientia maturantiaque, vt præcipit Gal. carnem inquit cō preſſam, vel abſciſſam, vel tendinem medicare, vt, ſuppurabilis fiat, quoniam ita minus inflammat; neceßarium etenim eſt compreſſam carnem, vel abſciſſam, vel aliquo modo affectam, ſeu putrefactam liquefacere; ut proinde noua gigni poßit. Quin etiam ſi contuſio alta, magnaque fuerit, atque hæc leuiter reſoluentia digerentiaq; conferre non videantur, præcipit ut omnium attrahentium genere profunda materia extrahatur, ut cucurbitulis, quæ id morbi plurimum leuant, a medicisque inuentæ ſunt, ut humores educant, qui difficile extrahuntur. Cum hoc etiam præſentaneo remedio ſunt ſcarificationes, vt aperte putridus, ac pernicioſus ſanguis (ut iubet 4.4 Tract. 2. cap. 2. *Auic.) euacuetur. In alta. n. contuſione nulla reſolutionis ſpes eſt, ab ijs, quæ id lente faciant, vel leniter molliāt. Hæc præparatio in eo morbo neceſſaria eſt, ne prius mēbrū putreſcat quā cōtuſio reſoluatur*

Quid

Quid ſit fractura, & quæ eius ſpecies huic vulneris generi frequenter accidat.
Cap. VIII.

FRactura eſt (ut ſcribit Gal.) continuitatis partium oßis, ſolutio facta ab re contundente, ab inſtrumento quaſſante, vel conterente; quæ plures ſpecies complectitur (vt inquit Auic) Quædam enim æqualis fractura dicitur, quæ ſane illa eſt, quando os ita tranſuerſum frangitur, ut nullum prorſus fruſtillum ab eo ſeparetur. Quædam ſciſſuralis, cum in longitudinem rumpitur, ſeu ſcinditur, manifeſteque aperitur. Quædam fruſtalis, cum ita frangitur, contunditurq́; ut fruſtula manifeſto ſeparentur, vel cõtra ſiue unum ſit, ſiue plura, ſiue magna, ſiue parua. Quæ ſanè fracturæ ſpecies in hoc uulneris genus frequentiſſime accidit. Tanta enim fit oßium, cartilaginumq́ue comminutio, vt vix ſenſu vel animo comprehendi poßit. Nec ſolum in extrinſecis partibus, quæ tanguntur, verum etiam in internis remotisq́;. Quapropter uſque timenda eſt occulta, internaque fractura. Tanta enim huiuſce inſtrumenti uis eſt, et potentia, ut omnia eius genera ex facili accidant: nec Medicorum quiſquam eſt, qui dubitet, cũ manifeſte ſoluta continuitate frequenter fieri, uel per raro ſine manifeſto vulnere, quæ diuerſis modis coniectari põt, pro diuerſitate mẽbri in quo facta eſt. Alio.n.mõ cõſiderabitur, cũ in capite, vel pectore, vel fœmore ægritudo ſit, uti (referẽte Alb.) alibi dicemus.

6. meth. — Lib 3. cap. 2

mus. Quapropter ne mirentur ægri, ac Medici, si vulnus dolor vehemẽs sequatur. Nõ.n. leue periculum est, si saucius vehementer affligetur. Quare danda est opera (vt inquit Gal.) vt dolore & incommodo vitato, vtriusq; commodo fruantur.

Meth. 6.

Quæ propria sit fracturæ curatio ac necessario consideranda. Cap. IX.

CVm Medicorum hoc morbi genere cura sit soluta coniungere, ac conglutinare, qua in re primum, ne quid abscedat, requiritur, tum propter cætera communia, quæ id præstant, ac chirurgicam medendi rationem, quæ necessaria est, vt disiuncta coniungat, suoque loco custodiat, recentiores Medici, antiquioresq; medicamine ex rosaceo omphacino cum oui albo, ac cæteris similibus vsi sunt. Omne enim studium est, vt dolor abijciatur prohibeaturq; abscessus: subinde verò ad membri cõsolidationem, atque instaurationem, omnem curam transferunt. Sed si cum vulnere fractura fuerit, & vehemens attritio, vt de corrosione, & corruptione timendum sit, scarificandus locus est, vt sanguis fluat, alioquin ne emoriatur membrum periculum est. Quanta verò sit oßium, ac tendinum hoc peßimo genere vulneris attritio, artis peritiores nouerunt, qui in eo studium diligentiamque adhibent ne putrefactio fiat, factaque arceatur.

Auicen. 5.4. Tract. 2. cap. 2.

Quo

Quot ſint eius vulneris curandi rationes. Caput X.


VVlneris igitur huius, quo ad combuſtionem, duplex curatio eſt, vna quæ aduſti membri puſtulas prohibeat leniter refrigerantibus; altera quæ locũ emendet extergentibus ſine mordicatione. Quantum verò ad venenum attinet, vehementer attrahentibus, ac calefacientibus vtendum eſt, atq; omne ſtudium in laxando vulnere eſt adhibendum, vt venenum extrahi poßit: & hoc quidem à principio, antequam per vniuerſum corpus diffundatur. Contuſioni autem emollientibus, digerentibusq́ue, tum ſaniem educentibus occurrendum eſt. Huiuſmodi enim curatio neceſſaria eſt, ne prius membrum putreſcat, quàm contuſio ipſa reſoluatur. In fractura verò diligentia omnis adhibenda eſt, ad dolorem ſedandum, abſceſſumq́ue prohibendum leniter refrigerantibus. Sed cum de corroſione, corruptioneq; propter fracturam metus eſt, ſcarificationibus eſt vtendum: vt effluat ſanguis vel corruptio tollatur aliquo ex vehementer detergentibus, ne membrum emoriatur. Quæ omnia, cum inter ſe pugnantia maximè ſint, non equidem video, quo pacto, ſolo oui albo curationis initio, tot exequi poßint, videant qui talia audent: nos verò certo ſcimus, quæ nulla ratione fiant, nullo modo fieri debere.

Libri primi finis.


ALPHONSI FERII NEAPOLITANI, ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS.

De Sclopetorum, siue Archibusorum vulneribus:

LIBER SECVNDVS.



PRAEFATIO.



D compositorum vulnerum curationes nunc descendendum est, quas tum cõmunes, tum proprias proponemus pro rei necessitate, ac diuersitate membri. Nec solũ in curandis vulneribus, sed in his etiam quæ interim ægro possunt accidere studium nostrum posuerimus, habita cuiusq; rei, quàm diligentissimè fieri poterit, ratione.

Qui sit in compositis vulneribus curandis tenendus modus. Cap. I.

Compositorum itaq, vulnerum, quæ bellicis fulminibus inferuntur, vt sclopetis, vt archibusis, curationis duplex est ratio, altera intentione, altera

ra in executione posita, quam nos partem præcipuè prosequemur. Cuius quidem est omnibus affectionibus subuenire, atq; ijs potißimum quæ maioris esse momenti videantur. Leuia enim vulnera & quæ in summa cute fiunt, sublata virulenti pulueris malignitate aliquibus ex ijs medicamentis, quæ proponemus, vel nullo negocio curabuntur, vt simplicia vulnera. Quamobrem non est, cur de illis multa præcipiamus. In ea igitur quæ grauiora fuerint, enixius incumbemus, vt potè quibus fractura, attritio, contusio associata est. Quod vt rōne fiat, hæ potißimum regulæ, siue canones (vt Medici locuntur) sunt obseruandi. Quorum primus est, vt plumbea pilula, & quicquid secum forte in vulnus intulerit, inquiratur extrahaturque manu (si fieri poßit) ita diligenter, ne quid alienum intus remaneat. Secundus, vt instrumenta ita præparentur vt quam facillimè pila extrahatur. Tertius; vt veneno suis medicamentis occurratur. Quartus, vt attritione opituletur, ne nimia contusio, atque attritio membri corruptionem acceleret. Quintus, vt comminuta ossa ita eximātur, ne frustillum quidem carne separatum nudatumque relinquatur. Sextus, vt ossa quæ cum carne & tendinibus coniuncta fuerint æquētur hoc pacto; itaque suis sedibus reponantur, vt membrum sine dolore conquiescat. Septimus, vt à futuro abscessu defendatur. Octauus, ac postremus, vt vulnus ipsum per omnes suos gradus, & quicquid interim ex eo acciderit, quàm diligentißimè curetur.

Quæ

Quæ ad primum, & quintum canonem obseruandum pertineant. Cap. II.

IGitur vt primus & quintus canon diligenter obseruetur cum primum ad ægrum Medicus accesserit digitū indicē in vulnus immittat, vt de essentia ac natura eius certior fiat, atq; interim oßiū fragmēta, si qua inuenerit extrahat, sed quæ carne separata sint, vt supra est dictū. Nullaq; sit instaurandi spes. Proinde diligētiori attrectatione mēbri pila digito, vel specillo inquiratur, extrahaturque, si cōmode fieri possit. Sed quàm diligentißimè aduertendū est, ne in ea inquirenda decipiamur, vt perfacile est. Tāta.n. vi ex fulmineo quodā motu ferit, vt per multos, ac diuersos anfractus vulnus ipsum tortuosum infligat, nonnullaq; secum alia perferre soleat, vt loricæ partes, vel cæterorum armorum, vt vestimentorum fragmenta, atque alia, quibus postea locus, vel breui temporis spacio tam male afficitur, vt intumescat illico, abscedatq;, nonnullæque fiant membranarum musculorumq;, ac cæterorum similium dissolutiones. Quapropter qui pertenui specillo vtuntur (vt vulgo fieri consueuit) quàm facillimè fallantur necesse est, aberrat enim illud perfacile ex sua tenuitate huc atque illuc inter musculos, inter membranas, inter, atq; intra venas, atque arterias, atque ossa, atq; alia, qua pila persæpe minus transitum fecit. Quam ob causam se se forte aliquando inuenisse existimantes, à contraria parte non necessario


ſario incidunt. Vnde nec pila ipſa, nec oſſa, nec ſanies, nec res vlla alia principalis vulneris exire poſſit. Quare ne amplius in re tam neceſſaria Medicis errandum ſit, neúe ægri ſine cauſa tam miſere torqueantur, Specillum noſtra cura inuentum, quod ex re annulatum appellare libuit, ſanè quam commodiſſimum (vt oſtendetur infra) ſi placeat, ſibi vtendum habeant.

De annulato ſpecillo, atque alphonſino inſtrumento, ac gruino roſtro.
Cap. III.

FIat itaque ſpecillum ex argentea virgula tereti, craſſitudine paulo minori, quàm ſclopetaria, ſiue archibuſina pila, longitudine verò duorum ferè dodrantium, vt ex breuitate eius chirurgicum opus non impediatur vſquam, ſed ſit diuiſum in partes duas, vt commodius feratur, quæ ſanè partes tornatili vite (vt appellant) inter ſe committantur, cuius inſtrumenti alterum extremum exigui ciceris inſtar pilula ſit, cum foramine, vt fit in acu, per quod flammula (vt appellant) immiſſa linamenti loco (vt fit) relinqui poſſit in vulnere. Alterum verò extremum in annulum tam grandem deſinat, vt pilam commodè capiat. Sed annuli circulus ſuperne rotundus, inferne labijs ſit aliquantum in ſe reflexis, ita vt mordicus quodammodo pilam apprehendat, apprehenſamq; retineat hoc inſtrumento pilulas, vel à profun-

fundißimis iuncturarum locis, ac potißimum thoracis, vel inferioris ventris, in quibus vel nulla alia instrumenta conueniunt, facillimè extrahimus. Cuius hæc est figura.

SPICILLVM ANVLARAE.




Quod si vulneratus locus sinuosus sit, ita vt sanies, vel cruor libere non poßit effluí: nec ob id pilula indagari, specillum idem fabricetur ex plumbo, vel ex aliquo lento, ac flexibili metallo, ut pro arbitrio Medici flectatur, atq; eo facilè in quemlibet sinum poßit intromitti, & versari flãmula, & humores emitti, & pilula explorari, sed extrahẽdis pilis longe aptißimũ est alphonsinũ instrumentum, quod, quia nostrum inuentũ est, ita appellare placuit, id virga ferrea teres est, quanta annularium specillũ longitudine, dodrantium scilicet fermè duorum, & sclopetariæ pilulæ craßitudine, ab altera extrema parte, veluti à radice, solido relicto quanto manu commodè teneri poßit, treis

fissa

fissa in ramulos aperiatur, qui ferreo annulo recurrente claudatur si cuspidē versus trabas, aperiatur; si contra, sed, vt facilius pilas prehendat interior extremorum ramusculorum pars, dentata sit, & in omnibus caua, seu conuexa deuexa, molliter exteriora. Id tamen longius, breuiusúe, pro loci altitudine, in quo vti volumus fieri potest, atque hoc pacto figuratur.

ALPHONSINVM.



Nō inuoluendum tamen silentio est gruinum rostrum (vt vocant) vt potè quod & ipsum ad extrahēdum instrumētum est excellentissimū, atq; ab omnibus tum veteribus, tum recentioribus commendatum: quo non solū pilulæ è difficillimis locis, sed & alia, vt armorum, vt cæterarum rerum frustula extrahuntur. Huic nos, vt commo-

modius manu, ac valentius teneri poßit, atque ita pilæ, ac cætera extranea in vulnere certius explorari, annulos forpicularũ modo adijcimus, hoc pacto.

Quæ medicamenta extrinsecis vulneribus conueniant curationis initio. Cap. IIII.

IN magnis Sclopetorum, siue Archibusorũ vulneribus frequenter hæc apparere solent Symptomata, Syncope, vertigo, insomnia, & plerumq; febris, uel calor cum siti, affligitur æger, exæstuat, inquietatur. Oculi præterea quandoq; rubent, & facies oritur sudor; soluta continuitas liuet, uel nigrescit, extemplo enim oræ fuscatæ fiunt, et male coloratæ, & caro languida. Quamobrem ad omnem veneni vim tollendam, primum alexiterium (idest proprium medicamentum) vt Galenus iubet, adhibendum est, id enim aut alterat, aut euacuat ex corpore, vel membro laborãte, alterat siquidem aut una, aut duabus facultatibus, aut simul tota ipsius substantia, aut calore subtilium partium, & venenum resoluentium, siue penetrantium, aut similitudine totius, quam habet cum re quæ euacuanda est, vt contritus Scorpius, qui venenum è Scorpionis ictu optime extrahit, vt superiori libro dictum est. Itaque si frigidæ naturæ venenum sit, seu lethale ab excalefacientibus remedium petendum est, si calidum, à refrigerantibus, si humidum, ab exiccantibus, si aridum,

5. de simp. med. cap. 17

dum, ab humectantibus; vulneris si & humidum, & frigidum sit, ab exiccantibus, atque excalefacientibus, si calidum, & humidum, ab humectantibus, & refrigerantibus. Omne igitur mortiferũ venenum ab extrinsecus impositis medicamentis euacuatur, nẽpe aut calore suo attrahit, aut totius substãtiæ compositæ similitudine. oportet autem huius antidotum proportionatum esse corpori, cui medemur. Ipsum enim sua calida ui corpori aduersatur, velut & lethale venenum. Quare in omnibus extrinsecis vulneribus simplicibus, tã carnosis; quàm neruosis, siue compositis intercutaneis, etiam læsis tendinibus, oßibus, venis remedium sit ab illato vulnere ad usq; tertium, & quartum diem, quod habet capitelli selibram, solatri minoris cum semine, aut sonchi vncias duas, aut scabiosæ, Theriacæ semunciam, quæ commista in uitreo vase per viginti dies fermententur in sole, quo calido pẽna illinatur vulnus: sic linamenta, quibus vulnus reformetur impleaturque, vt moris est. quod si aqua, vel aere, vel alio casu, vt in bello præsertim facile accidit; frigefactum fuerit, eodẽ medicamento, sed feruenti vtendum est, ut frigus, humoremq; omnem attrahat, expellatq; : ne putrefiat. alioquin futurum est, vt lethalia simptomata inducantur, cæterũ, quod ægyptiacum medicamentum voeant, hisce vulneribus remedium præsentaneum est. Id habet amarorum lupinorum, ac lenticularum decoctionis sexquilibrã, aceti acerrimi libram, salis, aluminis, singulorum

vn-

unciã, æruginis rasæ, seu uiridis æris (ut appellant) semunciam, mellis selibram, quæ ad olei craßitudinẽ ferueant, theriacæ deinde semuncia adiecta, quibus commistis, utare, ut supra dictum est. Huic medicamento plurimũ tribuunt peritiores artis: quando vim habet putredini obnoxia, putridaque facta destruendi, & quæ sana sunt, ne putrescant, conseruandi. Iuncturarum autem vulnera, & quæ in ipsis extremis sunt, ad quatuor digitos distantia, eodem modo curantur hoc medicamento, quod fit ex uenetæ terebinthinæ, olei abiegni, terebinthinæ destillatæ, seu per uitrium stillicidium (ut appellant) eliquatæ, Olei hyperici, singulorũ vncijs duabus, æruginis rasæ parum cõbustæ, theriacæ, singulorum dimidia dragma, quæ commista in uitreo uase uiginti diebus habeantur in sole; Olei præterea rosacei immaturi, & sambucini, et euphorbij, singulorum vncijs quatuor, æruginis combustæ dragmis duabus, quæ simul admixta membris carnosis, neruosisq; remedio vtilißimo sunt. si eo vulnera repleãtur, ut assolet, quod si cætera defecerint vinum album generosum cum sale ubi efferbuerit calidum vulneribus remedium erit præsentaneum. quodlibet enim ex his medicamentis non modo veneno medetur, ac manifesto extrahit, verum etiam & contusioni, & attritioni opitulatur; earumq; corruptionibus præsentaneum remedium est. Hæc autem medicamenta quæ posuimus omnibus alijs vulneribus, quæ tam morsu, quàm telo venenato fiunt, auxiliabuntur, si eo-

dem modo diligenter adhibeantur.

De Medicamentis inextrinsecis, atque ignobilibus membris sanguinem supprimentibus. Cap. V.

QVoniam in prima extrinsecorum vulnerum cu ratione sanguis potißimum supprimendus est, ne cum eo, qui thesaurus vitæ est, fugiat et uita, præter cætera medicamenta, quæ ab aliјs ponuntur, hi trocisci, seu pastilli in ea re mihi perfamiliares sunt, vt pote qui accõmodatißimi esse videantur, qui constant ex Hepaticæ aloes vncijs duabus, macræ vncijs quatuor, leporinorum pilorum minutatim concisorum vncia vna, oui albo adiecto, qui sane fiant oblongi, rotundi, magni, parui, ut omnibus modis præsto sint, cum usus exegerit. his & causticam vim addideris, si ex his vnciæ uni, dragmam sublimati adieceris, ut adurendi simul, & astringendi (cum opus est) facultatem habeant, quibus omnibus scilicet tã causticam vim habentibus, quam non habentibus, & tam solidis quàm redactis in puluerem, pro arbitrio tuo uti poteris, hoc est venæ, uel arteriæ incissæ cum linamentis ex xilo combusto, vel ex linteolis, vel eorum linamentis combustis, uel stupis ouo albo intinctis, vel non intinctis super imponere. atq; ita locum regida buccellatione (ut nunc loquimur) obstruere: & ita puluillis comprimere, ne qua sanguis emanere poßit. Reliquum autem vulnus bezaarti-

co medicamento liniendum, curandumq; , vt dictum est. Quod si hæc remedia sanguine vincantur, ad uenæ, uel arteriæ illaqueationem deueniendum est, quod hoc modo fit, sit exempli gratia transuersum vulnus in rascetta manus, tum supra eius iŭcturam tribus, aut quaternis digitis vena, uel arteria acu deprehendenda est: Quæ sane acus ferrea sit, longa semipalmum, tum retusis lateribus quadrata, ne in trãsuendo intercidat, ac recta, nisi prope cuspidem, qua parte falcatam, ac retortam ad basis foramen esse oportet.

Ea itaq; duplex filum ducente vena solum, siue arteria prehendatur. In quo plurimum iuuerit anatomica cognitio; deinde duobus hinc inde fili capitibus puluinum plurima duplicatione constantem, seu plures, alterum alteri impositos, superne, ac strictim, non nimio tamen cum dolore comprehendendum est, nec dimittendum usq; dum venæ, uel arteriæ conglutinationem factam existimes, atq; eo prohibitum sanguinis profluuium, mox ad reliquam curationem properandum, vt dictum est, ac dicemus infra.

Quæ medicamenta locis vulneri adiacentibus conueniant, à prima curatione ad securitatem abscessus. Cap. VI.

VT igitur vulneri adiacentes partes fractæ, attritæ, contusæq; instaurentur; & à futuro abscessu

ſceſſu prohibeantur, aſtricto ſanguine, iuformatoq́; vulnere, atq; aliquo ex predictis bezaartico collyrio curato, & linteolo duplicato ex eodem collyrio impoſito, tum fractis oßibus, ſi qua ſunt inſtauratis, puluilli ex duplicatis linteolis lōgi, latiq́; pro quantitate membri, ex oui albo, et roſaceo, uel violaceo, æquis portionibus, ſimul agitatis infra ſupraq́; vulnus calidi, (etiam æſtate) imponendi ſunt. Deinde ſtupæ quadratæ, aceto, & aqua roſacea madentes pari portione, mox vehementer expreſſæ ex oui albo, & roſaceo, ſiue violaceo, vt ſupra eſt dictum, ijs ſuperimponendæ ſunt, vt in fracturarum curatione fieri conſueuit. Inde duabus faſcijs longis, latiſq́;, ut membra exigunt, hinc, atq; hinc deligandum eſt. Medium autem vulnus altera faſciola deligetur, poſtea vero ferulæ ſtupis inuolutæ ſuperimponatur ſed ita, ut vulnus detectū remaneat, quo ſemel, aut bis in die, ſi opus ſit, curari poßit, Hæ autem ferulæ extremæ ita deligentur, vt dolorem ægro non moueant, neq; ut ſoluantur, aut cadant timendum ſit. Poſtremo faſciæ eiſdem locis ſuperligandæ ſunt, ac membrum ita collocandum, ut ſine dolore, ſine motu, ſine tremore conquieſcat. quod commodius fit, aut canali, aut aliquo ex his inſtrumentis, quibus in fracturis curandis uti ſolemus. Hæc autem curatio in ſeptimum vſq; diem perduret, niſi dolor prohibeat, eo enim caſu locus detegendus eſt, vel quotidie, ſi ſit opus, remedijſq́; ſuprapoſitis recrcandus; Atq; his quæ doloremleuāt ut dicemus infra. Qua

propter hoc te primum chirurge rogo, ne cōtrahas, aut demittas animum, neúe te obrui tanquam flu-ctu, sic magnitudine laboriosi negocij sinas. Ex his enim quæ prima curatione fiunt, si diligenter, strenueq; fiant, magna ex parte salus ægroti speranda est. Iccirco danda etiam opera est, ne ministros imperitos habeas, ut in tractandis affectis membris, uel toto ægri corpore munus suum recte exequantur. Nequid peccetur, ne quid committatur, quod cum dolore, vel molestia postea emendandum sit. Qui ministri tamen si non sint, tu te ipse sine aliqua vulnerati membri motione medicamenta innouare, quæ sunt imposita remouere, tum cætera, quæ, facto necessaria sunt, exequi poteris, si fascias omneis, ac ligaturas super vulnus recta linea incidas, & cum lenientia medicamenta adhibueris, acu valentius filum trahente, denuo consuas. Quæ curatio in tertium diem sufficiat, si de sanguinis profluuio minimè timendum est. Atque ita sextus canon obseruatus fuerit.

De digerentibus medicamentis, ac dolorem lenientibus, & quæ abscessum prohibeant. Cap. VII.

VBi altera & tertia curatione bezaarticū medicamentum impositum est, & curata adiacentia loca, atque aliquo oleo refrigerante illita, vt dicemus infra: quarta, mox & quinta, hoc medica-

mento vulnus digerendum est, quod fit ex venetæ terebinthinæ, vel olei abietini semuncia, vitello oui vno, recentis butyri semuncia, quibus commistis, & calidis locus perungendus est, & puluilli & linamenta illinenda. Proinde emplastrum Galeni superponatur, cuius hæc est descriptio. Exempli causa, argenti spumæ pondo minã, olei veteris, squamæ æris rubri, ceræ resinæ frictæ singulorũ pondo, guttæ amoniaci pondo, trientem galbani minij synopici, singulorum pondo vncias duas, argenti spumam, squamam & oleum ad spißitudinem vsque incoquito: deinde ceram ac resinam inijcito. Cum liquata fuerint ab igne tollito, & ammoniacum dilatatum immittito: vbi refrixerint, galbanum & ammoniacum indito, synopicum aspergens, ac in mortario subactis mollitisque vtitor. Oræ autem vulneris, & quæ circum vulnus sunt, oleo perungantur, quod habeat rosacei maturi libram vnam, lumbricorum in vino elotorum vncias duas, viridium sambuci corticum sesquimanipulum, vini albi aromatici vncias duas. quæ vbi deferbuere, colentur, vt assolet, atque his calidis membrum illinatur, vt dictum est. Proinde oræ vulneris eo puluere consper gantur, qui fit ex rubentium rosarum, & myrti bac carum, singulorum semuncia, lumbricorum in vino elotorum, atque exiccatorum in furno vncijs duabus; quæ commista tenuißimè conterantur; vel vermes etiam ipsi soli exiccati, redactique in puluerem super aspergantnr: rectè enim dolorem leniunt, re-

creant, resoluuntque. Vtilissimum etiam oleum est, quod cõmunis olei libras duas habet, contusæ plantaginis, viridium sambuci corticum, singulorum sesquimanipulum: salis contriti semunciam, vini albi, seu lixiuij vncias duas: quæ concocta, atque eliquata in vsum seruanda sunt. Quibus medicamentis digerentibus, recreantibusq; ad manifestã vsq; vulneris digestionẽ, & meliorem saniem vtendum est.

De reprimendis medicamentis. Cap. VIII.

NE veneni vis ad interna penetrare possit, vulneratusque locus ob confluentes humores intumescat, abscedatque, commodissimum remedium est, vt & in cæteris vulneribus, quod fit ex boli armenici, terræ lemniæ, seu sigillatæ, (vt vocant) sanguinis draconis, singulorum vncia vna, olei rosacei, aceti rosacei quantum satis est, quo vngunto vulnerati membri initium ad sex, vel octo digitos à vulnere liniendum est, sed calido, vt medicamenti vis celerius penetret, desuperque linteolo in aceto rosaceo, & aqua rosacea æquis portionibus intincto deligetur. Idem & præstabit lineus pannus quatuor digitorũ latitudine, longitudine verò quãtum satis sit, replicatus, atque aceto, & aqua rosacea pari portione madens, vel ex aqua, & aceto, quod sæpius iteretur. Noxium enim calorem tollit, futurumque prohibet; fieri etiam lenimentum potest ex

albo

albo ouorum quatuor, olei rosacei vncijs quatuor, aceti rosacei vncijs duabus; boli armeni, terræ lemniæ, sanguinis draconis, singulorum vncia. Quibus simul agitatis madenti panno (vt supra) vtendum est. Quod & succis herbarum refrigerantium fieri potest, dum locus detumescere videatur, & ab abscessu tutus.

Quod saniei necessario exitus dandus sit. Cap. IX.

COmmodißimum, immo necessarium remedium est, vt per collocationem membri, aut per incisionem sanies libere poßit effluere. Quoniam vulnera huiuscemodi ignea quadam assatione, & combustione non carent, vt dictum est; eorumque proprium est, putredini, & corruptioni, propter contusiones, attritiones, fracturas, esse obnoxia. Quare membrum ipsum læsum prima curatione ita collocandum est, vt vulnus omnino inuersum sit, atq; ita ore suo partem spectet inferiorem. Quod si aliqua de causa fieri non poßit, non est cur incisio à contraria parte vulneris differatur, vt commodius, ac liberius sanies queat expurgari, & locus à confluentibus humoribus immunis esse, & oßium fragmenta, & pila, quæ aliter non potuere, facilius extrahi. Quæ omnia nisi exactißimè fiant, dubitandum non est, quin magni efficiantur oßium, cartilaginum, ac tendinum sinus, tum profundæ corruptiones.

Vnde fistulæ insanabiles, ac plura abscessuum genera; vnde gangrenæ, atque vlcera sordida, demum totius membri corruptio, ac mortificatio fieri consueuit. Sed quid, si cauum, atq; sinuosum vlcus videatur; neq; tamen per collocationem membrorum, aut per incisionem, ut supra dictum est iuuari poßit, nec ex eo sanies emitti? tum ad hæc auxilia confugiendũ est, vt terq́; quaterq; curetur die, spongiaq́; oblonga, tenui, ac leni diligenter detergatur; quæ bene consuta, atq; colligata sit: ne quid ex ea in vlceris sinibus relinquatur, amittaturque. Prodest etiam ad expurgandam saniem tenta (ut vocant) Cannularis, si ex hederaceis frondibus, aut ex citrorum, aut malorum medicarum, aut ex plumbi lamina, aut alterius metalli fiat, atq; intromittatur. His enim præsidijs iuuatur natura, promptiorq́; fit, ad caua loca, carne implenda, atq; instauranda.

Quæ ad septimum canonem pertineant. Cap. X.

ABsoluta vulnerati membri curatione quæ manum postulat, ad cõmunes curationes transeundum est, ac primum ad venenum tollendum, atq; ad fracturas curandas aliqua medica potione; qualis ea est, quæ fit ex terræ lemniæ, seu sigillatæ alexandrinæ, boli armenici orientalis, singulorum dragma media, reubarbari electi dragma una; mumiæ scrupulo uno, aquæ acetosellæ; plantaginis, vini sanguinei,

nei, seu nigri, singulorum semuncia. Quæ potio post horam ab illato vulnere calida assumenda est. Fit etiam potio quæ cornu ceruini combusti, mumiæ, terræ lemniæ, cẽtaureæ maioris, singulorum dimidiam dragmã habeat, acetosæ aqua adiecta, & vino sanguineo, quæ assumatur, ut dictum est. Quælibet autem ex his potionibus, tam mane, quàm vesperi, per duas horas ante cibum Syrupi loco exhiberi potest. quod quidem remedium, non modo veneno, sed, & sanguinis fluori; & fracturis ipsis præsentaneum fuerit.

De Aluo ducenda. Cap. XI.

ALuus (vbi est opus) leni hoc clystere ducenda est. in quo sint diacatholic. floris casiæ, singulorum semuncia. mellis violacei, saccari rubri, singulorum vnciæ duæ, olei violacei, & amigdalarum dulcium recentis singulorum vnciæ duæ, decoctionis maluarum, matrum violarum, furfuris, hordei, chamæmeli, siue chamomillæ cum arietino capite; vel gallinacco iure, quantum satis est, salis dragma adiecta, totiesque repetatur, tota curatione, quoties opus erit. Fit etiam clyster ex oleo; & salis modico; uel ex decoctionis maluarum, matrum uiolarum furfuris, parietariæ, chamomillæ ex aquæ; quibus percolatis adijciantur salis dragmæ duæ, olei vnciæ quatuor; saccari rubri unciæ duæ, vitelli ouorũ tres.

Ore autem omni tempore anni lene pharmacũ assumi potest, quod habeat diacatholic. triferæ persici, singulorum dragmas quinque, reubarbari electi, agarici in puluerem versi, singulorum scrupulos duos, buccea fiat, siue bolus, (vt dicunt) deturq; dormituro, per horam ante lucem. Vel fiat potio ex his cum aqua acetosæ si à spißiori pharmaco æger abhorreat, qua mouendæ alui ratione tota curatione vti licuerit. Cum humores minuendi, vel euacuandi fuerint. Quod si hæc omnia fastidiat æger, catapotia ex reubarbari electi, agarici contriti, aloes elotæ, singulorum scrupulo vno ac dimidio, quinq; fiant numero, cum electuario ex rosaceo succo, denturque dormituro duas horas ante lucem. Quorum adaugent vim, si necesse sit, mane vnciæ duæ ac dimidia, ex gallinaceo iure, in quo salis nihil iniectum sit, vel ex aqua acetosæ. Fieri etiam potest violacea potio è tribus, aut sex violarum infusionibus, vel rosacea ex totidem rosarum damascenarum, adiecto saccaro, quantum satis sit. Dosis autem à ternis vncijs ad quatuor ascendat, cum aqua acetosæ, ac per duas horas ab assumptis catapotijs deuoretur.

De sanguine mittendo, & quando id fieri debeat. Cap. XII.

ILlud primum in sanguinis mißione videndum est, an in hisce sclopetorum, siue archibusorum vulneribus,

ribus, ea serie, ac modo, quo in alijs affectionibus huiuscemodi euacuationem deposcentibus, mittendus sit, siue id ratione, siue experimento, siue vtroque fiat. Sed cum boni Medici sit, quæ partes corruptæ sunt, instaurare, & quæ inculumes, tueri; in omni venenata læsione quæ extrinsecus fit, ne venenum per interiora loca diffundatur; detractio sanguinis aliena est. quamobrem à Medicis omnibus prohibetur, quemadmodum & vehementior euacuatio per alui deiectionem. Quandoquidem ex eo contra, ac opus est, accideret, scilicet non vt venenata vis à venis, atque arterijs extrahatur, (vt Medici consilium esse debet) sed vt ad interiora loca attrahatur, coaceruaturq́;, quod noxium est. Quamobrem & si necessaria videatur venæ incisio ob inflammationes prohibendas, humoresq́; minuendos, vsque tamen in tertium, vel quartum diem differatur, necesse est, vsque dum (inquam) ab omni veneni suspicione per medicamenta quæ posuimus, eam scilicet vim habentia, tutus esse poßis. (vt præcipit Auicenna) Quin etiam haud inconueniens est, si in sextum, vel septimum, vel octauum, vel etiam in vigesimum diẽ protrahatur. Asserit .n. Gal. in sanguinis mißione numerum dierum minime attendendum esse. Cum igitur curationis initio, hoc est tertio, vel quarto die (vt diximus) sanguis mittendus est, ne scilicet ob eius plurimum dominium ægro quid mali accidat, tum præstat (nisi quid vrgeat) priori mißsione minus detrahere: iterumq́; eã repetere. immo

6.4, tract. 3. cap. 1.

De sectione uenæ.

si

si lubet, & tertio, cum vires maximè imbecillæ sunt
De sectione uenæ. (vt monet Galenus) siue in hac venæ incisione intentio sit, morbum ipsum per auersionem, vel euacuationem, vel diminutionem, vel eradicationem peccantis materiæ curare, siue membrum à futuris symptomatibus conseruare. Hora autem mitendi sanguinis matutina tutior est, sub ortum Solem. Eo enim tempore aeris calor temperatus est, faciliorq; est sanguinis motus, atque eo felicior eius detractio, cum eius proprium sit moueri à ternis horis ante lucem ad totidem horas post Solis exortum. Mittatur itaque ieiune, atq; aluo deiecta, vt moris est. Quando post satietatem nihil est agendum. (vt inquit Cel
Lib. 1. sus) Nec te moueat quod inquit Ras. ex authoritate filij Mes. scilicet in quolibet venenato morsu, si dextra parte fuerit, eodem die sanguinem mittendum esse, illud quippè de scarificatione, quæ ibi fieri debet, intelligendū est, vt infectus sanguis liberius
lib 35. tract. 2. cap. 4. profluat; Etenim subdit Ras. ex authoritate Albuma. ægrum mane gallinaceo pullo pingui cibandum esse, ac tertio deinde die sanguinē mittendum. probibetque id fieri secundo die, propter debilitatem (vt ipse inquit) virtutis ac vigilias. Monetque id, vbi comederit, & dormierit æger, faciendum esse. Illud præterea non inutile fore duximus, si cœlestium signorum, quibus humana membra subijciuntur, attendas vim. Qua enim hora dominantur, ex subiecto membro sanguinem mitti alienum est. Quēadmodum & ab alijs incisionibus abstinendum.

De

De victus ratione. Cap. XIII.

Commune est omnium vulnerum curationibus, à principio tenui victu uti, vt inflammationes arceantur, ac potissimum in bono corporis habitu. Quamobrem Medicus morbi diuturnitatē, vel acumen habitu corporis metitur, qui si humidus sit, magis quàm siccus, abstinentiam sustinet, vt inquit Auicenna. Calidis autem & siccis habitudinibus nihil magis noxium, ac detestabile est quàm cibo & potu abstinere. Considerat etiam Medicus ætates; nam mediæ facillimè inediam sustinent, minus iuuenes, minimè pueri, & senectute confecti, vt Hippo. inquit. Quibus in omnibus consuetudo etiam cuiusque seruanda est. At in sclopetorum, siue archibusorum vulneribus longè etiam maior ratio habenda est, præcipuè si magna sint. quandoquidem in carnosis membris ob immodicam carnis dilaniationem, maximam fieri spirituum & virtutis dissolutionem necesse est. Quod etiam in iuncturis fit, & in tendinibus. Cum maximè est ossium fractura, & comminutio, in quibus dubium non est, quin magni fiant abscessus, & sera curatio, tum maxima nutrimenti resolutio, & virium imbecillitas. In eo igitur ægroti statu, maiori Medico prouidentia vtendum est. Atque ita liberalius aliquanto cibum, & potionem præbere. Deficiunt enim tenui victu vires, maioresque morbo acquiruntur. Quamobrem quæ valentioris nutrimenti sunt, & facilè concoquuntur

re-

rectißimè dantur, qualia ſunt oua ſorbilia, contuſum, conſumptum (vt vulgo appellant) vinum tenue, ac ſanguineum, & hæc vel à curationis initio, non plurima tamen, ſed modicè ac ſæpius aſſumenda, ne vires per ſe tenues opprimantur. Comparari enim æger quandoque ſitienti lucernæ rectè poteſt, quam ſi plurimum addas olei, intermorientem videas, ſi paululum, reuiuiſcentem neceſſe eſt: ſumma itaq; ope cauendũ eſt, ne quid in alterutrũ peccetur, quod poſtea nullo pacto emendari poßit. Verum, vbi morbus & vires patientur hæc victus ratio commoda eſſe poterit, panis ſcilicet cum lacte caprino, vel vaccino, uel amygdalino decoctus, uel cum oleo, uel butyro, vel oleo amygdalino ſaccaro adiecto, lenticula item cocta, vel cicer, vel phaſeolos, vel faba cum oleo, vel butyro, quæ ſi non ſint, vel eſui ægro ex toto iniucunda, cibarium fiat ex cicorio decocto, uel pimpinella, uel vtraq; lingua bubula, uel utraq; paſtinaca, adiecto uel oleo, uel butyro, vt ſupra. Dari etiam poſſunt his præſertim qui delicatiori ſtomacho ſunt, olera ex gallinacei pulli iure decocta, vel hædino, vel vitulino, vel alterius eiuſdem generis animalis. Auiculæ præterea tam elixæ, quàm aſſæ, tum gallinaceorum pullorum extremæ particulæ, vt criſtæ, vt alæ ſummæ, ac cætera generis eiuſdem. Cerebella item eorum plurimum commendantur, ac præſertim in capitis vulneribus. Potio autem, ſi vires patiantur, mulſa ſit, ex tribus mellis vnciis, & aquæ libris octenis, quæ ad octauã partem ferueãt.

Aqua

Aqua item cum ſaccaro uel ex decocti ſeminis coriandri ſemuncia, & aquæ libris ſex, quæ ad ſextã partem decoquantur, & cum iulebo (ut uocant) vel vino ex punicis granis aſſumatur. Vinum item, ſi vires imbecillæ ſint, vel naturalis calor, vel habitudo natura, vel ex accidenti frigida, inſequentibus ſymptomatibus quæ virtutem proſternant, vel plurimum ſanguinis effluxerit, rectè dari poteſt. Quin multi ex profluuio ſanguinis intermorientes ante vllam curationem vino reficiendi ſunt, vt inquit Cornelius, quãquam id ex ſui natura inimiciſsimum vulneri eſt. Attendenda eſt etiã ægri conſuetudo, quæ ſi uini bibendi ſine noxa fuit, illud dari permittit, ac præſertim ſenibus, ac frigidis anni temporibus, uel regione, uel cælo algente, uel exhauſto corpore, ex fructibus uero paſſæ vuæ comeduntur, amygdalæ, piſtacea, nuclei pinei, auellanæ nuces, caſtaneæ, carycæ, pyra, mala apiana, toſta potiſsimũ, atque id genus cætera. Citrorum item cortices, uel cucurbitarum, vel linguæ bubulæ radices, uel lactucarum thyrſi conditi cũ ſaccaro. Quæ omnia ad uſq; ſeptimũ, uel quartumdecimũ diem, uel dum æger ab abſceſſu tutus ſit, ſeruanda ſunt, deinde uictu nõ ita tenuiori, ſi per morbum, & uires liceat, utendũ eſt.

Quibus medicamentis abſceſsibus, & dolori ſubueniatur. Cap. XIIII.

FRequentiſsimum eſt, ut hæc bellicorum fulminum

num vulnera abſcedant, etiam in carnoſis membris.
Iuncturas enim vel ſemper hoc malũ infectat, quin
& in his mitiora mala ſunt febres; & abſceſſus, e-
tiã in diuerſis locis à vulnere, ut teſtatur Princeps.
Fen. 4. 4. tra
ct. 3. cap. 1.
Quamobrem emplaſtro, quod à nemine improbatur,
initio ſubueniendum eſt. Id fit ex farinæ hordeaceæ,
viciæ, fabarum, lupinorum, lentium, ciceris, ſingulo
rum vncijs quatuor, è quibus ſi qua non ſint, pondus
ex ijs quæ ſunt, ſuppleatur, adiecta ſyrupi acetoſi
ſimplicis ſelibra; & ſi eryſipelas ſit, vel inflamma-
tio in membro, ſolatri contuſi vncijs quatuor, atq; in
lixiuio decoquantur, ſi autem vulnus ex aliquo acci
denti refrixerit, loco ſyrupi acetoſi, ex mellis ſeli-
bra, & lixiuio emplaſtrum componendum eſt. Illud
vero medicamentum nobis magnopere probatur,
quod ex malis punicis acris ſapore duobus fit, ac to-
tidem ex dulci, quæ integra, ac ſolida aceto, et lixi-
uio percoquenda ſunt. Proinde addendæ ex ijs quas
ſupra poſui farinis ſingularum vnciæ duæ, & ſyru-
pi acetoſi ſimplicis ſelibra; è quibus rurſus vna con-
coctis, & in lapideo mortario contritis, agitatiſque
emplaſtrum fit, quod in locis neruoſis, carnoſiſq; ab
inflicto vulnere ad morbi ſtatum, ac dum ab abſceſ-
ſu tutus ſit æger, remedium conuenientiſsimum eſt.
Fit etiam aliud ad ſedandum dolorem, & vulnus re
creandum ex ſemine lini contuſo, & cum vino albo
odorato, vel ſanguineo, cõcocto. Et ſi lini ſemen non
ſit, ex furfure in aqua ſalſa, vel lixiuio decocto, vel
in vino albo, vel ſanguineo, ſalis modico adiecto.
quod

Quod remedium in iuncturarum tumoribus præsentaneum est. Componitur item aliud ex sapa, & farina seminis lini, fœni græci, et furfure simul decoctis, id resoluit, reficitq;. Aliud item è panis furfuracei fragmento; & in lacte vaccino, seu caprino concocto; quo & in vulnerum abscessibus aliqui vtuntur, tollit enim dolorem, sed tutius, si quid salis inijcias. Fit postremo è panis nautici libris duabus, in lixiuio, vel aqua marina decocti, mellis selibra vel sapæ addita, quod non quidem certe minus proficit, quàm cætera omnia: quæ supra posita sunt. In omnibus præterea neruosis, & carnosis mēbris ad abscessus desiccandos, resoluendosq;, tum ad reficiēdum, multum proderit, si locus ipse aqua uitæ, (ut appellant) septies eliquata, & calida delinatur, superq; insperso puluere, qui fit ex lumbricis in uino elotis & exiccatis in furno. qui si non satis sit ad tollendum abscessum; fiet ex nucis muscatæ, (ut vocant) & sulphuris singulorum selibra, rosarum imperfectarum, myrtearum baccarum, & uermium prædictorum, quos eo modo præparaueris, singulorum vncia vna: quibus cōtritis, ac cōmixtis locus, quem ante aqua vitæ calida illiueris, vt supra, inspergendus est. Quod siue in statu, siue in declinatione vulneris, et abscessus, conuenientißimum remedium est. Verum si membrum ob ingentem dolorem, atq; abscessus metum perungendum est, medicamētum fiat ex olei libris duabus, salis vncia, euphorbij semuncia, lumbricorum in vino elotorum vncijs quatuor,

vini albi aromatici vncijs duabus, quæ lento igne ad usq; vini consumptionem ferueant. Quod si ex anni tempore, vel regionis, vel ex altera causa frigus timendum est, addatur rutæ, & absynthij singulorum sescuncia, quo percolato, more artis utendum est. utilißimum etiam oleum est, siue ad resoluēdum, siue ad recreandum, siue ad probibēdum abscessum, quod fit ex olei hyperici compositi, olei terebentinæ, olei rosacei immaturi, sambucini, masticini, euforbij, singulorum vncia: salis semuncia, uini albi aromatici vncijs duabus, quæ simul ferueāt; & in usum seruentur. Oleum præterea rosaceum, vel chamæmelinum, cum aquæ uitæ septies eliquatæ pari portione in omnibus morbi temporibus: tum materia calida, uel frigida, & carnoso, vel neruoso membro remedium optimum, & præsentaneum est, quo, si totus locus dolore afficitur, delinendum est, quod si abscessus ad maturitatem iam peruenerit, cutis eius axungia suilla, uel gallinacea attenuanda est, quo facilior sit puris eruptio, ut ex arte fieri consueuit.

Quæ Medicamenta putridos neruos, ac tendines detergant, & à putredine tueantur. Cap. XV.

TAnta est in hisce vulneribus neruorum, ac tendinum attritio, ac dilaceratio, ut in eis vniendis quandoq; vel nullo modo spes esse poßit. Quapropter, cum & ad corrumpendum, suapte natura facilia

facilia ſint & ab aere ambiente adiuuentur, ſumma cura medici in eo eſſe debet, ut tanto malo, quibus poteſt auxilijs ſubueniatur. Ac ſi aliter fieri non poßit, cum certa ſit corruptio, & neruorum diſtentio, uel prima curatione, ferro recidantur. Præcipit enim Auicenna punctum neruum, ſiue aliquo pacto inciſum, ac multo magis attritum, & corruptione paratum, unde mox diſtentio timenda ſit, tranſuerſum amputandum eſſe, quod ante eum, & Galenus aſſerit. In ijs enim inquit qui per tranſuerſum percußi ſunt, reliquum tendinis ipſe amputo, ut tuta ſit mihi curatio. Prodeſt itaque à principio neruoſas partes detectas, præter Bezaarticum medicamentum; quod ſupra poſitum eſt, puluere ex tutia præparata ſuper inſpergere. Qui ſi non ſit, puluis ex calce viua ac decies elota, atq; exiccata idem præſtabit. Præſeruat enim à corruptione, & iam factam tollit. ij ſanè pulueres, & in digerẽdo vulnere ad ſeptimum, undecimum, uel quartumdecimum diem, ubi medicamento ex terebintinæ & uitelli oui æqua portione uſus fueris, accommodatißimi ſunt. Quod ſi adhuc lenta, ac difficilis fuerit neruorum curatio, iiſdẽ pulueribus uti licet, linamentis in roſaceo melle intinctis, quo etiam tempore, tutiæ, uel calcis uiuæ puluis omittendus non eſt. Fit etiam vnguentum ex mellis, ſucci apij ſingulorum ſemilibra, ſucci abſynthij ſexcuncia, quæ ad mellis craßitudinem ferueant, adiectis deinde terebinthinæ venetæ vncijs tribus: tutiæ ſemuncia, euphorbij dragmis duabus,

4.4.tract.1. Cap.3.

De compo. medic. Lib.3

farinæ ordeaceæ dragmis tribus, mane, & uesperi uti potes linamentis eo illitis, sinus omnes replendo. In cholericis autem, & calido anni tempore puluis inijci potest, qui constat ex tutiæ præparatæ semuncia, & euphorbij dragma, & viuæ calcis decies elotæ sesquidragma. Mirificè neruos detergit, à futura putredine præseruat, & vulnerum concaua carne implet. In frigidis autem habitationibus, uel tẽperatis, & in frigidis locis, puluis è tutiæ præparatæ, et euphorbij pari pondere quàm optimus est; sine enim dubitatione detergit. Verum si de cangrena, vel alia corrosione timendum sit, ægyptiaco suorum simplicium æquis portionibus confecto, & pulueris paulo adiecto occurrendum est, uel, si non sufficiat, arsenici paulo sublimati. Postremo si ne hæc quidem prosunt, uel ob aliquam etiam causam nolis uti, ad candentis ferramẽti opem confugiendum est: ex quo certa tibi auxilia promittuntur, & cum recreatione membri. ad crustam deinde curandam, gignendam carnem, ad cicatricem inducendam medicamentis incumbendum est, quæ sane plurima à veteribus, ac recentioribus posita sunt.

De inquietudine, vigilia, dolore, et quo pacto curentur. Cap. XVI.

Sclopetorum, siue archibusorũ vulnera fere semper vigilia insequitur, ac inquietudo, quæ vel de acerrimo dolore, vel alia de causa oriuntur; & cum frequen-

frequentissima hæc sint, deteriora tamen etiam incidunt, somni scilicet priuatio quæ de uitam auferentibus est (ut scribit Auerrois.) Vires enim naturæ debilitantur, cruditates fiunt, atq; ita morbus increscit. Somnus etenim (ut ille ipse inquit) ligamentum virtutum est, atq; earũ confirmatio, quemadmodum superflua vigilia, dissolutionis, & imbecillitatis virtutum omnium causa est. Quamobrem totis viribus peruigilanti ægro succurrendum est, ne tanta fiat cerebri exiccatio, ut mox occurri non possit; quo fit si incõtuso, uel consumpto, papaueris albi semen iniijceris, uel lactucam decoctam ex aliquo iure dabis; quibus si non profeceris, duabus horis à cena calidam potionem, uel frigidam (si mauis) assumet, quæ fit ex syrupi papaueris vnciis duabus, & aquæ lactucæ, uel nenupharis, vel cucurbitæ; vel solatri vnciis quatuor, ex quibus magna quies oriri solet. Quod si tamen non fiat, ex Philonij romani scrupulo, & saccari rosacei; & electuarij, diamusci nucis, singulorum media dragma; inauratus bolus post cenam horas tres, uel sub aurora ieiuno dandus est; uel potio ex ijs cum lactucæ aqua, & vini albi paulo, tutissimum medicamentũ est, & magna ui ad somnum conciliandum, & leniendum dolorem. Prodest etiam multum, vnguenti populeonis, & olei Mandragoræ æqua portione tempora illinere, quod et ualẽtius fuerit, si opij grana duo adijciantur, aut Mes. catapotium unum, vel duo ex lingua canina assumantur, aut ex ijs, quæ in destillationum morbis cõ-

mendantur. Aut Petri à Tusignana catapotium vnum, ex ea compositione quæ fit ex opij, croci, cassiæ ligneæ, singulorum dragmis quatuor; detur dormituro ex uino albo, si ægri vires huiuscemodi medicamenta patiantur.

Quo nam pacto neruorum distensio, seu conuulsio curetur. Cap. XVII.

QVanuis ab Hippocrate, ac cæteris medicæ rei professoribus dicatur neruorū cōuulsionem in vulneribus lethalem esse: non tamen nonnullos eo morbo laborantes, dijs bene iuuantibus, ad sanitatem perduximus. Ponam infra quibus remedijs sumus vsi, vbi cæterorum aliquot recensuero. Itaque, præter cætera quæ in tam prauo symptomate medicamenta passim adhibent, oleum est ex decocto euphorbij calidum vniuerso corpori illitum, ac maximè inguinibus, & alij cum lana succida, vel pellibus duabus & madentibus, anteriora, ac posteriora corporis fouendo, quæ ne frigescant, calidi olei iteratione cauendum est. Occiput item inungunt olei spicæ nardi, nucis muscatæ, irini, hyperici, chamæmelini, axungia gallinæ singulorum semuncia, alij addunt vitæ aquæ septies eliquatæ sescunciam, quo magis penetret, reficiatque. Alij corpus, vel membrum in oleo balneo immergunt. alij omentum vaccinum, vel alterius animantis calido oleo madens membro affecto vertebrisq; superimponunt.

Alij

Alij balneo ex oleo herbas conuulsioni conferentes adijciunt, vt sunt anetum, chamomilla, absynthium, ruta, hypericon, iua artetica, centaurum, bettonica, ticas, chelidonia, radices ireos, radices altheæ in vino albo decoctæ, & cum oleo sabino mixtæ. Sed facilius morbi huius curationes intelligentur, si qui sint eius effectus, ac species breuiter ostendero. neq; enim alius importunior, acutiorque morbus est, vt inquit Cel. his igitur quodam rigore neruorum (vt ille ipse ait) modo caput scapulis, modo mentum pectori annectit, modo rectam, & immobilem ceruicem intendit. Priorem Græci (opisthotonon) insequentem (enprosthotonon) vltimum, tetanon appellant. Qui sanè morbi ea qua dixi ratione curantur. Verum si per ea medicamenta parum proficitur, aqua vitæ eliquata (vt supra) adhibita prius vehementi frictione affectum membrum madefiat. Mox ardenti candela admota flammam concipiat, dum ea ipsa per se se extinguatur. Idque toties fiat in die, vt pustulæ, atq; intercutaneæ adustiones appareãt. fieri enim potest, vt primo non oriantur, tam leniter flamma eam aquam lambit. quæ aqua si forte non fuerit, xilon, vel stupæ per spinæ vertebras (si opisthotonos fuerit) tenuißimè extendantur, vel per anteriorem thoracem (si emprosthotonos sit) atque igne incendantur, adauranturq; dum ex se se flamma moriatur. Sed illud interim aliquo ligni cuneo prouidendum est, ne inferiores maxillæ superioribus ita annectantur (quod his morbis fieri cõsueuit)

uit) vt nullo modo cibus aſſumi poßit. Etenim ſi id fiat, mors inſequatur (ut nemo ignorat) neceſſe eſt. Remedium inſuper ea in re præſentaneum eſt, ſi iunctura ipſæ maxillarum vtrinq; abraſis pilis (ſi fuerint) aqua vitæ, uel xilo inurantur: quomodo ſupra dictum eſt. Oleoq́; ex euphorbio perungantur, vel quali in occipitio utuntur, ut ſupra retulimus. Quod ſi hæc non ſufficiant, ultimum in tetano; atque opisthotono remedium eſt, ad cādentis ferramenti opem tranſire, atq; eo tertiam, quartam, & quintam ab occipite vertebram ad membranam vſq; vel ad os etiam, (ſi illud parum ſit) adurere. Pari ratione in emproſthotono furculæ partes, tum anteriores, tum poſteriores, atq; earum mediæ, ad uſq; oſſa igne curandæ ſunt, atq; idem in tetano. nec interim omittendæ ſunt vnctiones quas dixi, à quibus multum auxilij ſperandum eſt. Sed aduſtio quaqua uerſum ciceris magnitudinem non excedat, rotunda figura, vel ouata. Adhæc multum profuerit, ſi cerebrum aliquibus ex ijs quæ ad id faciunt; recreetur; ac ſi electuario pliris palatum inungatur. Vel morſellos (vt vocant) ſub lingua æger retineat, qui ex puluere fiunt electuarij pliris, vel diamuſci dulcis, uel di ambræ, uel ex his omnibus (vt fieri conſueuit) cum aqua betonicæ, & ſaccaro. Theriaca inſuper, vel mitridatium palato perſæpe illinendum eſt. Puluere item caput, prius attonſum (ſi per morbum, & uires liceat) inſpergendū eſt, qui fit cantaridum, amotis capitibus, ac pennis ſeſcuncia, carbonum ex viti

bus vncijs duabus, & salis vncia, tum lineo panno mundo velandum, & calidis brasicæ folijs totum fouendum est. Atq; hæc toties repetenda, vt pustulæ fiant, & aqua, & sanies multa erumpat. Idque per dies quindecim, aut viginti ita sæpe iteretur, ut cerebrum ab omni interiori abscessu liberetur. Quibus peractis emplastro, totum caput illinatur, quod fit ex emplastri betonicæ, cẽtaurij, emplastri etiam (vt dicunt) gratiæ Dei, diaquil. maioris, cum gummi, oxicrocei, ceræ citrinæ, picis naualis, singulorum sescuncia. Quæ lento igne dissoluenda sunt, & vsui magdaleones seruandi. Ac insuper tota curatione aduertendum est, vt aluus aliquo ex soluentibus moueatur.

De maiorum bellicorum fulminum contusionibus. Cap. XVIII.

QVanquam de sclopetorum, siue archibusorum vulneribus priuatim dicere instituimus, quoniam maiora bellica fulmina, ut muscettæ, ut colubrinæ, ac cætera generis eiusdem, tanta impressione, ac vi feriunt, vt mortem vel semper inferunt, non tamen alienum instituto nostro visum est, si de ijs etiam aliquid dicatur. fieri enim forte fortuna potest, vt non semper interimant, sed contundant tantum, vel ictu, vel etiam spiritu, vt superiore libro dictum est; atq; ita, vt medicamentis interdũ subueniri poßit. Dicemus itaq; de eorũ contusionibus

nibus

nibus, quæ ſine vulnere fiunt, nam quæ cum vulnere ſunt, vt ſclopetorum, curabuntur. ne quid huic noſtro labori (quantum in nobis fuerit) deeſſe videatur. Atque ægri hac etiam parte adiuuentur. Contuſionibus igitur, quæ à maioribus bellicis fulminibus fiunt, longè ſæuiſsimi effectus oriuntur, ſi ab initio maximè, non rectè curentur. Si quidem modico ſpacio mẽbra corrumpũtur. Quapropter ſiue carnoſa, ſiue neruoſa ſint, à principio medicamentũ adhibendũ eſt, quod fit ex albo ouorum duũ, olei sãbucini, olei roſacei, ſingulorũ ſeſcũcia. Quæ ſimul agitata, ſtupis, et linteo imponãtur, vt moris eſt, ſed prius illita ſint, calidis hiſce vnctionibus, quas ſupra dixi. Quod ſi ſambucineũ, vel roſaceũ oleum non ſit, ouorũ alba cum altero tãto myrtei olei, violacei, et nenupharini, & ſalis ſemuncia agitentur, vel cum vnguento roſaceo, & populeone, & infrigidante Galeni imponenda ſunt. Verum ſi ne hæc quidem ſunt, ex olei ſucci ſolatri, & plantaginis, & lactucæ, vel alterius refrigerantis herbæ æqua portione, & ſalis aliquo adiecto, lineo panno madente frequenter membrũ fouẽdum eſt, deligandumq́; inſuper eſt non admodum arctè, ne dolor moueatur, attrahanturq́; humores, & locus inflammetur. Nec nimis lente, ne plurimo ſanguine cõcurrente quàm citiſsimè abſcedat: commodior itaque inter vtrunque ligatura fuerit. Secundo verò die ouorum duum albo cum vitellis, atque olei amygdalini dulcis, roſacei, ſambucini, & chamæmelini ſingulorum ſemuncia, & ſa-

lis triti altero tanto contusio curetur vt supra, infusa prius, vel illita iјs vnctionibus quas supra posui, atque in quartum vsque diem procedatur, & bis in die, si dolor vrgeat, semperq́; experiatur Medicus, an locus, nec ne, sensum habeat, quod si hebes, vel Medicus sit, ad vlteriora transeundum non est, antequam scarificationes fiant, vel intercutaneæ, vel altiores, prout membra carnosa, vel neruosa fuerint, vt ex iјs sanguis multus erumpat. Hoc enim remedium (vt inquit Auicenna) laborem excusat, Fē.3.4 Can. Cap.3. idest membrum, ne emoriatur, efficit: deinde autem scarificatus locus lixiuio, & sale detergendus est, vel aceto, vel vino, sale semper adiecto, vel aqua marina, vel salsa artificiose facta, & calida: superimponēdum deinde emplastrum aliquod, ex iјs quæ diximus, bisq́ue die repetatur, dum ex toto fuerit resoluta contusio. Verū si sensus integer semper fuerit, & contra diminuta contusio, scarificationibus opus non est. Sed cum resoluentibus procedendum, & sanguinem contusum carminantibus: delinendus itaq; locus est ex olei chamæmelini, amygdalini dulcis, absynthiј, rutacei, aquæ vitæ, singulorum vncia, ac dimidia. Super autem emplastrum imponendum, quod habeat florum chamomillæ, meliloti, hyperici, sticadis, absinthiј aridi, singulorum sesquimanipulum, farinæ seminis lini, & fœnugræci, & hordei, & fabarum, singulorum selibram, sapæ sesquilibram, olei amygdalini dulcis, & amari, & anethini, vtriusque liliј singulorum sescunciam, & vini albi

albi; quantum ſatis eſt. Quod ſi adhuc lenta, & difficilis ſit ad reſoluendum contuſio, & ſanguis ad diſoluendum, fomentis adiuuanda eſt. Itaq; ſpongiæ ex eo decocto expreſſæ imponantur, quod fit ex chamomillæ, anethi, ſticadis, betonicæ, centaurij minoris, chelidoniæ, hyperici, ſanſuci, minoris, & maioris ocymi (baſilicum vulgo dicunt) ſeſquimanipulo. Quæ cum vino albo decoquantur; atq; his locus bis die foueatur, perungatur, emplaſtrumq; imponatur, vt ſupra eſt dictum. In declinatione autem cæratum aliquod ex his quæ capiti conueniunt, applicandũ eſt, ut illud eſt, quod fit ex betonicæ, vel centaurij, vel chelidoniæ, uel gratiæ dei, uel diachilo. maioris, & minoris; vel generis eiuſdem. Si quid autem in pertractãdo membro fracti oßis inueniatur, inſtaurandum eſt, deligandusq; locus ita eſt, vt commode contuſio detegi, ac curari poßit.

De aduſtionibus curandis. Cap. XIX.

PRima curatione remedium quamoptimum eſt, quod conſtat ex oui albo; & vitello, atque olei roſacei altero tanto, violacei, & myrtini, & quantum eſt eorum omnium pondus, aqua roſacea: vel plantaginis, vel ſemper viui, vel ſolatri, vel cucurbitæ, quæ ſimul agitentur, ut aſſolet, & cum lineo panno frigida (ſi tempus anni calidum ſit) atque è diuerſo, tepida imponantur, ſingulisque horis mutentur. Fieri autem medicamentum poteſt ex prædictis

dictis aquis, vel ex earum aliqua, cum rosacei pari pondere, atque eodem modo imponi. Maxime item initio adiumenti est, si ex lactis humani, vel alterius, aquæ rosaceæ, & olei ex rosa æqua portione fiat, atque eodem modo vtamur. Item si ex vnguento populeone, refrigerante Galeni, & vnguento rosaceo, & sandalino, & lacte humano adustio leniter penna illinatur: & pãnus aqua rosacea madens, vel semper viui, vel plantaginis, frigidißima (si æstus sit) tepida (si frigus) superimponatur. Non illaudatum insuper medicamentum est, quod ex luto armenico orientali, terra sigillata alexandrina, lacte humano, & aqua solatri, vel rosacea fit, & penna (vt supra) adustioni imponatur, & adiacentibus locis; atq; ita frequenter, ut exiccari non poßit, donec dolores, & punctiones mitigentur. Fit etiam ex oui albo, et braßicæ foliorum succo, siue eius caulis simul agitato, aut ex crudo latere, vel eius luto cum aqua fabrili, ad mellis craßitudinem dissoluto, & frigido, & frequenter superimposito. Nec violenter crustæ amoueantur, sed sponte sua dicidant. Ex bolo item armenico, & terra sigillata, et macra, cum oleo rosaceo, vel aqua plantaginis vel rosacea medicamen fit, quo lineis pãnis frigidißima aqua madentibus superimpositis, locus refrigerandus est, ac ita sæpe, ut exiccari non queat. Vtilißimũ præterea est, quod fit ex calce elota, bolo armenico, terra sigillata, macra, cum oleo, & aqua rosaceis, atq; eodem modo illitum. Quod si medicamenta hæc non sint,

decoctum ex maluis, porris, vel cœpis, rapis, ſolatro & beta, vel lapatho acuto, cum aqua ad mucillaginis (vt ita dixerim) craßitudinem, & ſingulis horis (vt moris eſt) imponatur. Fit quoq; ex cimolia, oleo, & aqua roſaceis, ac mire prodeſt. Quæ omnia initio (hoc eſt) à primo aduſtionis die ad ſeptimũ, vel nonum tutißima remedia ſunt. à ſeptimo autem vel nono die, vbi dolor, punctio, atq; inquies remiſſa eſt, & vlcus bene coloratum, ac ferè mundum, ad cutem, ac cicatricem inducendam animus vertendus eſt. Quod fit, ſi ex vnguento calcis vſitato, ſambuci, vel plantaginis, vel betæ folia illita imponantur, ac bis, terúe, in die innouentur. Illini etiam poſſunt vnguento albo caphurato, & vnguento ex plumbo, quod ex oleo roſaceo, cæra & plumbo combuſto fit.

Ex vnguento item pompholigos, ſiue ex tutia, ex vnguento ex minio cocto, vel crudo. Quod ſi hæc etiam vnguentorum genera non ſuffecerint, accommodatißimum eſt, de ſambuco, quod hoc modo fit, corticũ videlicet ſambuci viridium ſelibra, olei roſacei vncijs octo, quæ vbi lento igne ferbuere, atq; ex colata ſunt, cæræ albæ ſeſcuncia, ceruſſæ tenuißimæ vnc. iij. addendæ ſunt, ac ſimul agitãdæ. Cicatricem bis breui temporis ſpacio & minus turpem induxeris. Super item inſpergendus puluis eſt ex tutiæ præparatæ ſemuncia, æruginis ad nigredinem combuſtæ drachmis duabus, aluminis ſaccari drachma vna, balauſtiorum vncia vna. Aut vnguentum le-

e in plumbeo mortario fiat ex plumbi vſti eloti, tu-
æ lotæ, lithargiri loti, ceruſſæ lotæ, ſingulorum ſe-
uncia, cum roſ. immaturo, aut myrteo, & ſolatri
ucco; aduſtioni ſemper mirificè prodeſt. Cinis item
olūbini, vel caprini, vel bouilli, vel arietini ſter-
oris. Item ex myrto, aut tamarice, aut lentiſco,
ut communis cinis, aut conchiliorum, cum roſaceo
ut myrteo illitus quàm optimus ſemper eſt. Quod
aduſtio ad corruptionem, vel corroſionem tranſi-
e videatur, tum eo modo curetur, quem vlceris ma
ignitas requiſierit. Ratio autem victus, & meden-
i in aduſtionibus talis adhibeatur, vt ab abſceſſu,
r corruptione metus nuſquam iure eſſe poſſit.

De oſsibus aduſtis, & quo pacto ab aceruata putredine liberentur. Cap. XX.

IN hiſce autem vulneribus frequentiſsime oſſa, &
multis etiam de cauſis alterantur. Quandoquidē
duſtio vehemens ita ea deſiccat, vt nullo vnquam
nodo inſtaurari poſsint. Quinimo ad fiſtuloſas con-
auitates perducuntur, abſcedunt etiā propter mul-
ā ſaniem, ac putredinē, ita vt nullus quandoq; ſani
tati locus eſſe poſsit. Alterantur itē ab aere ambien
te, aut propter aliquod medicamentum malam qua
litatem imprimens, ſcilicet, vel plus iuſto deſiccans,
vel plus ſatis humectans. Ob alias etiam cauſas cor
rumpuntur, quas enumerare non neceſſe eſt. Quæ

oſſa

ossa corrupta, cum naturæ munere sanari non possunt, vel propter eorum magnitudinem, vel ob altam, longam, ac latam corruptionem, artis beneficio curanda sunt, ne totum membrum, vel iunctura corruptione afficiatur, officiaque eorum impediantur. Proprium etenim est, quod à putrido tangitur, putrefieri, & à corrupto, corrumpi. Quare necesse est, vt à docto artifice ad vsq; sanas eorũ partes opportunis instrumentis abradantur. Nec te moueat recentiorum atq; Auiccennæ sententia, scilicet, melius esse in extractione oßium violenta non festinari, & quæ sequuntur: illud enim de ea praua, ac violenta extractione intelligendum est, qua nerui, & venæ dilacerantur, & oßium pars maior sana, quàm corrupta dißipatur. Quæ profectò inconueniens curatio dicenda est. Satius igitur fuerit cum Auicenna eodem loco dicere, curruptionis oßis, curationem esse ipsius fricationem, destructionem, abrasionem, aut serrationem. Præstantiorem autem modum, cum suis instrumentis esse fricationem. Verum in iuncturis, aut spongia, aut aliquo alio pacto vulnus ampliandũ est, vt oßis corruptio digito contingi poßit. Quæ cognita sensim: ac per interualla temporis ita abradenda est, vt nihil eius omnino relinquatur. Peritus chirurgus quid corruptum, quid syncerum sit, facile cognouerit. In cæteris autem locis, vbi scilicet iuncturæ non sunt, (modo sine noxa magnæ venæ, vel nerui fiat) vitiosum os ita detegẽdum est, vt ad sensum oculorum, & tactus chirurgicum

cum opus perfici poßit. Quod sensim, & per interposita tempora (vt diximus) & sine dolore (quantum in artifice est) fieri debet, ne affligetur æger, & locus ex dolore abscedat. Quoties autem abrasio fit, aridis linamentis vulnus implendum est: vt sanguinis fluor facilius prohibeatur. extrinsecus autē, et digerentia, & quæ dolorem leniunt, & humorum concursum vetant, imponenda sunt. Quod si oßis corruptio ita leuis appareat, vt sine manus ope curari poßit, Auicennæ puluis quam optimus est. Mihi autem etiam probatißima remedia sunt vitriolum combustum, vt vocant, atq; oßi denudato super insparsum aridis linamentis informato vulnere vt moris est. Aut cæratum aliquod, vel vnguentum ex attrahentibus, aut puluis, qui ex euphorbij, vitrioli combusti, ireos, radicis peucedani, & lumbricorum elotorum in vino, ac furno exiccatorum, radicis gētianæ, singulorum semuncia; quo totum corruptum os inspergatur. Peracta autem digestione vulneris, & sedato dolore vlcus eisdem abstergēdum est, quæ supra. 15. cap. proposita sunt. Quod si ad carnem super osse gignendā haud satis sunt, linamentis vulnus implendum est, calido iam medicamento illitis, quod fit ex olei, thuris, masticbes, styracis calamitæ, vt vocant, singulorum semuncia, quæ per stillicidiū eliquentur, aquæ item vitæ præparatæ vnc. iiij. thuris, mastiches, sarcocollæ, myrrhæ, ireos, aloes hepaticæ, sanguinis draconis ex lachryma, singulorū drach. ac rodomellis vncia, quæ tenuißime conterantur,

4. Fen. Tract. 4. Cap. 11.

miſceanturq́;. Verum ſi perdifficile curatu ſit fiſtuloſum vlcus, bertipaliæ oleo (matrem balſami vocant) totum perungendum eſt, quod nos quàm ſæpiſſime optimum experti ſumus, imponendumque cæratum ali quod, aut vnguentum ex deſiccãtibus, et bis terue in die curandum, & linamenta breuiora immittenda ſunt, ut commodius conglutinari poßit, ac ne callus interne fiat.

De contractis membris, & qua in ijs curatione vti deceat. Cap. XXI.

INterdum vſu venit, ut curatis vulneribus, membra ita cõtracta remaneant, vt officium ſuum, ac naturalem motionem, vel nullo modo exercere poſſint. Quod ijs potißimum de cauſis fit. Vel quòd fulmineo calore nerui, ac tendines exiccati erunt, vel quòd abſcedentium humorum malignitate oppleti ſunt: atq; ita contracti. vel quòd infirmi, ac debiles ex longo, et difficili morbo euaſerunt. Qui ſane poſt legitimam corporis vacuationem curabuntur, ſi calidis temporibus, calido oleo bis die membrum perfundatur, vel ſi balneum fiat ex olei partibus decem, & vna aceti albi, ac frictio vehemens adhibeatur, affectaq́; iunctura tractetur, moueaturq́; ſine multo tamen dolore. Aut ſi balneum præparetur ex cortice radicis altheæ, vlmi, brioniæ, cucumeris aſinini, ænulæ campanæ, acori, vtriusq; lilij ſingulorum ſemilibra, fænigræci, ſeminis lini, pinguium ficuum, ac da

ctilorum

ctilorum singulorum libra, pedibus arietinis, vel bubulis, bene mundatis numero. x. Intestinorum item pinguium, ac deligenter mundatorum ex arietinis, vel bouillis libris quatuor, adiectis arietinis capitibus duobus, quæ cum aqua ad usq; ipsorum omnium dissolutionem percoquenda sunt, colandaq; & balneo vtendum, vt supra dictum est. Proinde exiccatum membrum ad ignem hoc medicamento perungendum est, quod fit ex axungia gallinæ, anseris, anatis, suis, asini, muli, vrsi, gliris, melis, vulturis, leonis: medullæ item crurũ vituli, equi, asini, muli, cerui, butyri recentis, vtriusq; liliij, olei insuper vulpini compositi, amigdalarũ dulcium, sesamini, laurini, nucis indicæ, muscelini, styracis, bengiui (vt vulgo dicunt) mucilaginis radicum altheæ, fœnigræci, seminis lini, singulorum vncia, croci tenuissime contriti, semuncia, aquæ vitæ præparatæ (vt assolet) selibra, pelleq; vulpina, vel leporina inuolutum deligandum est, ne frigore lædatur. Alterum item ad id medicamentum fit, sed non ita operosum, quod habet vnguenti dialtheæ, agrippæ, marciatonis, cærati ex hyssoponide Galeni, butyri recẽtis, styracis calamitæ, mucilaginis radicum altheæ, fæni græci, seminis lini, armoniaci, opopanacis singulorũ vncia. Aceto dissoluantur, adiecta suillæ axungiæ sine sale selibra; aquæ uitæ septies eliquatæ libra. ex lẽto igne ferueant, adhibenda ut supra dictum est. Instrumenta vero, quibus in extendendis cõtractis mẽbris opus est, peritis Chirurgis inuenienda relinquimus.

De sclopeto, siue archibuso inter manus fracto. Cap. XXII.

Sola hæc armorum dominos suos, æque ac inimicos interdum lædũt, ac tum præcipue, cum inter manus (ut assolet) franguntur. In sexcenta enim discissa frustilla varijs locis percussos eos peßime habent, grauibusq́; vulneribus, ac fædis, & quandoq; morte afficiunt. vidimus ipsi nonnullos, ac Deo propitio curauimus, quibus manus, brachia, pectus, facies misere deturparentur. In quibus vulneribus illud præcipue animaduertendum est, suturam ex toto ab initio alienam esse, quemadmodum, & in omnibus alijs, quæ hisce instrumentis infliguntur. Nulla.n.tunc vniendi spes in tam graui vulnere, venenato, adusto, cõtuso, attrito esse potest. Quamobrem à primo ad quartum diẽ ijs medicamentis, et eo modo, quo diximus, vtendum est. vt ueneno, ut abscessui, ac cæteris malis occurratur. Deinde ad digerentia, ac detergentia transeundum, dum vulnus, & caro ad conglutinandum apta esse videantur: quo tempore sutura iure habet locum, ac cætera omnia, quæ ob eam causam facienda sunt.


Libri Secundi finis.

A L-

ALPHONSI FERII NEAPOLITANI, ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS.

De Sclopetorum, siue Archibusorum vulneribus.

LIBER TERTIVS.



De internis vulneribus. Cap. I.



NTERNA vulnera superioris scilicet, inferioris, ac medij ventris inter sese differunt, prout magis grauia, vel minus fuerint. ordiar ab ijs quæ superioris vẽtris, idest capitis, sunt: quæ grauia quidem certè propter innumeras læsiones, quæ oculis non patent, dicenda sunt. Modo enim eorum fractura ad vtrasq; caluariæ, siue cranei tabellas penetrat, modo ad interiora capitis cum euidenti oßium separatione, vel sine ea, vt asserit Gale. & hæc quidem, quandoque parua, quandoque magna, quandoq; mediocris est, diuersæ tamen figuræ, quod lata, quod longa, quod triangularis, vel quadrangularis, vel alterius generis sit. Tum modo cum vna vel pluribus venarum, vel arteriarum fractionibus, atque in 3. de curandis morbis.

locis non modo vulneri vicinis, sed etiam perquàm remotis, interdumq; oppositis. Quæ omnia fracturarum genera in sclopetorum, siue archibusorum vulneribus longè etiam maiora, ac difficiliora sunt, propterea quod in his omnis fractura est, propter multiplices, ac diuersas causas, quæ una cõcurrunt, ut percutiens, incidens, perforans, & potißimum contundens; cuius proprium est continuitatem soluere, comprimendo, quæ attingit, ad interiores capitis partes: quæ omnia ægros acerrimis cruciatibus, ac symptomatibus usque adeo torquent, ut de vulnere, quantumuis exiguo, metus maximus sit. Fit enim sæpe, vt inquit Auic. vt caluaria findatur, integra cute, quinimo abscedat. Ad quorum omnium cognitionem, cum recentes, tum antiqui plurima per signa, causas, & accidentia literis consignarunt; quæ nos chirurgicæ medicinæ studiosis discutienda relinquimus. Vulnera item pectoris omnia formidolosa sunt, si membra interiora potißimum læsa fuerint, quacunque iter fecerit pila. Propterea quia oßium fragmenta, vel indumentorum, vel armorum, quæ (vt aliàs dictum est) secum fert, ita absconduntur interdum, vt difficulter indagentur, ac difficilius extrahantur. quin etiam, & si absque interna læsione vulnus fuerit; ex aduentitijs tamen rerum frustulis facta corruptio, & punctiones hominem tollunt. Sed tanta membranis ligamentis, & oßibus dissolutio fieri solet, tanta continui solutio, tum propter pilæ grauitatem, tum propter dißimi-

les,

les, ac diuersas formas, quas ab occurrentibus rebus acquisierit, illa ignea vi dissoluente, vt sæpe punctiones incisionesq́; faciat, quas ne acutißimo quidem instrumento vel modo vllo quis effecisse poßit. Quare & formidolosa (vt diximus) & curatu difficillima iure dicenda sunt. Inferioris quoque ventris frequentißimè interna lædunt, ita, vt vel nullo negocio, omento, vel intestinis, vel alijs membris officiant, vt ex loco, vbi illata sunt, facilè coniectari potest. In horum igitur vulnerum curatione nihil potius est, quàm vt initio res extraneæ digito, vel specillo inquirantur, inquisitaq́ue diligenter extrahantur, quod facilius fuerit, si ab recenti vulnere fiat, antequam ad ventris, vel pectoris penitiora loca descenderint. Ac si æger ita collocetur, vt in vulnus iaceat, quo sui grauitati eo facilius ferantur. Purgato deinde vulnere ab omni concreto sanguine, prima curatione ad quartum & septimum diem hoc medicamento vtendum est, quod fit ex olei sambucini, rosacei immaturi, vncijs duabus, mastićini, mirtini singulorum semuncia, succi perforatæ sescuncia, theriacæ semuncia. Quæ decem dies exponantur in Sole, aut ferueant horam in balneo mariæ, quod vocant. opportunis linamentis, hoc est rotundis, vel longis, vt vsus exigit, vulnus implendo. Nec interim omittenda sunt cætera, quæ ab authoribus proponuntur, vt ligatura decens, vt linamentorū sutura, ac cætera generis eiusdem. Medicamentum insuper hisce nobilibus membris accommoda-

tißimum, ac tutißimum est, & mihi quàm familiarissimum, quod fit ex centaurij minoris sesquilibra, vini albi, vel sanguinei odorati libris xv. quæ, vbi ad dimidiam partem ferbuere, & excolata sunt, sapæ libris x. adiectis, rursus ad vini consumptionem ferueant, eo tota curatione vti potes. Cum hoc etiã medicamento, & cũ cæteris omnibus, quæ diximus, digerens id adhiberi potest, quod cõstat ex terebinthina, butyro, rosaceo, & oui luteo, vel ex eorũ aliquo. possunt etiam & alia digerentia, detergẽtia, & carnem gignentia adhiberi, prout vsus expostulat. Fouendusq; locus est eo cataplasmate, quod habet farinæ fabaceæ, ac miliaceæ singularum selibram, succi nepetæ, vel eius decocti ex vino albo libram, butyri recentis, adipis suillæ, nec salitæ singulorum vncias duas, despumati mellis, quantum satis est, vini albi optimi selibram. His enim medicamentis maxima contra venenum, atque abscessum vis est, miro quodam lenimine, quibus, si opus sit, vel tota curatione vti poßis. Huc etiam accedunt omnia emplastrorum genera, vt hysis Gal. vt gummi elemi, vt betonicæ, vt centaurij, vt gratiæ dei, ac diapalmæ, Gal. toties repetitum, & in omni vulnerum genere commendatum, ac cætera omnia, quæ medica facultate vsitata sunt. Quod si de interna inflammatione timeatur, refrigerantibus, ac remittentibus lotionibus, vt in alijs vulneribus fieri consueuit, occuratur, rosaceum immaturum iniectorio instrumento (vt vocant) immittendo, vt cõcaua omnia replcantur,

tur, ac potißimum, si de sanguinis fluore metus non est. Aut fiat lotio ex aquæ rosaceæ, plantaginis, portulacæ singulorum selibra, saccari rubri, syrupi rosacei vncijs duabus. Aut ex aqua hordeacea, aut ex decocto hordeaceæ farinæ, aut amyli hordeacei, cum sacaro rubro. Lotionibus item uti poteris, quæ ab authoribus ponuntur. Postremo remedium non prætermittendum est in thoracis vulneribus quàm vtilißimum, vbi sanguinis plurimum à principio retentum est, vel sanies procedente curatione coaceruata. Tunc enim inter quartam, & quintam costam infra vulnus incisio faciēda est, hoc modo; mensuretur longitudo à pomo stomachi granato, vt vocant, ad quartæ vel quintæ costæ vertebram; deinde replicato filo eadem linea ab eodem pomo repetatur dimensio, & qua finis erit, quod medium fuerit primæ longitudinis, vertebras versus incidatur ad pleuram vsq;, non vna tamen sed pluribus sectionibus; ne ea ferro contingatur. Etenim vngue, non ferro incidenda est, ne cum ægri periculo interiora mēbra vulnerentur. Quod à curantibus maximopere aduertendum est.

Quæ medicamenta tota curatione intrinsecus adhibenda sint, ac de fistula curanda. Cap. II.

Contra venenum medicamenta vim habere debent, solutasque partes internas vniendi, quale

le illud eſt, quod conſtat ex cõſolidæ cum radicæ, terræ ſigillatæ, cẽtaurij minoris ſingulorũ drachma vna ſi ex ijs puluis fiat, & cum vino ſanguineo, aut aqua plantaginis, aut roſacea, aut portulacæ detur, ad quartum, aut ſeptimum diem tribus horis ante cibum. Vel ex ijs bolus, cum ſaccaro roſaceo, & diaborraginato, vt dicunt, aſſumpto deſuper aut vino, aut aqua aliqua ex prædictis. Aut puluis à nonnullis authoribus commendatus, qui fit ex perforatæ, vencetoxici, radicis & foliorum inulæ, & potiſſimum quæ ex ægipto eſt, ſeminis raphani & foliorum; dictami albi, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, lactucæ ſingulorum ſemuncia: de quo drachmæ duæ eo modo, quo ſupra, dentur. Aut vnciæ duæ, è ſuccis herbarũ quas dixi. Aut fiãt morſelli cum ſaccaro & aqua acetoſæ, vt moris eſt. Mihi vero ſemper præſto ſunt ex ijs herbis per æreum ſtillicidium factæ deſtillationes, è quibus vnciæ duæ calidæ vel frigidæ horis duabus ante cibum, vt ſupra, præbeantur. Vel etiã paruæ theriacæ quæ ex lauri baccarum fit, vncia vna, terræ ſigillatæ alexandrinæ, vel ſigillatæ communis drachmis duabus, & in tenuiſſimum puluerẽ redactis, adiectis deſpumati mellis libris duabus, & lẽto igne cõcoctis, ex qua theriaca drachmæ duæ cum ſaccaro roſaceo, vel cum bugloſato in vino albo, vel nigro aſſumantur. Aut theriacæ magnæ drachma vna, eodem modo. Quæ omnia medicamenta, vel eorum aliquod ab inflicto vulnere ad quartum, vel ſeptimum diem, vt ſupra dictum eſt, vel

etiam

etiam ad quartum decimum, si opus sit, quin etiam tota curatione quàm rectißimè dantur. Cæterum medicamentum, quod pigmentum vocant, recentiores, atque eo (pace eorum dixerim) paßim abutuntur, mirificum est, si legitimè vtamur. Ego etenim in thoracis vulneribus fistulosis, quibus carne implendis spes nulla esse videretur, & saniei profluuio exiccando, & corpori iam tabe affecto implendo feliciter cum successu (Dijs gratia) semper adhibui. Id fit ex pilosellæ, pimpinellæ cum radicibus, gariophilatæ, radicis gentianæ, atque arthemisiæ, matrum violarum, subrubentium braßicæ veteriorum foliorum, cimarum cannabis, senationum, rubiæ, quæ bene mundatæ sint, singulorum manipulo uno: cinamomi, galangæ, cardamomi, meligettæ, garyophillorũ singulorum semidrachma, vini albi odorati libris viginti, quæ vbi ad dimidiam partem ferbuere, diligenter exprimito, & excolato, & despumati mellis libras duas addito; rursus lento igne in vitreo vase ad libræ vnius consumptionem concoquito: ex eoq́; calida selibram, aut vncias quatuor, sub auroram quatuor horis ante prandium dato. Potest etiam fieri ex ijs electuarium, & ex eo semuncia, mox aliquid vini albi assumi, præterquam in canicularibus diebus, ob ipsius simplicium calidã vim. Conficiuntur etiam tabellæ (vt vocant) cum saccaro, & aqua ros. vt gustui, & ventriculo, medicina iucundior sit, cum eo, ne interim vini potio, vel plantaginis, vel portulacæ aqua omittatur. Illud

po-

postremo non ignorandum est saluberrimum medicamen hoc non nouum (vt Recentiores voluere) sed Mes. antiquum inuentum esse, vnde mox Dinus Florentinus, & recentiores cæteri acceperunt.

Quæ medicamenta intrinsecus assumpta sanguinem supprimant. Cap. III.

SAnguis ex internis membris, vt Gal. & Auic. tradiderunt, plurimis de causis erumpit. Sed nos de eo præcipuè hoc loco verba facturi sumus, qui ex incisione, aut fractura, aut contusione fertur, quod quidem difficile curatu est; nisi festinanter subuenias, antequam abscessus fiat, aut resoluantur vires, aut morbus insanabilis efficiatur. Quod sanè fiet, si primo, vel altero die puluerem dederis, in quo sit thuris, mastiches, mumiæ, sanguinis draconis ex lachryma, cornu ceruini vsti, coaguli leporini, vel vitulini, singulorum drachma. Scilicet, ex eo drachmas duas in vino nigro, vel aqua plantaginis, vel rosacea. Aut catapotia fiant cum succo corrigiolæ, vel plantaginis, è quibus vnum ante prandium, alterum ante cœnam assumatur, dum sanguinis fluor vel ex toto suppressus, vel diminutus sit: quod etiam in omni sanguinis effluxu ex internis locis præsentaneum remedium est. Aut detur potio, quæ fit ex trociscorum, siue pastillorum ex charabe, ex terra sigillata, ex stella singulorum scrupulis duobus, cum vino nigro, aut aqua plantaginis. Aut bolus sit cum sac-

saccaro rosaceo vetere, & super aliquid vini deglutiatur, vel aquæ, ex prædictis. Aut (si mauis) fiant catapotia cum succo arnoglossi, quæ modo eodem assumantur. Hi autem pastilli, quos dixi, in extremo hoc capite describentur. Dari etiam potest Mes. puluis, qui constat ex reubarbari parum torrefacti, mumiæ, terræ sigillatæ singulorũ dimidia drachma, cum succo, vel aqua plantaginis, aut vino sanguineo horis duabus ante cibum. Aut potio fiat ex balaustiorum, siue corticum malorum granatorum, siue eorum arborum, glandium viridium, aut aridarum, sumach, teneritatum vitium, rubi, virgæ pastoris, rosarum immaturarum, myrtearum baccarum, singulorum semuncia, quæ ferueant in vino nigro, aut aqua pluuiali, in qua candens ferrum extinctum sit, è quorum colatione vnciæ tres per horam ante prandium, & ante cœnam assumantur. Quod si his sanguis vinci non poßit, ad narcotica confugiendum est, uelut ad id, quod fit ex philonij Romani scrupulo, & saccaro uetere: ex quibus factus bolus per horas quatuor ante prandium, & ante cœnam deuoretur. Aut recentis theriacæ drachma cum saccaro rosaceo uetere, uel recenti, & super aliquid uini, uel aquæ assumatur. Dari etiam potest catapotium ex cinoglosso, tribus horis ante cibum. Præter hæc omittenda non sunt medicamenta, quæ extrinsecus adhibentur, ab Hippo. ac cæteris authoribus commendata, ut est auersio, seu deriuatio sanguinis à superioribus ad inferiora, &

con-

5. de curãdis morbis cap. 3. contra: ueluti Gal. ex authoritate Hippocratis asserere uidetur: sanguine, inquit, è naribus multo exeunte cucurbitula lateri imponenda est. Sed tamen si fluxus sanguinis è nare dextra emanarit, super hepar, si sinistra, super splenem, si ex utrisq;, super utrũq; cucurbitulæ magnæ affigendæ sunt. Subdit etiam idem author: si æger non dum defecerit, & uirtus seruata sit, sanguis è uena brachij, quod nari oppositum est, mitti debet. Sed paulatim, ac repetita detractione, prout uires ægri patientur. Similiter faciendum est in omni materia, quæ in aliqua corporis loca defluxerit: ad uicina enim, uel opposita loca auertenda est. E quibus uerbis seriem auertendi conijcimus, ut sanguinis fluorem sistamus. Omni enim industria cruor profluens per opposita loca extrahendus est. Particula præterea affecta, & quæ illi uicina sunt, lineis pannis aquæ rosaceæ & aceti æqua portione madentibus, aut quibusdam refrigerantium herbarum succis omni diligentia refrigeranda sunt. Supprimitur etiam sanguis aquæ frigidæ potione. Sed interim commonefaciendus est æger, ut quiescat, ut sileat, neque uehementer anhelet. Corpus quoque deligandũ est, siue extrema à superiori parte ad inferiorem, & 5. meth. cap. 5. contra. Hæc Galenus ferè. Verũ si de aceruato sanguine, & concreto in thorace metus sit, plurimum aceti cum aqua ægro potui dandũ est, ut liquescat. Quod bis, terúe in die, interpositis triũ horarũ spacijs repeti potest. Quod sanè præsentissimum remedium

dium esse solet: ubi uerò sanguis resolutus est, medicamenta uiscosa, conglutinantia, stipticaq; primo cum aceto aqua commixto, deinde potione ex cotoneorum decocto, & myrti baccarum, & similium astringentium, mane & uespere duabus horis ante cibum danda sunt. Opitulantur etiam cibi, & potus, qui astringentis naturæ sunt: vel iura sola vel contusa ad quartum usque diem, prout uires imbecilles sunt. Sed iam pastilli (quod supra polliciti sumus) describantur.

Pastilli ex charabe.

FIunt pastilli ex charabe drachmis sex. Cornu ceruini adusti, gummi arabici, coralij adusti, draganti, acaciæ, hypocistidos, balaustij, mastiches, lactis papaueris nigri aßi, singulorum drachmis duabus. Thuris, croci, opij, singulorum sesquidrachma cum mucilaginis psylij.

Pastilli ex terra sigillata.

COmponũtur ex sanguinis draconis, gummi arabici, mirti, foliorum rosarum cum semine, amyli aßi, spodij, acaciæ, hypocistidos, hæmaticis, balaustij, boli armenici, terræ sigillatæ, hebendenegi, coralij rubri, charabe, singulorũ drachmis duabus, margaritarum, draganti, papaueris nigri singulorum sesquidrachma, portulacæ aßæ, cornu ceruini vsti,

thu-

thuris, gallarum, croci, ſingulorum drachmis duabus, cum aqua arnogloßi.

Paſtilli ex ſtella.

COnſtat ex mirrhæ, caſtorei, ſpicæ nardi, caſiæ ligneæ, terræ ſigillatæ, corticum mandragoræ, ſingulorum drachmis quatuor, opij, crocy, coſti, ſtellæ terræ, ſingulorum drachmis quinq; , papaueris albi, drachmis ſex, dauci, aniſi, ſileris montani, ſeminis hyoſquiami albi, ſtyracis liquidæ, ſeminis opij ſingulorum drachmis octo, conterantur ex vino odorato, fiantque ſemidrachmæ pondere, & exiccentur in vmbra.

Catapotia ex Cinogloſſo.

FIunt ex cinogloßi, opij, ſeminis hyoſquiami, ſingulorū drachmis quatuor, myrræ electæ, drachmis ſex, olibani drachmis quinq; , cariophili drachmis duabus, cinamomi, fæcis ſtyracis, ſingulorum drachmis duabus, è quibus quinq; , aut ſex dentur in ſomnum eunti. Non ab re mihi videor hæc commemoraſſe, quanquā uulgo ferè nota ſunt, feci enim, vt ſi forte non fuerint, promptiora tibi ſint aliqua ſaltem ex eorum ſimplicibus, quæ nuſquā non erunt. Vnde ægris auxilia facile peti poßint.

De victus, & medendi ratione.

Cap. IIII.

VIctus ratio in vulneribus capitis, talis eſſe debet, vt caput vaporibus, & malis humoribus non impleatur. Quamobrem à principio, ſi non obſtet

stet virium imbecillitas, tenui victu semper vtēdum est; sin autem, virtuti ante omnia consulendum. In thoracis vero, propter continuam spirituum resolutionem liberalius est agendum. idest cibis, & potionibus non ita parce vtendum: quæ, & multi, & optimi nutrimenti sint, & facile concoquantur. Vt sunt iura, contusa, consumpta, nisi, vt ex Gal. dictum est, sanguis astringendus sit. In eo enim casu exiguus cibus auersionis, & astrictionis causa est. Ego vero tamen hodie non ausim in omnibus cibum imminuere, propter quorundam intemperantiam, qui ob tenuiorem victum facile deficiunt. Potio autem in capitis vulneribus, pectoris, & ventris, aqua pluuialis, chalybeata (vt dicunt) cum saccaro, vel iulebo, vel granatorū vino esse debet, aut cum his aqua ex decocto seminis coriandri, aut nucleorum pineorum, & præcipue in pectoris vulneribus. Cum autem sanguis astringendus est, aqua ex thuris decocto vel mastiches, aut pluuialis chalybeata, aut portulacæ danda est. Nos vero libentißime vinum aqua mixtum à primo die ad sanguinis astrictionem, & virtutis refectionem concedimus. In vulneribus autem inferioris ventris adhibenda omni diligētia cura est, ne cibus excrementitius sit, ne læsa intestina eo grauentur, impleanturq́;, atq; ita vulneris curationem impediant. Sit igitur in septimum, vel quartum decimum diem, ijs, qui fit cum aqua pluuiali chalybeata lento igne ex furfuribus triticeis, aut hordeaceis, aut miliaceis, vehemēter expressa, atq;

m exco-

excolata, ſaccaro adiecto, qua cum ego inteſtina animalium elixo, vitulina ſcilicet, vel arietina, vel hædina, vel generis eiuſdem, atq; cum ſaccaro, aut ſine eo, idem ius ter, quaterq; in die præbeo. Quòd, ſi maiorem exiccationem, & vulnerum conglutinationē cupias, pulueris drachma, quoties cibatur æger, inſpergenda eſt, qui fit ex amyli triticei, vel hordeacei, draganti, gummi arabici, ſanguinis draconis ex lachryma, conſolidæ maioris cum radice, leporinorum pilorum minutatim cōciſorum ſingulorum drachmis duabus, lapideſcentis ſaccari (canditum vulgo dicimus) roſacei, vncijs duabus. Aut oua ſorbilia ſine pane, aut iura gallinacea fere conſumpta, aut decoctum herbæ, cui nomen caudæ equinæ eſt, aut ſuccus capi, vel gallinæ aſſæ cum eodem puluere dandus eſt, vel maſtiche vel tragacantha. Teſticuli etiam gallinacei, & morſelli cum gemmis nec inconuenientes, nec iniucundi eſui ſunt. In regimine autem pharmaceutico capitis vulnerum, illud animaduertendū eſt, quod à Principe ex authoritate Hyppocratis obſeruatur, ne ſcilicet ſuperfluis humoribus impleatur caput, atq; abſceſſus excitetur. Detur itaq; catholic. aut caſiæ ſeſcuncia cum puluere ſtecados aut catapotia maſtichina, aut manna, aut caſia cum puluere Meſuæ ex reubarbaro, mumia, & rubia. In vulneribus vero pectoris ad ſeptimū vſq; diem pharmaca differēda ſunt, ac potiſſimum ſi ſanguinis fluor ægrum infeſtet. In eo enim caſu nihil medicinæ conuenit, niſi aſtringens ex ijs, quæ propo-

Fen. 5. 4. Tract. 3. Cap. 1.

sita sunt. Casia enim propter eius lentorem ab incisis membris prohibendam recte non datur. Quod si tamen ex aliqua causa cogenti danda sit, cum prædicto Mesuæ puluere assumatur. Quo quidem sine ea vti satius est. Præbetur etiam pulpæ tamarindorum sescuncia, aut catholicon, aut manna, quæ medicina omnium præstantißima est. In vulneribus autem ventris, perniciosum ex toto medicamentum est præsertim læsis intestinis. maius enim detrimentum, quàm auxilium afferat, necesse est. Quinimmo tota intentio esse debet, vt chlystere per inferna curetur. qui fit ex rosarum immaturarum, baccarum myrti, sumach, (vt vocant) thuris, mastichis, amyli triticei, vel hordeacei, nucum cupreßinarum viridium, boli armenici, terræ sigillatæ, farinæ fabarum nigrarum, caudæ equinæ singulorum semuncia. ferueant cum uino sanguineo, aut aqua myrtearum baccarũ, excolenturq́ue, vt assolet. Cui ego clysteri adijcio idem intestinorum decoctum cum eodem puluere, quem supra posui. Quod celerius, et perfectius egerit sine ventriculi concoctione, & digestione iecoris, in quibus vires medicamenti debilitantur. Sanguinis autem mißio in capitis, & ventris inferioris vulneribus, eadem serie exequenda est, vt de vulneribus extrinsecis dictum habeo: pro virium scilicet æstimatione. At in ijs, quæ thoracis sunt, formidolosa est. Sanguis enim, qui ex vulnere penetranti fertur, multum sane spiritalis est, maioremq; ob id imbecillitatem, ac resolutionem facit, quàm qui aliun-

de erumpit. Qua propter eius detractio non ita libere in thoracis vulneribus fit. vt in cæteris aliorum membrorum. Non enim ab re Galenus causam auertendæ sanguinis effusionis considerans nos cautos reddidit, cum diceret paucum, & per vices sanguinem mittendum esse, ne virtus imminuatur, quæ sua sponte propter continuam expirationem resoluitur, quinimmo ad necem perducit.

Qua ratione plumbeus globulus quandoq; diu sine noxa in corpore retentus sit. Cap. V.

MIrabile quidem, & visu, & auditu est plumbeum globulum quandoq; in corpore sine noxa diutißime detineri. Cum de alijs externis rebus, neq; in eodem genere vulnerum, neq; in alijs haudquaquam contingat. Etenim cum sagitta, aut oßis frustillum, quin etiam pilus ita permanserit, miseris modis (nisi extrahatur) hominem torquet. Quod profecto secus esset arbitrandum, ac potißimum de oße, & pilo cum partes corporis sint, & suapte natura siccißimæ, & si putrescendum aptum nutrimentum habeant. Plumbum vero res extranea, & humidæ naturæ. Sicca enim minus putrefiũt, diutiusq; conseruantur, secus humida, quæ facilius corrũpuntur. Veruntamen in qualibet ferè corporis parte plumbea pila ita sine læsione, ac diutißime detinetur, perinde ac si corporis portiuncula sit eadem natura

tura fabricata. Quod ego ipse hisce oculis sæpius vi di, cum quandoq; per viginti iam annos ita retẽtam extraxerim. Cuius rei causam vt diligenter perscrutemur, quid de natura plumbi authores senserint, exactius inuestigandum est. Galenus itaq; refrigerantem vim habere scribit. Nec solum humidæ substantiæ multum, sed aeriæ, at terrestris parum. quod autem humida substantia in plumbo sit à frigore congelata, celeris eius eliquatio, cũ igni apropinquat, argumento est. Quod autem, & aereum sit, inditium est id solum, ex his, quæ scimus, augeri tum quantitate, tum pondere, si in infimis domorum partibus asseruetur. Auicenna, frigidum, & humidum in secundo gradu esse dicit, & in eo aeream, et terrenam vim, nec multa tamen, Vido à Celiaco recentiorum princeps idem asserit, occultam habere, ac mirabilem resolutionem adijciens. Auerroes item plumbo substantiam frigidam, & humidam tribuit: propterea quod inquit quæ ipsum cõgelauit, frigiditas est, & habet dissoluentem vim carni hominis ipsum comparando, quanuis super ipsius complexionem dominetur frigiditas. è quibus Auerrois verbis colligitur plumbum aliquam habere cum carne hominis similitudinem: quæ causa fortasse est, ut minus illi officiat plumbea pilula, quàm cætera extranea. Vel quia humido nato aptoque ad putrescendum caret. Vel quod illi ob aliquã potius occultam vim, quàm euidẽtem causam id tribuendum est. Grauitas enim plumbi, & innata humiditas repugnant, ne scilicet

9. Simpl. Cap. 22.

Lib. 2. Tract. 2. Cap. 12.

5. Colli. Cap. 43


ſine putredine, ac noxa diutius corpori immoretur. niſi hoc ſibi muneris natura vendicarit. Neque interim ſuſpicandum eſt, ne intermouendum pila, locum, vnde abijt, vlceroſum relinquat. Natura enim ſua ſponte inſtaurat caua, repletq́;, ſi qua remanſerunt. Non tamen propterea eſt, cur eam cunctatius extrahendum cures, ex ea namq; perſæpe ſæuiſsima fiunt accidentia. Cum maxime quid extraneum, vt indumenti, vt armorum ſecum intulit, vt ſæpius dictum eſt. Lædit enim tunc diuerſis modis, pungendo, incidendo, perforando, prout diuerſas formas inſtrumenti, aut caloris vi liquefacta acquiſierit. Vnde neruorum diſtentio, & ex ea mors facile inſequitur.

Libri Tertij atq; vltimi finis.

ALPHONSI FERRII NEAPOLITANI,

ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS

De Sclopeti, ac ſimilium tormentorum puluere Corollarium.





VDIO quoſdam eſſe, nec medicæ rei imperitos homines, quibus multo aliter, quàm à nobis ſcriptum eſt, de ſclopeti, ſiue archibuſi, ac cæterorum ſimilium tormẽtorum puluere videatur. Scilicet non modo non habere venenum, ſed etiam veneni remedium interdum eſſe ſalutare. Idq́; nonnullis, atq; his potiſsimum rationibus probare nituntur. Nullum compoſitum (inquiũt) ex ſimplicibus non venenatis venenatum eſt. Sed hic puluis eſt huiuſmodi, igitur nec is uenenatus eſt. Quando uires ſimplicium, ubi commiſtæ ſunt, inter ſe confringuntur, nam quod eſt remiſſe calidum, intenſum calorem non auget, ſed frangit potius, ac remittit. Quamobrem nitrum, cum ſulphure natura remiſsius ſit, illud debilitat,

quod agit & carbo sua frigida vi. Nitrum insuper extrinsecus impositum, non modo ueneno non inficit, sed putredinibus, corruptionibus, corrosionibusq; resistit. Vt in cancrenis videre licet, proprium enim aridi medicamenti est à putredine conseruare, idcirco nonnulli nitrum in morbis curandis, etiam in pestilentibus contra venenum adhibent, nec substantiam modo, sed eius etiam oleum. Sulphur item persæpe medicamentum est, ita ut nonnullis venenis occurrat (authore Galeno) oleoque eius tam foris, quàm intus tutißimè vtimur. Quid de veneno igitur pulueris dubitandum est? cæterum non esse uenenatũ milites etiam ipsi ostendunt, qui recentia vulnera, cum aliјs careant medicamentis, eo replent, non modo sine noxa vlla, sed ita etiã curatu reddunt faciliora. Sed fac etiam illum (inquiunt) esse venenatum, uenenata omnia igni corriguntur, destruunturque potius, ac resoluuntur. Puluis itaque is, quanuis venenum haberet, igni tamen correptus illud vulneribus afferre non potest. Quid refert igitur initio venenatus sit necne, hæc atque alia eiusdem generis in medium afferunt, quæ facilè refutari posse demostrabimus. Dicimus itaque primum, compositorum aliam esse, ac simplicium vim, atq; huius pulueris potißimum. Cuius effectus simplicium facultatibus haud proportionantur. Vulnera enim ferme omnia, quæ Sclopetis, siue Archibusis infliguntur, peßime afficiunt ægros, abscedunt, corrumpuntur, putrescunt, febrem-

bremq́; mouẽt acrius, quàm vlla alia vulnera, adeo vt medicamẽtis nõ facile vincãtur. Quare dicẽdum videtur, non id accidere propter exuberantem sulphuris calorem, vel siccitatem nitri vel carbonum, quæ singula hoc per se facere non possunt, sed quia ea est pulueris natura, ac malignitas. Qui sanè puluis præter simplicium suorum facultates admirabiles quosdam: alios venenatos, fulgurum modo, parit effectus, vt cũ in alijs, tum in Vinglendranda Hispano Duce in Pannonia videre licuit. Cuius cum ferreum thoracem ab archibuso pilula immissa tantum percussisset, nullo tamen relicto vestigio, non modo omnia indumenta penetrarat, sed & cutem, & carnem læserat, impressa adustionis nota, ad volæ manus magnitudinem crustaque facta quàm in cæteris adustionibus altiore. Sed quid de Christophoro Aria Hispano dicam, maximo bellica virtute viro, is cum in Campania honorate stipendia mereretur, non à colubrina iacto globo, sed globi violento, virulentoq́; strepitu, brachium illæsa cute ita fregit, vt ossa intus partim perfracta, partim admodum luxata inuenirentur. Curauimus tamen ipsi, ac cœlesti fauore sanauimus, meritoque præmio pro tanta re, dignoque viro, non minus liberali, quàm generoso, ac forti, donati sumus. Illud postremo, nullo modo est à me silentio inuoluendum, quod milit in obsidione Landresi (vt vocatur vulgo) Galliæ Vrbis accidit, qui cum bene calceato pede pilã, à colubrina tum immissam calcasset, tam male confestim

ab

ab ardenti veneno non modo pes, ſed & crus & corpus totum affectum eſt, vt nihil iuuantibus medicamentis maximo cum cruciatu vitam finierit. Quod quidem certe ſine maxima veneni vi fieri non potuit. Præterea ratio, atque experimentum docet, quæ per motum acuuntur, inflammanturque venenata fieri, vt ex ijſdem fulminibus potißimum oſtenditur, quibus icti alij ſtatim pereunt, nullo apparente aduſtionis ſigno, alij adurũtur, alij infuſcãtur, denique alijs alia modis mirificam maximè eorum vim experiuntur. Quæ cum veneni maxima indicia ſint, ac ſclopeti, ſiue archibuſi, cæteraque eiuſdem generis tormenta in morem fulminis, feriant, de pulueris eorum veneno dubitandum non eſt: neque inconueniens eſt, medicamentum idem, diuerſos producere effectus, ſi diuerſis modis exhibeatur, vt in eo libro quem ſcripſimus de Ligni ſancti multiplici medicina latius dictum eſt. Quin & interdum venenum veneno curatur, vt ſcorpionis ictus, ſcorpione contrito, impoſitoque. Neque illud multum ad rem pertinet, ſcilicet venenata omnia igni deſtrui, ac reſolui, tum ex eo pulueris venenum vulneribus non affert, falſum enim id eſſe primum cæleſtia fulmina oſtentant, quibus tacta vel ſemper, vel plerunque veneno inficiuntur; vt animalia, vt vina; quæ ſubinde ſine periculo aſſumi non poſſunt. Oſtendunt etiam & fulmina bellica, quæ cæleſtium bona ex parte imittantur naturam. Quare & ſi quæ percuſſere, non inficiuntur ita, vt non tuto aſſumantur,


mantur, virulentum tamen globum, non ita dißipant, ac dissoluunt, vt quod habet venenum, ad vulnera non afferat, vt toties experimentis comprobatum est. Quamobrem concludimus, tum ex ijs quæ dicta sunt, tum quæ dicere poßimus, nisi breuitati consuleretur, puluerem hunc venenatum esse, atque ex eo illata vulnera non carere veneno vt dictum est.

FINIS.

ALPHONSI FERRII NEAPOLITANI MEDICI.

De caruncula, siue callo, quæ ceruici vesicæ innascuntur. Liber.

AD PHILIPPVM ARCHINTVM.



PRAEFATIO.



ECTE illi quidem mihi interdum sensisse videntur, qui naturã homini iniustiorem nouercam, quàm æquam matrem esse voluerunt. Etenim si eius vitam ab origine per ætates contemplemur, tot miserijs, tot ærumnis premi reperietur, vt non iniuria dici posse videatur, nihil esse miserius homine, scilicet parum fuerat eum amplius quàm tercentis morborum generibus afflictasse, nisi & excrementorum itinera miseris quandoque modis intercluderẽtur. Quot enim & qualia sedis vitia videmus, & quàm difficile ratione tolluntur? Sed omißis cæteris quid de caruncula, siue callo dixerim, quæ ceruici vesicæ innascuntur, quam misere hominem torquent, quam habent peßime? Profectò omnibus die-

dierum, ac noctium horis (vbi maximè increuere) mortem ante oculos obuersari uideas. Quod quidem certe eo etiam atrocius est, quo sibi munus, vel admodum parum ad huc auxilij inuenit: cum morbi alij uel sexcenta quisque remedia repererint clarissimorum uirorum innumeris monumentis illustrata. Quamobrem nos hanc etiam prouinciam, ubi ligni sancti (ut uocant) multiplicem medicinam scriptis nostris ostendimus, ac sclopetorum, siue archibusorum (ut appellant) vulneribus medicam opem attulimus, eo libentius suscepimus, quod medicinæ studiosis, iuxta atque eo morbo laborantibus rem gratissimam facturi esse videremur. Quapropter quicquid per multos iam annos, & Neapoli, & Romæ chirurgicam facultatem publicè profitendo, vel intra priuatos parietes legendo, vel disputando, uel longo medendi vsu ad eã rem maximè idoneum esse cognouimus, in hunc librum studiose coniecimus, ut in prõptu uel omnibus haberetur, unde sibi quisq; copiosa, ac salutaria remedia suppeditaret. Quod si tam honesti desiderij dij nos compotes effecerint, immortales illis gratias in perpetuum acturi, amplissima sanè præmia nostrorum laborum videbimur esse consecuti. Quamquam nihil est cur desperem, aliquam etiam nos ex his scriptis gloriolam (si modo ea moueamur) adeptum iri. Cum tibi Vir præstantissime, atque omnium scientiarum genere ornatissime, probata olim valde fuerint. Meministi enim te, cum iam ab hinc quinquẽnium (quæ

tua

tua humanitas est) illa perlegisses, magnopere me fuisse hortatum, ut in publicam hominum utilitatem in lucem edere diutius non differrem; adiecistique arridens renitenti mihi, existimare te Venusini poetæ præcepto iam satis admodum fuisse factum. Quamobrem nos tanti viri authoritate, ac tam graui, sapientique iudicio adducti, tuis auspicijs tuoq; nomini consecrata (& si serius fortasse quàm par erat) foras damus. Et cui enim melius, quàm tibi Viro doctißimo, ac sapientißimo (cæterarum autem laudum tuarum altum pelagus temere non attingam) dicari potuerunt? Suscipe igitur benigno vultu, quale id cumque est muneris (plura enim in præsentia non possumus) & Alfonsum tuum præclarißimis tuis uirtutibus tibi additum (ut facis) ama. Sed iam satis superque præfati ad eam ipsam rem (qualis tibi cumque rursus uideatur) propius accedamus.

Ceruicis vesicæ examinatio. Cap. I.

PArtes, quæ in superficie constitutæ sunt, vnà cum affectum suorum specie, facilè, (vt inquit Galenus) sensibus deprehenduntur. Quæ vero in imo corpore latent, exercitatæ cogitationis virum desiderant, cum in actionibus, & vtilitatibus partium, tum vel maxime in ea, quæ hæc præcedit corporum dissectione, anatomen Græci dicunt. Quippe hæc (vt ille ipse ait) docuit nos cum alia permul-

p. de locis affe.

multa, tum cuiuslibet partis essentiæ proprietatem. Cuius ergo beneficio præter Philosophi, & Galeni authoritatē, ceruicē vesicæ neruosam esse aperte cognoscimus, in interioribus præcipue partibus, ac vesicæ propinquis, neruis scilicet à vertebris caudæ venientibus, tū protensis ad virile membrum, vesicā & musculū ani. Carnosa item ceruix apparet, cum vltra progreditur, carnoso scilicet musculo fabricata. Cuius munus est, eam claudere, & aperire, atq; ita vrinam retinere, atque expellere, mira quadam reflexione ad postremam vsque glandem, per quam procedit iter vrinæ. Oblonga insuper, rugosa, ac tortuosa est duobus, tribusúe anfractibus. Quapropter per raro tota lotio emundatur. Ceruici item vesicæ caro glandulosa musculo vicina adnata est, quæ, veluti suffocatorium, ac constrictorium quoddam, existere videtur, exitum vrinæ, à vesica vndequaque prohibens, vasorumq; spermaticorū ora circuiens, nisi cū vrinæ mittēdæ voluntas est. Tunc enim emollitur musculus, laxaturque, vt ea libere egrediatur atque vrinarius meatus ab adiacentibus carnibus libere relinquitur. Vesicæ proinde ceruix carnosior redditur, quo magis glandē versus protensa est, tum spissior, tum crassior ob musculosam substantiā. Ad hæc foramen (magnum canalem nuncupant) vrinæ & genitali semini commune est: genitali quidem semini per duo foramina in extremis seminalibus vasis. Verum in ceruicis extrema parte & vbi fistula, vel canalis incipit, circumuolutio quædam sinuosa est,

De histo. animal. Lib. 1. Cap. ult. Lib 6. Cap 6 De locis affectis.

est, in qua si quid aquei humoris, aut rei extraneæ est, coaceruatur, ac retinetur, neque ab aquosa humiditate tota detergitur, atque exiccatur. Extrinsecus autem ceruix vesicæ mira quadam sutura, ac venosa peritonæo (fæmen latine dicunt) fabricata est. Vnde membrũ initium assumere videtur, multis quidem tendinosis ligamentis à pectinis osse productis, ac neruis ab occipite orientibus. quamobrem & ad sentiendum, & ad extendendum facilis est. Cæterũ venis, & arterijs constat, in quibus tumentes spiritus inclusi coli extendendo deseruiunt. Sed vt ad musculum ceruicis reuertamur, scire licet, illum, instrumentum esse (vt inquit Galenus) cuius opus ab electione excitatur, imperiumque voluntatis nostræ imitatur, vt pote qui ambiẽs ceruicẽ vesicæ, eam ita exacte stringit, vt nihil humoris ex vesica in meatum ingredi poßit. Atque similem quoque & actionem, & vtilitatem habet musculus, qui recti intestini partem extremam ambit. Proinde ipsis resolutis, neque vrinam uesica, neque stercora aluus retinere potest. Sed præter voluntatem paucis omnino interuallis vtraque excernuntur. Vrinæ ergo emißio fit, tum propter coaceruationem eius in vesica, tum etiam propter musculi conceßionem, vt & Rasis asserere videtur.

Quid per caruncula, siue callum intelligendum sit. Cap. II.

CAruncula innata ceruici vesicæ, siue callus,

malæ

nalæ compositionis ægritudo est in vrinæ itinere, cum (exempli gratia) vel sponte naturæ, vel ob incuriam medentis, siue ægri initio morbum negligentis, caro ex præcedenti solutione continui, incrementum suscipit, cuius propter additamentum, vrinæ fistula angustior redditur, atque ita vrina supprimitur, siue caruncula vniusmodi, siue diuersi generis sit, vt syncera, vt mollis, vt dura, aut fungosa, aut rotunda, aut cum albedine callosa, uerucosa, porosaque, aut alterius modi ingenita, tum profunda cum euidenti duritie, aut summa. Quarum per se quælibet de sui remotione, ac diminutione indicat.

Quibus de causis caruncula, siue callus innascatur, augeaturque. Cap. III.

TRibus in vniuersum modis vrinæ fistulam stipari censet Galenus. Aut enim inquit corpus ipsius in tantum tumorem præter naturam attollitur, vt meatus inde occupetur. Aut aliquid ei præter naturã, ut vel caruncula, vel callus innascitur. Aut à re quapiam obstruitur meatus. Nos verò de caruncula, siue callo tantum dicturi sumus, scilicet, quibus modis, quibusúe causis oriantur, augeanturque, subinde ea, quæ ad exactam eorum curationem faciant posituri. Fieri itaque potest, vt è quatuor aliquo humorum vitio, ac potißimum pituitosi, aut melancholici, aut salsi, aut è crasso san- Lib. 1. de locis affectis.

guine, aut adusto, naturæ sponte callus, vel caruncula innascantur: quemadmodum in cæteris corporis partibus facilè accidere consueuit. Frequentißime autem ex diutina saniei effluxione, atque aßidua eius excoriatione, ob immodicam renum calefactionem, aut præcedentis abscessus suppurationem, eruptionemque, vesicæ ceruix, ac fistula vrinæ exulcerantur, vno aut pluribus locis, tum magno, vel paruo vlcere, vel erodente, aut putrido, aut sordido. Quibus in curandis remedia non exactè, non diligenter ob aliquam causam, vt puta fistolæ angustiam, aut cruciantem dolorem, vel etiam ob Medici imperitiam adhibita fuere, vnde mox caruncula innata est.

Fiunt etiam caro, vel callus ex aßiduo, arenoso, vel calculoso, uel luteo defluxu, siue id è renibus sit, siue in vesica generetur. Accidit etiam tunc, vt in sinuosa illa ceruicis parte, atque anfractibus aliquid retineatur, ac veluti nitrosæ quædam particulæ & vitreæ, fistulæ intus affigatur, paulatimque, & continenter increscat, cumuleturque, ac demum velut callus efficiatur, vrinæq; iter impediat.

Ex pituita præterea, siue phlegmate defluente, modo mucilaginoso, aut viscido, modo instar oui albi, aut vitreo, aut salso, & corrodente in eisdem ceruicis sinibus, & eodem modo inhærescente, atq; increscente, callus, vel caruncula gignitur.

Ex suppurato item, atque erupto vesicæ abscessu ceruici partes adiacentes vlcerantur ob tenellam

loci

ci substantiam, ac saniei errosionem: quamobrem aro additur, vnde vrinæ emißio prohibetur.

Sæpißime & ipsa ceruix abscedit, ex cuius suppuratione, atque eruptione id ipsum accidit.

Ex gallico etiam morbo, aut gonorrhea, aut ex cineris; aut cerebri sanioso fluxu ad renes, ac vesicam, tanquam ad superfluitatum receptacula descendente, non modo renes ipsi, & vesica, & ceruix, verum & tota fistula, quandoque exulceratur: hinc fit, vt carunculæ toto illo meatu adauctæ, vrinæ iter facilè impediant.

Quod fit etiam ex præcedentibus primitiuis (vt vocant) causis velut attritione, contusione, soluta continuitate, aut conuulsione, aut fractura, aut vetere vulnere penetranti, aut fistuloso uel in superioribus uel adiacentibus locis.

In ceruice item vesicæ ex præcedenti herniæ aquosæ, vel carnosæ, vel varicosæ curatione, id vitium fit, cum vicinæ partes vlcerantur, excoriãtur, ac vehementer breui, vel longiori temporis interuallo inflammantur, & cancrosa quadam (ut ita dicam) duritie, & carnosa replentur, atq; obstruũtur.

Ex calculo præterea qui in vesica habeatur, humoris præ nimio dolore, ac pondere in eã confluunt, ac replent. Tum virulenta quadam vi, non vesicam modo, sed eius ceruicem, ac fistulam erodunt, illud ipsum incidere necesse est.

Accidit etiam quandoque, vt per criticam expulsionem vrina mittatur, veluti in febribus, cæte-

terisq; interioribus morbis, in quibus criticæ expulsiones fiunt. Quæ quidem vrinæ & copia & acumine, & caliditate, & adustione tantam vrinarijs meatibus inflammationem inducit, atq; excoriationẽ, vt facilè, & vlcerentur, & putrescant, unde caruncula innascitur, atq; uesica insuper, & vicina loca vsq; adeo quandoq; inflantur, ut non modo scroti colligamenta, & musculi coartentur, verũ etiam intestina ipsa, & (vt vocant) mirach. Quamobrem lotium in tantum supprimunt, vt de ægroti salute vehementer dubitari poßit.

Ex immodicis etiam, atque aßiduis exercitationibus renes, & vesica à concurrentibus humoribus inflammati exulcerantur, vnde extraneum aliquid vrinæ emittendæ impedimento est.

Languescunt insuper, ac debilitantur renes ob frequentem, atque immoderatam venerem, quamobrem debilitata continenti virtute, expultrix plus emittit, quàm par est, pro ipsorum renum nutritione, quapropter, quod superfluum est in vesicam delatum eam exulcerat, & carunculæ, quæ vrinam impediant, oriuntur.

Supprimitur quoque vrina, cum genitale semen, siue in coitu, siue in pollutione propter caloris defectum ac debilem vim musculorum titilationes excitantem non emittitur. Quare fit, vt corrumpatur, atque in dies putrescat magis, quod cum glutinosa illa sua & vitrea substantia vesicæ intus inhereat, non modo vrinam supprimere potest, sed ventri, pectini,

scroto,

ſcroto, & veſicæ ceruici peßime abſcedendi cauſam præbere, & fiſtulas curatu perdifficiles ingenerare.

Qui bono habitu ſunt, & à venere ob aliquã cauſam abſtinent, plurimam quandoque coaceruant ſuperfluitatum uim, vnde fit, vt cum ad renes, ac veſicam tanquam ad ſentinam quandam deferuntur ſanioſa ramenta, vlcera in eis, & ex his caruncula oriatur vrinæque iter intercludatur.

Cum quis item diutius in renes iacuerit, vt in prælongis morbis, qualis podagra, vel oßium fractura eſt (frequenter fieri conſueuit) illi ipſi renes cum veſica inflammati exulcerantur. Quamobrem orta caruncula, ſiue callo, vrinæ iter impediri neceſſe eſt. Quod & alijs etiam de cauſis, quibus, ne longiores ſimus, conſulto ſuperſedimus, accidere poteſt.

Quibus indicijs Carunculam innatam eſſe demonſtretur. Cap. IIII.

SOlertis Medici officium eſt ex præcedente morbi inquiſitione cum præſentia, tum futura prænoſcere, atq; ita ad perfectam eius notionem deuenire. Id hoc quidem caſu fit, cum per ſigna, atque ægri, vel familiarium relationem compertum habemus, morbum (exempli cauſa) gallicum innatæ carunculæ cauſam fuiſſe. Ex eius.n.notis, & magnitudo mali huius, & curationis eius difficultas maiori ex parte cognoſcitur, quæ ſanè ex malignitate eius non modica eſt, cum morbi contagioſi, atq; atrocis,

qualis ille plerumq; est, proprium sit, non facile medicamentis superari, varicosa item, vel carnosa hernia, vel abscessus, qui ceruicem vesicæ occuparit (vt supra est dictum) causam præbuisse possunt. è quibus etiam morbis perdifficilem eius fore curationem haudquaquam dubitandum est. Tanta.n.in hisce sæuitia, ac malignitas est, vt, & medicaminum vis, & medentium virtus non difficulter infirmetur, minuaturq;. Ex renum præterea antiquo affectu, aut vetere interni membri fistula, aut iocinoris, aut cerebri, symptomatico effluxu (vt dictum est) aut alterius huiusmodi partis facile indicabitur morbus, sed cum difficultate curari posse. Quinimo affecti membri compositio, ac nobilitas, & cum alijs principalibus membris connexio, & loci angustia, & tractandi difficultas non modo difficilem curationem, sed & vitæ periculum persæpe demonstrant. Verũ, vt cætera signa persequamur, euidenti etiam argumento est eminentem carunculam ortam esse vrina guttatim effluens, vel tortuosa, vel longe etiam tenuior, quàm esse solet. Sed illud præcæteris inditium maximum est, cum per argaliæ (vt vocant) vel specilli, vel alterius instrumenti immißionem, in ea periculum facimus. Ex his enim facile conijcitur, vel adnatam carnem, vel obductum callum, vrinæ iter interclusisse. Quibus sane cognitis, ac diligẽter examinatis ad curandam ægrotationem dijs bene iuuantibus non timide aggredi possumus. Quandoquidem, et si ea magni momenti est, & curationis quàm

diffi-

difficillime, nihil tamen est, cur ægrotum ipsum deseramus. Cui dum anima est (vt sapienter inquit Cicero) spes esse dicitur.

De specillis, siue instrumentis, quibus in morbi curatione vtendum est. Cap. V.

Complura sunt specillorum, siue argaliarum genera, compluraq́;, eorum quæ vicem præstant. Quibus de primum dicendum est. Sunt igitur maluarum, seu petroseilni, aut fœniculi, aut alterius cõsimilis herbæ turiones, siue cauliculi longi tamen, ac duriusculi, quibus carunculam, siue callum inquirere, & rumpere commode posśimus. Candelæ insuper oblongæ craśiusculæq́;, at molliusculæ ex arte, atq; vsu fiunt, aut ex cæra alba, (vt frequentiśsime fieri solet) aut ex citrina, aut ex viridi cum aliqua æruginis rasæ portiuncula. Aerugo.n. maximum detergendo, carunculæque innatæ curandæ remedium est. aut commiscendum aliquid aliud ex detergentibus, aut conglutinantibus, vt infra proponemus. Specillum præterea satis accommodatum est, si ex tereti, ac flexibili plũbea virga fiat tanta craśsitie ac longitudine vt ingredi, egrediq́; pro medentis arbitrio commodius pośsit, quod modo tenuius, modo craśsius pro fistulæ angustia fabricandum est. Cum vtimur ad rumpendam carunculam, omnino craśsius faciendum est; cum verò candelæ loco, tenuius conflandum; tum extrema parte, quæ immititur,

titur, id aliquo ex medicamentis, quæ ſuo loco dicemus, eſt inungendum. Eodem etiam modo ex auro, argentoue, aut ex ſimili metallo fabrefieri poſſunt. Argaliæ quoq; eodem pacto, ex eademq; materia leues in extremo, ac rotundæ, vniformes habendæ ſunt, vt facilius intromitti, atq; innatam carunculam incidere, vel minuere poßint.

Quæ præparatio ante propriam curationem adhibenda ſit. Cap. VI.

IN omni re antequam aggrediare (vt ſapientiſſime inquit Cicero) præparatio diligens adhibenda eſt, quapropter antequam innatæ carunculæ propriam curationem aggrediamur, communia illa remedia præponenda ſunt, quæ in alijs etiam morbis adhiberi conſueuerunt. Cognita igitur ægri habitudine per pharmaca, & victus rationem peccanti humori primum ſubueniendum eſt. Quod fit per ſanguinis emißionem, per ſyruporum, pharmacorumq; exhibitionem, pro ut, humoris vel morbi recẽtis, vel veteris ratio, vel neceßitas poſtularit, ac præſertim in gallico affectu, in quo multo acuratius agendum eſt, nequid mali ſymptomatis ſuperueniat, vt febris vt rigor, vt humorum defluxio ad veſicam, teſtes, membrum. Quæ ſæpißime ob id intumeſcere, ac ſuppurare peßime conſueuerunt. quin etiam frequentiſſime emoriuntur, adeo vt nulla ſit ſalutis ſpes, curationiſque remedium, quamobrem ita corpus debita

eua-

uacuatione, ac sanguinis detractione præparãdum sit, vt de noua humorum effluxione dubitãdum non sit. Quin etiam ad omnem suspitionem tollendam, ne quid rursus ingeneretur, coaceruetur'q; sane multum profuerit Ligni sancti decoctum eo modo, ac serie, quam morbi, et ægrotantis natura exposcere videtur præparatum. Qua de re in eo libro, quem de eius ligni multiplici medicina conscripsimus, satis accurate à nobis dictum est. Nec quicquam probibet (si procedente curatione opus sit) aluum rursus leniri, atq; inflammatos humores refrigerari, mannæ scilicet, caßiæ, tamarindorum, catholiconis, aut alterius generis soluentibus potionibus, ac potißimum polipodij ex nostra descriptione. Quod sæpenumero ægris salutare experti sumus.

Quo anni tempore præstet curatio. Cap. VII.

OMni autem anni tempore, vrgente neceßitate, curatio hæc adhibenda est, quam, tum differre periculosum est. Quinimmo vel eodem die suppressa vrina, & ob id ægro periclitante, non minuenda modo caruncula, vel callus est, verum etiam ceruix ipsa incidenda, at qui cum morbus dat indutias, vernum tẽpus, & autunnale præstat, ac hyemale quam æstiuum commodius est. Martio itaq; mense, Aprili, Maio, Septembri, Octobri, ac Nouembri felicius res peragetur, hoc est, sine prauorum accidentium metu,

metu, & vitæ periculo. In ea enim anni temperi humorũ illæ effluxiones, atq; abscessuum congestiones non facile fiunt. ita vt cum ægris melius agatur Loca insuper quo sicciora fuerint, eo salubriora sũt Sed illud præ cæteris ægri commonefaciendi sunt, scilicet vt mensem, cum minimum, à Venere abstineant, ne partes illæ renum, ac vesicæ seminales debilitentur, inflammenturque, quod sane maximopere officit.

Carunculam, siue callum medicamentis præmolliendum esse. Cap. VIII.

MVltis sane modis caruncula, vel callus medicamentis præmolliendus, ac digerendus est. vt detergi, & minui facilius poßint, quod recte hyeme fit, si per aliquot dies iniectorio (vt vocant) diluantur, decocto scilicet fœnigræci, seminis lini, radicum altheæ, singulorum manipulo, ex aqua pluuiali, aut fontana: quibus percolatis, & aliquo mellis, vel sapæ iniecto, vel decies die calida lotio fiat. æstiuo autem tẽpore, aut in calidis habitudinibus, fiat ex maluarum cum suis radicibus, hordei mundi, violarũ, singulorum sesquimanipulo, quibus aqua pluuiali concoctis, atq; excolatis aliquid rubri saccari sit adiectum, quo eodem modo vtendum est. aut fiat ex violarũ floribus, aut vtriusq; buglosæ, qui ex aqua hordeacea feruerint, adiecto eodem saccaro. Aut decoctum, & omni anni tempore ex emundatarum

passu-

passularum, sebesten, intiborum, singulorum vncijs duabus, amyli, drachmis tribus, ex aqua hordei, & maluarum cum saccaro, vt supra est scriptum; aut syrup. de dactilis, vel capillorum Veneris, aut glycyrrhizæ mundæ, ficuum aridarum, dactilorum, singulorum, decem quæ aqua hordei ferueant. Facta proinde aliqua ex his lotionibus candela vaccinæ butyro, vel bubulino, aut ol. amygdalino dulci, aut sesamino, aut cõmuni inuncta, aut aliqua axungia, vt anseris, vt anatis, immittatur. Spongijs item ex eorundem simplicium decocto madentibus, locus extrinsecus fouendus est. Aut ex eo decocto, quod libro secundo de sclopetorum, siue archibusorum vulneribus, conscripsimus, scilicet corticum radicum althææ, inulæ, brioniæ, vlmi, cucumeris asinini, singulorum manipulo vno, fœnigræci, seminis lini selibra, bis die per horas duas ante cibum. Aut ex arietinis, vel vitulinis intestinis cum arietino capite quæ aqua discocta sint, fœmen foueatur: aut oleo, aut re simili vt ex arte fieri consueuit. Emplastrum præterea ex anserina, vel anatina axungia, vel consimili. aut ex fœnigræci, & seminis lini farina, quæ in vino dulci, & oleo feruerint, aut cæpa sub prunis tosta, & farina triticea, & butyro, vel axungia suilla imponendum est. Quod si æger huiuscemodi medicamenta fastidiat, cæratum ex axungia suillæ selibra, & lythargirij aurei vncijs quatuor, aut Emplastrum ex amoniaci, bdelij, quæ acetum dissoluerit, singulorum semuncia, & axungiæ vrsinæ drachmis tribus

tribus, aut cærati de mucilaginibus, & hysopi Philagri, singulorũ selibra, aut ex maiori diaquil. cum gummi, vel sine gummi addendum est.

Quibus medicamentis caruncula tollatur. Cap. IX.

Conuenit inter medicæ rei professoris carunculam hanc sponte naturæ nullo modo, nulloq́; tempore sanari posse, nisi beneficio artis adiuuetur. Naturæ enim sponte augetur potius, quàm vlla eius diminutio fiat, quamobrem ars plura medicamenta, pluraq́; instrumẽta parauit ut incidens, & candens ferramentum, in quibus sane medicamentis diuersitas non modica est. Alia enim imbecillæ virtutis sunt, alia valentioris, alia mediæ. Valentiora medicamẽta appello, ratione nobilitatis membri affecti, atq; affinitatis cũ principalibus membris, quæ alioquin valentiora dici non possunt debilitata, et præparatione, & beneficio artis. At medicamenti effectus eo perfectior, ac præstantior est, quo minoris mordicationis ac læsionis est, sua scilicet moderata absterfione, atq; exiccatione, ut Princeps asserere videtur, Tum moderata quadam temperie, & correctione, quæ gradum non excedat, membri substantiam perdat, & plusquam par sit, erodat, ac deuoret. Quæ omnia in perniciem ægrotantium accidere consueuerunt. Quapropter cum membri nobilitas, et ipsius angusti meatus chirurgicam operationem

Fen 4. Tract. 3 Cap. 12

nem non admittat, incidentis ſcilicet, & candentis ferramēti, induſtria quadam medicamentorum munus exequendum eſt. Quamobrem artifex, præparata candela tantæ longitudinis, & craßitudinis, ut opus perfici poßit, partem quæ extremitati propinqua eſt, per tranſuerſi digiti ſpatium aliquo ex medicamentis, quæ infra dicemus, inungat. Sed illud præ oculis ſemper eſt habendum, ne erodentia medicamenta liquida, aut lenia unquam immittantur, maius.n.detrimentum, quàm adiumentum ſanis locis, atq; adiacentibus ſequeretur. Adeo etenim urinarij meatus tenella ſubſtantia eſt, vt moleſtiora medicamenta, qualia erodentia ſunt, ferre non poßit. Quapropter medicina talis adhibenda eſt atq; adeo duriuſcula, vt vix in tranſitu fiſtulæ partē aliquam afficiat. Quod plane tutißime fiet, ſi tum aliquo ſubſequentium emplaſtrorum medicamentum commiſceatur, vt cæratum eſt de mucilaginibus, diaquilon (paruum nuncupant) cæratum de ceruſſa, emplaſtrū de lithargyrio (triapharmacō appellāt) emplaſtrum de minio, et cæteris. In ea.n.diſſolutorū emplaſtrorum ſubſtantia modico negotio miſcetur. Eodem exemplo puluis ſit de medicinis debilioribus carnē minuentibus, ſi ex cærato ceruſſæ vncia, lento igne liquefiat, & corticum radicum dulcium malorum granatorum, aut ponticorum in vmbra exiccatorū & in ſubtilißimum puluerem redigantur drachmæ duæ, & miſceatur aluminis ſaccarini dimidius ſcrupulus, & candelæ (vt præcepimus) extremitas illinatur;

natur; quod ſi medicamen hoc, vel cætera, quæ proponemus, duriora quam par eſt, ob eam pulueris admiſtionem videantur, olei aliquid, aut gallinæ axũgiæ adiungendum eſt. Aut illitis manibus oleo, vel axungia diu emplaſtrum ſubigendum eſt, vt lenteſcat, quatenus opus ſit, eóque in curatione vtendum eſt. Aut medicamen fiat ex cærati de mucillaginibus vncijs duabus ſucci corticum capparum, ſucci cupreßinarum nucum, corticum iuglandium viridiũ, aut eius loco, foliorum oleaginum ſylueſtrium, vel olearum immaturarum, & portulacæ ſingulorum drachmis tribus. & ad cærati ſpeciem redigantur, quo vtaris, vt dictum eſt. Aut cæratum fiat ex ſpongiæ cõbuſtæ, corticis ſaligni cõbuſti ſingulorũ drach. i. quæ ſecũdum præcepta artis cõficiãtur. Medicamẽta autẽ media sũt ſi cærati vncia de minio liquefiat, ſucci ſuillæ drachma i. portulacæ drachmæ duæ, & olei frumenti drachmæ totidem, quæ vbi ferbuere, in cærati ſpeciem redigantur. aut cum medicamen componitur ex cærati ceruſſæ vncia vna lactis fici, paulũ in ſole condenſati drachmis tribus quæ manibus tractata commiſceantur, aut ſalis communis, ſalis gemmæ ſingulorum drachma vna cærati de mucillaginibus vncia vna, aut drachma ærugi nis raſæ parum combuſtæ cum eodem cærato. Tutiſſimum autem & probatißimum medicamentum eſt, & quod vires omneis medicamentorum habeat, imbecilli ſcilicet, valentioris, ac medij, quod ex ſauinæ exſiccatæ in vmbra ſeſquidrachma fit, ac cærati de

mucilla-

*nucillaginibus ſemuncia; quàm tutiſsime enim tra-
ctu temporis carũculam omnem ſine dolore minuit,
ac deinde radicitus tollit, atque exiccat; quod non
modo in hoc morbo experti ſumus, ſed in omniveren
dorum ægritudine, vbi caro adiecta ſit, ſi puluis
tamen ſuper aſpergatur, vbi loci opportunitas expo
ſuit. Aut ex hellebori nigri ſtercoris murini, ſalis
paululum vſti, ſingulorum ſeſquidrachma, cærati ce
ruſſæ ſemuncia, ſucci porri, aut vmbilici veneris
drachmis duabus, ex tragacãthæ aduſtæ, oſtreorum
aduſtorum, calcis non dum aqua extinctæ ſingulo-
rum drachma, cum cærati de mucillaginibus vncia
dimidia. Aut ex albis ouorũ duum, quæ ſub prunis
vel feruenti aqua induruerint, uitrioli (ut uulgo
dicunt) ſeſcuncia, quæ vertantur in puluerem, &
conficiantur, vel humidis locis in filtro (vt vocant)
ſeruentur, ac diſtillet aqua, de qua ſemuncia cum cæ
rati de mucillaginibus aſſumatur, & lento igne in
ſpeciem emplaſtri redigantur. Aut fiat ex ſeminis
& radicis ſerpentariæ ſingulorum drachma cum
eodem cærato de mucilaginibus. At ex nucis cupreſ
ſinæ, colocynthidos ſingulorum ſeſquidrachma, cum
cærati ceruſſæ ſemuncia. Sed illud in cauſtici medi-
camenti adminiſtratione aduertendum, quanto in-
nata caruncula antiquior eſt, eo difficilius curari,
qua propter imbecillioribus medicamentis non ſuffi
cientibus, ad ualentiora recurrendum eſt. Itaque cũ
carni ea minuẽda propter obcalleſcentem eius duri
ciem ſatis eſſe non videbuntur, ad eam pungendam,*

ac

ac dissoluendam argalia, vel specillo bene perforan-tibus, & incidẽtibus, vt facilius penetrare poßint opus peragendũ est, nec est cur sanguinis effusionem per hæc instrumẽta timeamus, saluberrima.n.ea est dũmodo ex caruncula ipsa (nec aliter) effundatur quod ipsum modico negotio cognoscetur, nobis facile sentientibus immissam argaliam, vel specillum repugnante caruncula impediri, quinimo, tum chirurgi cum opus prospere succedit. Vidimus enim complures sola specilli, vel argaliæ ope curari, cum innata illam carunculam penetrarẽt. Vrina enim tum egrediens suapte abstergendi atque exiccandi vi, sine vllo alio artis præsidio sanare potest. quod, si ob morbi malignitatem, assequi non possumus, ad valentiora (vt supra dixi) remedia confugiendum est. id fiet, si Lib. 1. Cap. 131. *ex viuæ calcis, arsenici rubri, quæ aceto diem macerando, praeparaes, singulorum dimidia drachma, & cum cærati de mucillaginibus semuncia medicamen conficiatur. Tutißimum vero illud Alexandri Græci medicamẽtum, atq; omni ex parte saluberrimum, quod fit ex vitreoli romani, auripigmenti, aluminis rochæ, æruginis rasæ, quæ aceto albo acerrimo per triduum emaceraris, in soleq; exiccaris, singulorum drachma vna, cærati ex cerussa vncijs duabus quæ lento igne ferueant, exinde prædictorum pulueres misceantur, & ex his factum cæratum in vsum seruetur. Aliud præterea tutißimum, ualentißimumque medicamentum est, quod fit ex præcipitati (vt vocant) drachmis duabus, emplastri cerussæ semuncia.*

Aut ex zimat (quod dicunt) floris æris ſingulorum drachma vna, quæ aceto, atque aqua roſacea quatuor & viginti horarum ſpatio macerata atque exiccata in ſole, & emplaſtri ceruſſæ vncia adiecta, ſui ſeruanda ſunt. Aut fiat ex aquæ, qua diſſoluuntur metalla (fortem vocant) drachmis duabus, cærati ceruſſæ vncia vna, & lento igne cæratum fiat, aut ex aluminis combuſti, æruginis eraſæ, cōbuſtæ, vulcanti, (vt vocant) vitreoli combuſti ſingulorum ſemidrachma cum cærati de mucillaginibus, ſeruenturque in vſum, vt ſupra dictum eſt.

Qua ratione internæ partes exulceratæ, atque inflammatæ curentur poſt carunculæ diminutionem. Cap. X.

FIeri non poteſt quin in carunculæ innatæ curatione internæ partes omnes vlcerentur, excorienturque, & cum dolore, maximaque eroſione, & ardore, & præſertim in lotio emittendo. Vnde neceſſe eſt ægros non minus, quàm ob innatā carnē excruciari. Opportunis ergo remedijs tum proprijs tū cōibus occurrendum eſt, ne morbus in dies creſcat. Propria quidem extēplo, & intrinſecus & extrinſecus adhibenda ſunt; vt loca affecta recreentur, & à corruptione, & ab abſceſſu defendantur. Quod ſane initio fit iniectorio liquida immittendo, quale caprinū lac, aſininum, vaccinum, humanum, aut dulcium amygdalarum, aut quatuor ſemi. frigid. maiorum,

vel aquam hordei, rosaceam, plantaginis, myrtearum baccarum, endiuiæ, nenupharis, violarum, aut decoctum seminis psilij, aut seminis maluæ, aut solatri, fol. maluarũ aut violarum, aut summitatũ fabarum, aut arnoglossæ, aut glycyrrhizæ recentis, aut quatuor seminum frigidorum maiorum, aut cotoneorum, aut seminis lini cum rosaceo æqua portione. Quibus in lotionibus ouorum quatuor alba secundũ artis præcepta, agitata, in principio præsertim maxime congruunt. Quod profecto acrimoniæ, & doloris remedium præsentaneum est. Internis etiam leuationibus philonium pro antidoto miscẽdum est, atque ore sumendum, si opus sit. Quæ lotiones sane fieri possunt ex rosaceo immaturo, myrteo, violaceo, nenufarino; amigdalino, ac generis eiusdẽ cum ouorum albo. Lenimen quoque fit ex vnguento rosaceo, sandalino, refrigerante Galeni, rosaceo, violaceo, nenufarino, papaueris, mandragoræ, atque eiusdem generis cum refrigerantium herbarum succis. Extra vero (scilicet pectini, scroto, peritonæo, & coli) panni cõueniunt eiusdem lotionibus, & aquis madentibus, aut in oxicrato ex aceti & aquæ rosaceæ æquis portionibus, aut in succorum, solatri, plãtaginis, lactucæ, & aquæ rosaceæ; aceti rosacei, & olei itidem rosacei, in ouorum albuginibus pari pondere, aut in eijdem ipsis, cum suis vitellis agitatis, aceti rosacei portione dupla, & paulo aceti adiecto, vel pro his olei violacei, nenufaris, & papaueris dupla itidem portione. quibus omnibus opij aliquod

quod (si vehemens fuerit dolor) adijci possunt. quæ omnia calida magnopere conferre solent. Emplastra etiam num fiunt ex hordeacei, furfuracei, vel miliacei panis medulla, cū lacte aliquo, ex eo omni, quod supra memoratum est, quibus emplastris ouorum recentium alba cum vitellis commiscenda sunt. Aut ex hordeacea farina, cum maluarum & violarum folijs, & nenufaris, vel maluarum, vel fabarū floribus. Aut ex sandalorum, sumach, spodij, myrti baccarum singulorum semuncia. Acaciæ, hypocistidos singulorum drachmis duabus, succi plantaginis, solatri, aquæ rosaceæ, singulorū vnc. duabus, tum farinæ hordeaceæ, quantum satis est, è quibus cum albis ouorū emplastrum fiat. aut fiat vnguentū ex olei nenufarini, violacei, succi endiuiæ, plantaginis, semper viui, lactis humani, mucilaginis psillij singulorū semuncia, cāphoræ drach. dimidia cum cæra alba; quo sane vnguento renes, pecten, peritonæū, locaque adiacentia illinantur. In incremento præterea, & statu cruciantis doloris, prædictis lauationibus aliquid rubri saccari adijciendum est, aut defecati mellis, aut rhodomellis sacarini, aut rosacei, syrupi violacei, ziziphini, aut glycyrrhizæ. Aut medicamentum fiat ex corticum papaueris, amyli, succi glycirrhizæ singulorū semuncia, seminis hyosciami drachma, opij grana sex, quæ cū solatri succo & casei aqua, aut mulsa, dissoluta & in speciem vnguenti radacta loco detergendo, & futuræ coruptioni prohibendæ, & dolori leniendo præsentaneo

remedio ſunt. Aut decoctum fiat ex glycirrhiza vuis paßis ſine vinaceis, ſebeſten, dactilorum ſimpliciter, vel commiſtim, vel in decocto ligni ſancti, aut ex teneritatibus vrticarum, radicum lapatij acuti, & enulæ cum ſapa. In quorum colatura paſtilli alchechengi diſſoluantur, & ſieph album cum opio; aut fiant iniectiones cum ſucco conſolidæ, aut diſſoluatur idem ſuccus cum aliqua prædictarum lauationum. Quod ſi deterſio neceſſaria ſit, quæ planè res è multo emanante pure, & graui eius odore cognoſcitur, quod quidem & erroſionem & corruptionem, & veſicæ exulcerationem minatur, ſieph de memita, vel ærugine raſa, lapideſcens ſaccarũ roſaceum, aut ærugo raſa ad nigredinem combuſta, aut ægyptiaci aliquid cum lixiuio, aut mulſa cum lupinorum, & lentium decocto diſſoluendum eſt: quo tutiſime vteris. Sunt qui in hiſce lotionibus ad extremum remedium argentum viuum mortificatum diſſoluant. Quo, in internis præcipuè partibus, me iudice, ſi vllo alio modo fieri poßit, omnino abſtinendum eſt. Candela item vnguenti pompholigos, & apoſtolorum (vt vocant) vel alius conſimilis detergentis æqua portione illita immittenda eſt. Nec non & chalcitidis emplaſtrũ cũ roſaceo ad vnguenti ſpeciem redigendum eſt. Detergit .n. optime & conglutinat. Extra verò ex hordeacea farina, lupinorum, orobi, fabarum, & lentium, cum lixiuio, & ſyrupo acetoſo emplaſtrum imponendum eſt. Aut ex vrtica, parietaria malua, violis, vmbilico veneris

um ſapa. Aut ex maſtiches, olibani, boli armeni-
i, terræ ſigillatæ, hypociſtidos, myrtearum bacca-
um, mumiæ, farinæ ſiliginis, lolij ſingulorum ſemun
ia, olei roſacei, myrtei, ſingulorum ſeſcuncia cum
oſacea, & plantaginis aquis. In declinatione mor-
i etiam iniectiones fiant ex ſieph albo, ſiue opio,
bolo armenico orientali, ſiue communi, terra ſigil-
lata alexandrina, vel alia, ſanguine draconis ex
lachryma, mumia iniecta cum lacte humano, aqua
caſei, tota curatione præſentaneum remedium eſt,
ex hematite, cimolia, ſandalionibus, ex paſtillis de
charabe, de ſpodio ſimpliciter, aut commixtim, aut
cum aqua roſacea, plantaginis, vel myrtearum bac
carum, aut cum decocto caudæ equinæ, aut diſſolua
tur ſaccarum roſaceum cum aqua plantaginis, aut
lotio fiat ex tutia præparata, & ærugine raſa com-
buſta cum eadem plantaginis aqua, vel roſacea; de
qua mentionem fecimus in libro de ligni ſancti mul
tiplici medicina Cap. de vulneribus mentulæ. Quæ
ſanè omnia medicamentorum genera (prout res exe
gerit) repetenda ſunt. In declinatione item, can-
dela, aut plumbeum ſpecillum aliquo vnguento con
glutinante, aut cicatricem inducente illitum immit
tendum eſt. veluti vnguento de minio, lythargirio,
plumbo, tutia, calce, aut de ſambuco, aut de tutia
præparata, plumbo combuſto, antimonio, lithargy-
rio, ceruſſa, vel decies elotis cum aqua roſacea in
plumbeo mortario, cum roſaceo, aut myrteo duas
horas laborioſe agitatis. Quæ ſanè omnia dolorem

leniunt, conglutinant, & carunculæ incrementu[m] probibent, quod ſemper Medico timendum eſt. communia inſuper medicamenta neceſſaria ſunt, ne doloris magnitudine humores inflammentur, atque ebulliant, quod quidem ab acetoſis, ſalſis, acutis abſtinendo, probibetur, quæ res autem abſceſſum impediat, & facto iam medeatur. ſanguinis mißio frequens alui deiectio, cum celeſti melle, ſiue manna aut caſia in primis eſt. Tum ſoluens electuarium ſebeſten, aut leniens aliud, aut violaceus, vel roſaceus ſyrupus, pulpa tamarindorum, catholicon, & cætera generis eiuſdem, prout neceßitas ipſa ſex rerum non naturalium poſtularit. Quæ ſanè communia, & propria medicamenta non ſolum in vlcerum internorum curatione, quæ cauſa externa innata ſint, præſentanea remedia ſunt, verum etiam in quauis interna affectione, vnde exulcerationes, dolores, & excoriationes oriantur.

Quibus medicamentis abſceßibus phlegmonidibus, & heriſipelatibus ſcroti ſuccuratur. Cap. XI.

QVamquã, & antiqui, & recentiores de huiuſcemodi abſceßibus bene longam mentionem fecerunt, tamen cum in carunculæ agnatæ curatione ægritudo de membri raritate, ac neruoſa eius ſubſtantia, nec non vehementi dolore oriatur, operæ pre-

precium facturũ me existimaui, si, quibus remedijs subueniatur (quod differre periculosum sit) aperirem, prout ex longo medendi usu, & rerum experiẽtia cognoui. Abscedente igitur scroto, vel aliqua eius parte, siue calidus, siue frigidus abscessus sit, quæ res & colore, & dolore, & inflammatione superueniente indicabitur, & si communia remedia præcesserint, adhuc tamen iteranda esse censeo, & sanguinis missionem, & deiectionem alui, vt vsus & morbi magnitudo postularit. Semper enim in defluentibus humoribus ab initio propter membri facilem receptum, venæ incisio basilicæ, & saphenæ opportuna est, vt ab humore locus defendatur, & si quid descenderit, amoueatur. Vtatur itaque æger pro tenui victu, habita, & ætatis, & consuetudinis ratione, deinde ad particulam ipsam curandam pro prijs medicamentis deueniatur. In principio linimentum hoc dolenti loco imponendum est, quod habet rosacci immaturi, myrtearum baccarum, cotoneorum singulorum semunciam cum cæra. Exinde laboranti particulæ applicetur emplastrum ex solatri contusi vncijs quatuor, succi solatri vncijs duabus, rubentium rosarum, myrtearum baccarum singularum semuncia, farinæ hordeaceæ, & fabaceæ singularũ vncijs tribus, rosacci vncijs quatuor, cum decocto solatri, & rosarum. Quo quidem medicamento paucis in diebus nõnullos sanos fecimus. aut fiat emplastrum ex malorum punicorum, rubentium rosarum, lentium, singulorum vncijs duabus,

aqua & rosaceo ferueant, aut fiat ex farina hordeacea, & fabacea singularum selibra cum aceto albo, aut nigro. Aut ex teneritatum hyoscyami, hordeaceæ, & fabaceæ farinæ pari pondere cum rosaceo, & violaceo secundum artis præcepta: quod si ab his æger abhorreat, madentes panni in succo solatri, semperuiui, portulacæ, rosacei, & aceti æqua portione, aut in oui albugine cum rasacei immaturi, myrtei, succi portulacæ, & aceti pari pondere imponantur. In morbis autem incremento, & statu lenimentum fiat cum olei chamomælini, amygdalini, rosacei, myrtei æquis portionibus. Imponatur emplastrum ex florum chamomillæ, & meliloti singulorum vncia, farinæ fœnigræci, & fabaceæ singularum vncijs tribus, seui caprini vncijs quatuor, cum rosarum, & chamamillæ decocto, cum ab igne remouebitur, additis vitellis ouorum tribus. Aut ex farinæ triticeæ, & fœnigræci singularũ selibra, axungiæ gallinæ, olei violacei singulorum vncijs quatuor cũ vino albo: aut in incremento, statu, & declinatione ex pulpæ passarum vuarum, fabaceæ farinæ, ciceris, & lentium singularum vncia, cumini semuncia, olei liliorum cœlestium, sapæ singulorum selibra. In sola autem declinatione fiat ex diaquil. minore, diapalmæ singulorum sexcuncia, vrsinæ axungiæ drachmis tribus. Quod emplastrũ quarto quoq; die imponendum est: quod si abscessus maturescere incipiat arte adiuuetur, incidatur & curetur vt fieri consueuit. Cum aũt frigidi humoris peccantis inditium

tium

ium est, in scroto abscedente, optimum remedium tota curatione est emplastrum ex triticijs furfurib. in tenuiorem puluerem redactis, libra vna, vini sulphuris semuncia, ammoniaci aceto dissoluti vncijs duabus, oxymellis simplicis, quantum satis est, quod calidum imponatur, aut exarentium rosarum, mille folij, stercoris caprini æqua portione cum vino albo, aut lenimentum à principio ad finem ex cimolia aceto dissoluta: aut ex lithargyrij aurei, plumbi vsti, olibani, mastiches, colopho. assæ, fetidæ aloes, singulorum semuncia, cum oleo, & aceto rosaceis, & in mortario plumbeo agitatis. quibus bis in die abscedentia loca illinantur, aut fiat ex furfuribus decoctis ex vino, aut ex semine lini cum vino, aut foueatur locus bis die spongijs hoc decocto madentibus, & parum expressis, scilicet seminis fœniculi, apij, petroselini, carui, dauci, anisi, cimini singulorum vncia cum vino albo, ferueant vt ex more artis fieri consueuit. Illud autem diligenter animaduertendum, ac præ oculis semper habendum est, ne suppuratio abscessus distrahatur, & relinquatur sanies. Quinimmo ante absolutum humorum concursum, & perfectam curationem incidatur, ne scrotum ac testicoli emoriantur. Quod sanè breui tempore fit, nisi diligenter prouideatur. Quod si tamen contingat, ad corrupti amputationem (ne pars syncera trahatur) deueniendum est.

Qua

Qua ratione ſanati conſeruentur.
Cap. XII.

PRudentis Medici conſilio prouidetur, ne caru- cula, vel callus (vt quandoque accidit) rurſ innaſcatur: quod quidem rebus ſex non naturalib fit, prohibendo ſcilicet humorum acumen atq; adı ſtionem, & à noxijs abſtinendo ne rurſus humor defluant locum infecturi. A venere igitur potiſſi mum abſtineat, qui iam ſanitatem eſt conſecutus dum cicatrix bene inducta ſit. Alioquin facillim locus labefactari poßit: vt pote infirmus, ac debili Idcirco præter illa, quæ ad victus rationẽ, & phar maceuticum regimen attinent, optimum quidem re medium fuerit ligni ſancti decoctum, vt in eius li- bro diximus, cum de renum, & veſicæ vlceribus ag retur. In omni enim curatione, atque in omni æta- te, & in quouis humoris affectu, ſiue calidus, ſiue frigidus ſit, ſalutarem inde habebis medicinam. Quod ſi ab vſitata, atque integra eius aſſumptione abhorreas, in prandio ſaltem, & cœna eo abſtinen- dum non eſt: cuius præparandi rationem eodem lo- co deſcriptam inuenies. Vrinæ autem iter rectè tuebere, ſi candelam butyro, aut oleo myrteo, aut ro ſaceo, aut amygdalino, aut aliquo vnguento ex his, quæ cicatricem inducunt, illitam immittas, aut ea ex emplaſtro chalcitidis, vel diapalmæ fiat, quæ ſi- ue per ſe, ſiue ex aliquo oleo inuncta mirificè pro- deſt. Si autem inter immittendum carunculæ, vel

calli

alli impedimentum, id eſt eminentiam ſentias, ex iridi cæra, hoc eſt, ex ærugine raſa commiſta (vt harmacopolæ nouere) conflanda eſt. Aut aliquid lei vitrioli diſtillati, ex ceræ viridi, vel alicui dictorum emplaſtro more artis admiſceto. Deſiccat nim carnemque omnem ſuperfluam minuit. Ita vt on modo præſeruandi, ſed etiam curandi præſentaneum ſit remedium. Quæ omnia, quoties opus fue it, repetenda ſunt.

Hæc habui de huius carunculæ morbo, quæ di erem, cum præſertim breuitati pro virili conſuleremus. Quæ ſi Medicis (vt ſpero) probabuntur, non dubito, quin & ægris valetudinem medendo, & ſibi ipſi decus quàm facillime pariant.

FINIS.

INDEX.

HOC OPERE COMPREHENSORV

Index. Liber Primus.

Liber Secundus.

Liber Tertius.

COROLLARIVM PRIMI libri De Caruncula.

FINIS

ILLVSTRISSIMO ATQ. EXCELLENTISS. VIRO CAROLO COSAEO BRIXIACENSI,

Tribuno Martiali,& in Subalpina Liguria Proregi meritiſſ.



Leonardus Botallus Medicus ſuus ſalutem plurimam precatur.




ON corporis robore, vel artuum dexteritate, illuſtriſſime atque excellentiſſime Prorex, humanum genus cæteris animantibus præſtare videmus, verùm hercle intelligentia ipſa, qua cum moderatis viribus, vniuerſis, quæ ſub Naturæ imperio ſunt poſita facile dominamur, vti-urque prout libet, vel nobis ſit vtile, aut quidem neceſſarium. ua item intereà duobus bonæ indolis homines, varijs ſtudijs, uerſiſque officijs ac artibus ſe addixerunt, ita vt ad tempera m, honeſtam, iucundamq; vitam nil amplius deeſſe videatur. t Natura officioſa non modo corpus membris munitum ad om ia terrena negotia paratis, et mentem ad contemplationem, di inctionem, atque rerum electionem nobis plus cæteris ſibi ſub- itis elargiri contenta fuit, verumetiam ſupra hæc, vt linguæ ntegro munere frueremur, effecit, ad noſtræ mentis conceptus gnificandos, & paſſiones effingendas, quæ ſenſuum beneficio obis afferri ſolent. Quæ omnia veluti ſub nube perpendens, uum adoleſcentiam agerem, frequenter contemplabar, nil vnquam concludens, præterquam immeritiſſimum prouidæ Naturæ beneficij eſſe hominẽ, qui tempus deſidioſe conterens, præſtantiſſimam animæ partem ſopitam, ſepultamque relinqueret, aut

illam

illam in rebus humilibus, vel abiectis damnandisúe occuparet. Hinc euentum est, vt quadam discendi cupidine, velut stimulo concitatus abhinc annos tredecim fidenter Philosophiæ ac Medicinæ me totum tradiderim, in quibus sub nutu, vel potius fauore excellentiæ tuæ adhuc assiduus versor. Atqui mihi intereà loci quorundam neotericorum authorum scripta legere accidit, De curandis sclopettorum vulneribus inscripta, quæ cùm diligenter examinauerim, & rationis atque experientiæ omnino vacua esse cognouerim, fore vtile multis in futurum existimaui, si in re hac, quantum experientia colligere, ac ratione comprobare potui (perinde vt vires meæ vsque adhuc ferre potuere) exponerem. Quod nunc peractum opus excellentiæ tuæ dicare non dubitaui, sperans id non humiliorem locum in tuo conclaui rerum memorabilium possessurum, quàm ego in honestissima, magnificentissimaque domo tua. Nam Regum, Principum, magnorumque virorum domus, quales, quantæque ipsæ re fuerint, singularum bibliothecæ, rerumque memorabilium conclauia, imitantur. Quamobrem vt hoc meum munusculum spernas, causa non est. Suscipe id igitur eo animo, ac tibi dicatum est. Offertur vtique hilari, atque syncero. Et quanquam eiusmodi lectione non itidem oblecteris, atque Philosophorum scriptis, vel Mathematum cuiuscunque generis, siue politicorum, aut historiographorum, vel ijs omnibus, quæ ad bellicam facultatem spectant scientijs, vtique tuo nomine tuoque acutissimo (ut uera fatear) ingenio dignis, circa quas sic apprimè te exercitatum esse compertum est, ut formidet sagax quicunque miles, seu cohortis præfectus, siue architectus, uel quantumuis in regendis ciuitatibus instructus doctor, qui de ijs te præsente (Polemarce dignissime) sit uerba facturus: plurimi tamen faciam, si hoc quandoque tantum apud te ualere intellexero, ut uel paululum beneuolam memoriam mei tibi deditissimi refricare possit. Faxit Deus, ut diu, & fœliciter viuas. Vale.

DE CVRANDIS VVLNERIBVS SCLOPETORVM.

AVTHORE LEONARDO BOTALLO ASTENSE MEDICO.





VO tota oratio clarior reddatur, primò quid ſit genus, quod intendimus, deſcribere conueniet, deinde quomodo finem optatum aſſequi poßit medicus, chirurgusúe, qui rem tractabit, exponere, non dißidendo à famigeratorum ſcriptorum ſcientia, non antiquorum modò, verum etiam recentiorum, vbicunque illam ratio comitabitur: et ſi quicquam boni in hoc genere à nobis inuentum ſit, (quod non minimum fore exiſtimamus) adÿciendo, omiſſa omni animi gloria, ac tantùm tuendæ veritatis deſiderio motus, patientibusq́; occurrendi, vbicunque ars prodeſſe poterit. Dicimus igitur ſubiectum noſtri negotÿ eſſe, vulnus cum contuſione, laceratione, ac ſæpius cum oßium fractura, à ſclopetorum glande factum. Verúm antè, quàm vlterius progrediamur, cúm inter ſcriptores neotericos, qui de hac re ex profeſſo tractare ſuſceperunt, nonnulla ſit de puluere huius inſtrumenti diſceptatio, dignaq́ue diſcuſione: non erit opere indignum, circa eam paululum laborare. Dicunt autem aliqui, pul-

uerem hunc venenosum non esse, alij sæuientes negant, argumenta frangunt, & contrariam opinionem leuioribus medijs fulciunt. Quare scrutandum erit, quisnam in hoc negotio melius senserit. Nam errantium alius ex falsis falsum, & alius ex falsis aliquid veri condidit, inter quos Alphonsum Ferrium, & Ioannem de vigo in medium ducimus. Hic principijs falsis vtitur, cum pulverem, ac eius medio vulnus illatum venenosum dicat, ac vstum: curas verò quodammodo principijs suis contrarias, vt facilè iudicare poterit quisquis cũ iudicio eius scripta legerit. Alphonsus, & falsum concludit, & falsa posuit principia, sibi ipsi sæpius contraria dicens. Puluerem enim, et glandem ab eo proiectam, venenosam esse, ex consequenti, & vulnus: ostendit autem id (refert) eius compositio, constans ex sulphuris parte vna, nitri partibus decem, carbonis parte vna, sulphur ad quartum caliditatis gradum accedens, nitrum ad finem secundi ex quibus constat totum compositum, quarto caliditatis gradu detineri. Hæc Alphonsus. Quis (quæso) iudicij tantum expers erit, qui dicat decem partibus aquæ mediocriter calidæ, vnicam binasùe feruentis, si addideris totam miscellam feruentißimam reddi? Certè neq; Aristoteli, neq; Auerroi, neq; Galeno, neq; alicui sapientum authorum, neque rationi, minusq; sensui arridet hæc sententia, imò feruentißimam feruẽtißimæ, si addamus, totam miscellam feruentißimam dicimus. Sic si calidum in quarto calido in quarto

Alphonsi ratio.

addas,

ddas, in quarto calida erit miſcella, & omnino frigidam æquis portionibus feruentiſsimæ ſi addideris quis medium ex his conflari negabit, quod temperatum dicitur? Et feruentiſsimæ ſi decuplum mediocriter calidæ admiſcueris, hanc aliquantulum reddes magis calidam, illam verò minus. Quomodo igitur fatendum erit, puluerem hunc attingere quartum caliditatis gradum, ſi partium nulla ipſius illuc accedit, neq; nouam aliquam formam ab ea, quæ mi illi eſt, acquiſierit? Sed detur quòd illuc attingat, neq; ex hoc deducet venenum fore: ferrum nanque candens, flamma, viuacesque carbones, piper, piretrum, & ſimilia venenum diceremus. Sunt quidem venena omnia in ſe lethifera, non hercle uice verſa, quicquid lethiferum, illud & venenum eſt. Alia ratio Alphonſi: Argumento etiam ſunt eius artifices, »
qui confectionis tempore ab acribus abſtinent, vt cæ »
pe, allium, & cætera huius generis, & experientia »
autem (& ſi cauſam ignorent) ea ſibi obeſſe cogno- »
uerunt. Sed quid dicemus de hoc genere medij, nun- »
quid venenoſitatem probet aliquam pulueri ineſſe? Abſit. Imò caliditatem. Nam vltra calorem, qui motu augetur, cibis item acribus altus artifex ſanguine calidior ſpiritibusq; redditur: quòd ſi tundendo acria, eorum ſubtiliſsimum pollinem in pulmones traxerit inſpiratione, nemo eſt qui magis eas partes calefieri neget, ex conſequenti læſionem aliquam ſequi poſſe, cuius cauſam ignotam eſſe inconſultò dicit. Deinde vt magis ſuam roboret opinionem, pu-

trefactionem, mordicationem, rosionem, vlceratio nem, & corruptionem esse venenum comitantia pr pria symptomata affirmat, ac si putrefactionem no faciat probibita transpiratio calidorum, & humid rum humorum, vel alterius particulæ putridæ con tinuitas, vel cōtiguitas, vt in putridis vlceribus pe petuò videmus, & alia præter hæc multa vel no mordicet, rodatq́; bilis flaua, si ad vlcera feratur vel mel, aut æris flos, vel aliud quippiã simile, si ap- ponatur, vel hæc eadem bilis, & atra non vlcerent, non corrumpant, si in aliquam partem abundante corruant. Ecce quàm bene hæc veneni propria dic poßint, quum ea ad bis mille alia sequi posse sit com pertißimum, et ad hoc, quod genus veneni dicit, nec semper sequantur, nec vt plurimùm subiungit. Sed quotum gradum veneni habeat hic puluis, siue à to- ta simplicium compositione, à qua prouenit formã, quam specificam dicimus, non autem quia calidus neq; siccus, sed quia talis sit, seu vis ea ab euidenti- bus facultatibus prodeat (vt dictũ est) ignoratur, perpetuoq́; (vt existimo) ignorabitur. Sed et hæc quis non videt inter se pugnare? Dicere scilicet ef- fectum aliquem ab aliqua posse euidente causa pro- uenire, quæ tamen occulta nondum in lucem prodi- tura sit. Præterea nunc dicit, Non quia calidus et siccus, sed quia talis, ac si suprà non conatus fuisset ostendere compositionem hanc venenosam esse, quia ad quartum caliditatis gradum accedere existima- bat. Quantum igitur leuitatis habeat totus eius ser

mo,

io, ſatis patere exiſtimo legentibus, qui rationabi-
ter artem tractant, ac quàm debiles, à ſcopoq; ab-
rrantes ſint eius rationes, et alij præter me norunt,
t ipſe in ſuo corollario in fine eiuſdem operis anne-
o, vbi etiam frigidiſsimè aliquibus argumentis cõ-
ra eum facti reſpondet, accidentia quæ huic morbo
propria eſſe exiſtiſtimat, allegando. Præterea &
venenum veneno eſſe remedium, de ſcorpione exem
plum afferendo, qui proprio morſui ſit remedium.
Quis (quæſo) adeo ingenio rudis erit, qui veneno
ſcorpij eodem veneno ſuccurrat? Oporteret iterum
ſiquidem pungere, & guttam veneni reiaculari, vt
ſcorpius lædendo agit, ſi venenum eodem veneno cu
rare vellemus. Scimus enim & roſam puncturæ pro
priæ ſpinæ eſſe remedium, non tamen ſi eadem ſpina
repupugeris curabis. Quis iterum viperarum mor-
ſum, morſu reiterato ſanare tentabit? et tamen illa-
rum pinguedo, & ex ijs confectum medicamentum
theriaca dictum, præſtantiſsima ſunt remedia, ve-
rum tamen reiectis extremis, in quibus magis viget
venenum, media verò earum corporis parte ſic bene
ac diuturnè lota, concocta, ac cum aromatibus con-
fecta, vt nullum penitus præ ſe ferat amplius vene-
ni veſtigium. Sed ijs omiſsis, rationem aliquam (ſi
habeamus) in medium ferre tempeſtiuum eſt, ne nos
nudis affirmationibus ſententiam noſtram fulcire
quiſquam exiſtimet. Inſeramus igitur primò, ac vt
axiomata ponamus nonuullas philoſophi propoſitio
nes, Naturam ſcilicet dare tantum de conſequenti-

busformam, quantum de ipsa forma. Item quan[...] cõmistilia potentijs adæquantur, tunc vtrunq; tra[...] smutatur in dominans ex sui ipsius natura, nec ge[...] ratur alterum, sed medium cõmune. Præterea qu[...] miscentur adinuicem, corrumpere intentiones nec[...] se est, non tamen in omnino alienas, contrariasq; [...] transmutari. Item idem, & similiter se habens, sem[...] per natum est facere idem. Ab ijs dicamus, vene[...]

Veneni descriptio.

num esse, quod facultate propè occulta naturæ hu[...] manæ sic contrariatur, vt quantumuis paucum, ve[...] ore deuoratum, vel odore perceptum, vel externi[...] partibus applicitum non poßit vllo modo concoqui, alterari, nec expelli, sed partem potius coniunctam sibi corrumpere, reliquasq; circumiacentes ex consensu afficere tentans, donec totum animal sit extinctum: nisi virtus patientis valentior sit, aut alexipharmacis occurratur. His poßitis lucidißima erit sententia nostra. At quum debeat quicunque cupidus nosse naturam alicuius rei, primò scrutari naturam eorum, ex quibus illa componitur, videndum erit igitur quid veteres scriptores sentiant de partibus huius misti, deinde vtrum ex mistione, vel potius ex transmutatione eorum, vel alia causa quicquam venenosi sequi poßit, perscrutabimur. Sul-
» phur (inquit Dioscorides) optimum existimatur
» viuum, quod apyron vocant, nitedulæ modo splendi
» dum, perlucens, minimè lapidosum. Probatur in ge-
» nere sulphuris ignem experti, quod viret, ac præpin
» gue spectatur, plurimum in Melo, & Lipara gigni-
tur.

ur. Supradictum ſulphur calefacit,diſcutit,& ce- ,,
riter concoquit: prodeſt tuſsibus,ſuſpirioſis puru- ,,
nta extuſsientibus in ouo ſumptum aut ſuffitum: ,,
ræterea partus,vſti nidore extrahit:lepras,liche- ,,
as,ſcabros vngues,cum reſina terebinthina miſtum ,,
ufert: cum aceto autem illitum ad lepras efficax ,,
t: vitiligines tollit: ſcorpionis ictibus, addita re- ,,
na,medetur: cum aceto verò,draconis marini ſcor ,,
ionisq; plagas ſanat. Pruritus toto corpore erũ- ,,
entes,cum nitro deterſum,ſedat: regium morbum ,,
mendat inſperſum fronti cochlearis menſura, aut ,,
n ſorbili ouo ſumptum. Facit ad grauedinem,& de ,,
illationes: ſudores quoq; conſperſum inhibet: po- ,,
lagricis,cum aqua & nitro illitum,conducit: gra- ,,
uitatem auditus, ſuffiti nidore raptim per fiſtulam ,,
hauſto,ſanat: lethargicos ſuffitu excitat: erumpen ,,
tem vndecunq; ſanguinem ſiſtit; contuſis auribus, ,,
cum vino,& melle medetur. Præfertur nitrum le- ,,
ue,roſeo colore,aut candido,in foramina dehiſcens, ,,
perinde quaſi ſpongioſum quiddam, quale ex Bunis ,,
affertur. Humores euocat,qui in alto concreuerunt: ,,
ſpuma nitri optima eſſe putatur, leuiſsima, gleboſa, ,,
friabilis,colore penè purpureo,aut ſpumoſa,& mor ,,
dens: qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur. Se- ,,
cunda eſt Aegyptia. Quin & in Magneſia Cariæ ,,
gignitur. Vim & vſtionem ſalis habet,tam nitrum, ,,
quàm ſpuma eius. Præterea nitrum tormina ſe- ,,
dat,ſi tritum cum cumino bibatur, in hydromelite, ,,
aut ſapa, aut aliquibus, quæ inflationes diſcutere ,,

" possunt, vti ruta vel anetho. Febribus circuitu re-
" deuntibus illinitur, ante suspectam accessionem. M
" scetur emplastris, quæ extrahunt, & discutiunt
" extenuant, & lepras abstergunt. Cum aqua autem
" calida, aut vino infusum, inflationes, purulenta
" aureis, & sonitus earundem sanat: sordes expur-
" gat, cum aceto instillatum. Canum morsibus ex asi-
" nino adipe, aut suillo medetur: resinæ terebinthinæ
" admistum furunculos aperit: aquæ inter cutem cum
" ficu illinitur: oculis ad claritatem visus cum melle
" succurrit, & venenis fungorum ex posca potum,
" aut si buprestis momorderit, ex aqua ijs verò qui
" taurinum sanguinem biberint, ex lacerpitio, ijsque,
" qui cibum non sentiunt, vtiliter obducitur: opistho-
" tonisque iam remissioribus & luxatis, cum cerato:
" in ressolutione linguæ, pani commodè permiscentur.
" Aliqui supradicta carbonibus vrũt, subiecta priùs
" testa noua, donec incandescant. Hæc de sulphure,
" & de nitro Dioscorides, quæ ferè omnia eodem mo-
" re Galenus, Aetius, & aliorum plures recitant. In
" quibus patet nihil venenosi esse, non modò extrinse-
" cus applicita, verùm nec ore deuorata, nec odore
" percepta, sed neque in carbonibus canabinis, sali-
" ceis, vel iuglandum, qui in hac mistura componun-
" tur. Hos enimuerò videmus sæpe pueros, & præ-
" gnantes, & pica laborantes edere, non tamen ve-
" neni more officere. Similiter & horum in vulneri-
" bus applicitus puluis exsiccat: & nos quandoque
" cum vtilitate ægrorum experti sumus, vbi aliorum
in-

inueniendorum medicamentorum eiusdem potentiæ non dabatur facultas. Sed nec dicemus vino venenũ inesse, vel aquæ ardenti, vel aliquibus similium, quæ pro humectanda compositione adduntur, minus hercle vasi, in quo tunditur: nam id per se manifestum est. Sed nunquid mistionis ratione (vt Alphonsus etiam profert) aget fortasse mistum quicquam omnino diuersum facultatibus suarum partium? Non quidem, sed remittuntur, obtunduntúrque misti partium potentiæ adinuicem, si inter se diuersæ, contrariæúe fuerint, (vt supra diximus) mistis autem contingit, inter se æqualiter, proportionaliterúe agere, vel pati, ita quòd aliqua media qualitas, vel inæqualis inter æquales, vel inæquales contrarietates proueniat. Prætereà et sensui cõpertißimũ est, si in vulneribus, vel casu, vel consilio modestè apponatur, nõ modò more veneni cõficere, sed medicamenti facultate exsiccare, abstergerèque (vt idem etiam attestatur Alphonsus.) Si igitur ratione mistionis per se non probetur Alphonsi, aliorùmq; eandem opinionem sequentium intẽtio, relinquitur vt hæc transmutationi (vt Alphonsus, qui illam fulguri cõparat) adscribatur: verùm neque hanc illud præstare posse asserimus. Nam quũ causata eodem modo neceßitatis consequantur suas causas in rebus generalibus, ac in rebus æternis, grauioribus igitur mediusfidius symptomatis cruciarentur eadem flamma vsti, quàm qui aliјs ignibus, vel quàm qui vulnera vi eiusdem pulueris suscipiunt:

ſcipiunt: quantò vtiq; valentior eſt agens & actio, & quæ ad ea ſequuntur, tantò valentiora eſſe debent in eodem paſſo. Vir fortis vno ac minimo digito centum ſi leuet è ſolo libras, quid obſtat, quò ducentas non leuet, ſi tota manu, maiore vi ac diligentia fiat. Membri igitur affecti tumiditas, inflãmatio, corruptio, aliàque ſimilia ſymptomata, venena comitantia, flamma huiuſmodi pulueris vſtos (ſi venenoſa eſt,) vehementiùs cur non affligunt? Senſus enim omnium demõſtrationum potiſsima ſententiæ rationibusque noſtris quantum faueant, patere ſatis exiſtimo ijs, qui in arte medica non mediocriter ſunt verſati. Id nempe perpetuò obſeruaui, cùm in bello innumeros, vel tota facie, vel manibus, vel cruribus, alios ſimul cum ijs, & ventre, vel tergore vſtos cõſpexi, quos nihil immitius vrgebat his quos alia flamma flagrauerat, data affectus paritate. Sed de his vſque ſupèrque quàm ſatis eſt dixiſſe videbor, quum planum fecero, quid & Alphonſum ac reliquos eandem opinionem ſequentes à veritate declinare fecerit. Decepti, me hercule, ſunt non ſignum pro ſigno accipientes, ac qui debili viſu, vel longo interuallo intuentur, aſſerunt ignem alicubi exiſtere, vapores pro ſigno oſtendentes, quos fumum eſſe crediderunt. Similique modo Alphonſus, ac alij nonnulli gangrænam cùm viderint paulò frequentiùs homines ſclopettis vulneratos afficere tanquam affectum magis compoſitum, quàm qui mucrone, vel ſpiculis, in hanc ſtatim ſententiam lapſi

psi sunt, non cernentes gangrænam, & reliquorum armorum vulnera: luxationes, contusiones, simplices fracturas, compositasque sequi, & per se quandoque excitari, per se dico, si nullam habeat extrinsecam causam. Ac sæpißimè vulneratos sclopettorum glande non inuadere: quod vtique non fieret, si venenosum esset. Nam à causis, quarum natura est eadem, & non differunt, nisi secundum magis & minus, non sequitur nisi vna natura diuersa secundum magis & minus, sic vt causæ diuersæ in quantitate causata habeat diuersa in quantitate. Semper igitur aliquod illius veneni vestigium præ se ferret vulnus, mitiùs, vehementiusúe, secundum causæ efficientis potentiam. Verùm hic non sic se res habet: innumeros enim curaui, cùm chirurgiam manibus proprijs exercerem, ac ijs plures (postquàm alias medicinæ partes factitare cœpi) curare iußi non aliter ac vulnera contusa, nullo habito ad aliquod veneni genus respectu, et quidē vt plurimū fœlicißimo cum successu. Non aliter etiā à prædicto modo errant (hallucinatione scilicet) vulnus hoc asserentes esse vstum, quum tantum tepeat glans, aut calore hæc non multo teporem excedat, dum vulnus infertur. Quis (quæso) glandem in parietibus proiectam, quæ statim præhensa vrere manus fassus est? Sæpe quidem hoc probaui, nec vnquam vrere sensi, non quidem in instanti glandis tantus calor dissoluitur: paries enim illam non modò calore exuere debuit, sed calidiorem reddere. Solidorum enim

cor-

corporum concußio vehemens quis generare ignem sæpius non videt? Si malleum malleo fortiùs concuties, vtrunque calefieri quis non spectat? Qui igitur in hanc ducuntur sententiam, peccarunt fallacia positionis, ponentes (vt de veneno diximus) non signum pro signo, carnem scilicet contusam, corruptamque pro eschara, crustaúe, quæ ignis vi fieri solet, ac si sic dicćetur eorum ratio, crusta est, ergo ab altero ignium, ergo ab actuali: nam actu calida est glans. Sed claudicat hæc ratio omnino, cum eschara non sit. Plures quidem curaui, fatentes se nescisse à principio esse vulneratos, etsi glandem in membro ferrent, non perturbato ferè eorum animo. Hos siquidem maximè vrere debebat, ac ardore cruciare: non enim sine magno sensu, per aliquod temporis spacium (si crustam facere potis est) glans insisteret. Sed & etiam hoc crustæ genus, ad ea, quæ ex glande terrea à ballista proiecta, vel aliqua alia vehementi contusione fiunt vulnera, sæpe, ac ferè semper, sequi vidimus: non diuerso modo dico, & quæ à glande sclopetti, etiamsi carnem non contingat: ex quibus hercle aliquot quidem habuimus, nostræ curæ nostroque consilio submissos, tale vulnus patienter, vt glans quandoque cute infracta, quandoque verò in profundum caligarum pannum, & subuculam intrò ferret, nemine horum fracto. Similiter & in brachijs, varijsque alijs corporis partibus vidi vulnus patientes profundum, non laceratis vestibus, sed ijs simul cum pila carnem intrantibus,

mus, nullo relicto vstionis signo in pannis ipsis, putrida tamen caro (quam escharam ab igne factam inconsultò esse volunt) perpetuò apparuit. Ex his enim plures ad opem nostram confugerunt, vnum tamen inter alios pro fide recensebo. Magnificus dominus Bertuillæ Præfectus cohortis Gallorum peditum, perpessus est anno præterito vulnus in brachio sinistro ad sex digitos supra cubitum, ad oßis vsque regionem delata glande in diploide ex lino confecto, & subucula inuoluta nulla iniuria ijs relicta, quæ vel laceri, vel vsti aliquam speciem repræsentaret. Statim tamen ego Lucio Montano Calliensi, iuueni sanè studioso, & erudito, qui tunc temporis meo consilio chirurgiam tractabat: & Chirurgo domini Polemarchi, Illustrißimi domini mei (ambo enim curæ interfuerunt) prædixi, (quo animo in re tam manifesta non penderent ancipiti) vt animaduerterent futuram esse escharam, quam igne productam rebantur, etsi ignis nullum adesset vestigium, vt intelligerent, illam esse carnem contusam, non vstam, quæ sic apparuit, non secus ac in reliquis vulneratis apparere solet, quem prætereà virum rationali nostra cura ordinata, adhibitaq; paucis diebus sine labore ad sanitatem reduximus. Sed circa hæc satis superq; dictum sit, ne nos opus suscepisse contradicendi gratia, alicui censendi ansam demus, quod omnino semper abhorrui, nisi vbi me tuendæ veritatis stimularet cupido. Ad institutum igitur omne ope, atque opera accingamur.

De

De modo curationis. Cap. I.

CVm nemo affectum hunc non secus ac reliquos graues tutò curare poßit, nisi qui cũ experientia naturalem calleat philosophiam, circa quã nempè admodum pauci, qui chirurgiam pertractant, versantur, fatendum erit, huiusmodi artifices non rarò (etsi parui quandoque momenti sint affectus) grauius errare, in pluraq; periculi genera incurrere. Quò igitur hos ab errore eripiamus, ac ægris opem feramus, methodicam in hoc genere morbi curam perscribere toto pectore excogitabimus. Hæc primò ablatione extraneorum, mox deperditorum restauratione perficitur. Extranea appello non tantùm quæ extrinsecus adueniunt, sed quæcunq; nostræ naturæ contraria aliquo modo sunt, vt glans, ferrum, lignum, pannum, et similia, imò etiam quæcunque ab ipsa natura conseruari non possunt: ex horum genere sunt ossa fracta, caro contusa, vel lacerata, sanguis extrauenatus, pus, & reliqua huiusmodi, quæ licet anteà partes, vel particulæ nostri corporis essent, tales tamen nunc non sunt, quare & hæc ablationem desiderant, quàm quomodo præstare tutò poßis, explanemus.

Cura quib[9] perficiatur.

Extranea quæ.


De extraneis auferendis. Cap. II.

QVantum igitur id, quod ad auferenda extranea pertinet, Chirurgum, & ingenio præ-

præditum, & experientia comprobatum deside-
ret, sæpius cum graui iactura experiuntur ægri, ac
cum pudore eorum plures, qui etsi artem non cal-
leant, chirurgi tamen dici volunt, hanc artem nulla
ratione, nullaque experientia comitati profitentes,
ac millies in errores grauißimos incidentes propter
eorum ineptiam: quare neque ab erroribus absti-
nent, vt qui in fracturis phlegmones excitant, pro-
pter ligaturarum structuras, nec illas soluunt, cau-
sam ignorantes, aliunde remedia aucupantes. Hoc
more errare solent imperiti chirurgi in perquiren-
dis, auferendisque extraneis, necnon in membris im
piè tractandis, statim vulnera ampliantes specillis,
digitisq; nulla habita consideratione de parte, deq;
totius corporis habitu, peruestigando, mouendo, la-
cerando, pungendo, secando, contundendo, compri-
mendoque, vnde phlegmones sæpe excitantur, venæ
rumpuntur, dolores ingentes inducuntur, ac varia
alia symptomata, ac morbi, quæ omnia sæpius ad se
curam cõuertere cogunt, principalem ferè affectum
spernere vrgentia: quod non contingeret in pluri-
bus, si vel recte tractarentur, vel Naturæ saltem
beneficio relinquerentur. Censemus propterea, ne-
que omne vulnus ampliandum, nec omnia extranea
remouenda, nec contraria parte semper aperiẽdum,
vt plures ineptè fecisse, ac pluries in dies facere vi-
demus. Sed quæ, quando, & quomodo isthæc præ-
stare oportet, nunc compendiosè dicemus. Extra-
nea propterea extrinsecus aduenientia auferenda
esse

esse confestim existimamus, quæ ægrum in grauiora pericula inducere valent. Similiter illa, quæ sine iactura, & magno dolore educi possunt. Graue periculum expectandum est, si glans comprimendo neruum aliquem grauioribus doloribus ægrum infestet, vel si circa alicuius ventris regionem fuerit, capitis puta, vel thoracis, vel inferioris ventris, & suspectum sit, ne in futurum penetret, & hoc si commodè fieri potest in prima cura, melius est, quàm differre. Hoc maximè de glande dico, quoniam hæc propter pondus variat situm, sic vt commodè posteà inueniri non poßit. Animaduertendum tamen est, ne attentus huic officio, sanguinis sit non leuis aliquis fluxus, quò patientis vires destituantur: quod sæpe contingit in manibus empiricorum malorum. Sistere igitur prius hunc laborandum est. Si autem adsit oßium fractura, ac eorum squammæ aliquæ sint periostijs denudatæ, quæ sine magno dolore auferri poßint, educas: aliter, sinas. Nam Natura illa ad exitum posteà facilitabit, & glans similiter propter pondus in cutaneam partem aliquam descendet, vbi sine noxa imposterum educi poterit. Educuntur instrumentis ad hoc munus aptis, rostro scilicet appellato gruino, vel coruino, aut captorio alio quopiam simili, secundum quod vulnus, & materia extrahenda postulant. Forma autem eorum, quibus nos vtimur, hæc est:

Extranea q[ui]bus educenda.



quæ ad omnia vel glandes, vel oſſa educenda, commodiſsima experieris. Inſtrumentum autem Alphonſinum omnino inutile eſt: aliud vero, quod ad glandes tãtũm extrahendas, iam ante Alphonſum fuit inuentũ, ex cannula ferrea, in quam ſtylus tor-

tus, acutusq́; ad vitis (vt dicunt) formam immittitur, qui in pilam inſeri debet, hoc etiam (inquam) inutiliſsimum eſt, & maximè noxium. Raró vulnus dilatandum eſt ferro, niſi acceptum illud ſit in capite cum dubio de cranei fractura, vel cùm ſub cute tantùm percurrit glans (& hoc poteſt contingere in reliquis partibus corporis, quod diuerſo modo ab hoc non eſt tractandum,) ſic vt cutis illa ſit interitura, vel cúm pila thoracem, aut inferiorem ventrem inſiſtens, per proprium vulnus educi non poſſit, vel ſi in inferiore ventre fuerit, ex quo inteſtina exeant, quæ fomentis, & alio ingenio intromitti nequeant, alio autem modo raró contingit, eſſe vtile vulnus dilatare. Contraria parte vulnus aperiendum eſt, ſi glans cutaneam ibi ſe oſtendat, impotens per proprium oſculũ educi, vel ſi ea pars decliuior ſit, ac non profunda multùm, in qua pus detineatur, aut incommodè per vulnus principale expurgatur. De his autẽ, quæ partes, vel particulæ corporis fuerunt, auferendis, ſi digitus, vel pes, manus, brachiũ, vel tibia taliter ſint fracta, cum carnis, ac vaſorum laceratione multa, (quod ſæpe magnæ bombardæ facere ſolent,) ſic vt de horum membrorum vita, nulla ſit amplius ſpes, illico illa amputanda eſſe cenſeo. Si autem aliquid ſit de vita ſperandum, ſaluti horum conſulere nitendum eſt. Quod ſi deinde illa vita deſtitui videris, ad ſectionem ſtatim confugies. Idem dico de carnis, neruorum, tẽdinum, oſsium, vel ſimilium fruſtulis. Sanguis extrauenatus, pus, & ſimilia

[Margin: Quæ uulnera dilatanda]

[Margin: Quãdo contrapertura facienda.]

[Margin: Mẽbra quæ amputanda.]

milia, eo modo educuntur, vt pus in cauis vlceribus vel ſanguis ex alijs vulneribus educi ſolet.

De reſtauratione perditorum. Cap. III.

QVoniam deperditorum reſtauratio vt plurimum ac ferè omnino beneficio Naturæ ſubijcitur, carnem ſcilicet, ſanguinem, ac reliquas partes regenerare, eaſdem glutinare, cicatricem inducere, vimq́ue deperditam reſtituere, chirurgi propterea, ac patientis munus erit (vbi ſeipſa nō ſufficiat) illam in proprio habitu conſeruare, vel ab eo inclinatam ad eundem (quo ad fieri poteſt) reducere. Et hoc non modò de affecta particula intelligendum eſt, ſed & de vniuerſo corpore. Impoßibile enim eſt principalium membrorum ineſſe affectum, qui reliquis partibus, quibus miniſtrant, non communicetur. Nam ſi vniuerſum corpus intemperatum ſit, quomodo particulam temperatam vel ſeruabimus, vel ad temperiem reducemus? Quod niſi fiat, quomodo deperdita reſtaurare poterimus? ægrè vtiq;. Sed quoniam principalium partium, totiusq́; corporis curam habere, Medici phyſici eſt opus, ſermo verò noſter vt plurimum de partibus affectis extrinſecis ſit: de his igitur quomodo in propria temperie conſeruentur, vel reſtituantur, ſi in cōtrariam lapſæ fuerint, tractabimus, cùm nouerimus primò cauſas temperaturas tranſmutare valentes.

De causis transmutantibus partes. Cap. IIII.

CAusæ autem transmutationis naturæ affectæ partis ab ipso vulnere sunt intemperies omnes. Has inducunt fluxiones vt plurimum malignorum, aut multorum humorum, has potißimũ dolores consequuntur, strictura partium, earundem frictiones, situs, vel decliuis, vel molestus, super calefactiones omnes: immoderatus autem calor varijs modis excitari potest, tum his omnibus, quæ supradiximus, tum rebus, quæ vulneri imponi, & circunstanti parti applicari, & possunt, & solent, vt excedentibus linteorum munimentis, vel fomentis, vel emplastris calefacere per se potentibus, vel humores sua viscositate, vel craßitie, vel multitudine transpirare prohibentibus, qui per cutem emitti solent, vel acrioribus medicamentis sine ratione applicitis, quæ omnia inexpertis chirurgis sunt admodum familiaria. Ad hæc statim confugientes, ac si non esset conualescentiæ spes vlla, nisi varijs vnctionibus, fomẽtis, emplastris, ligaturis, lychnijs longis, craßis, ac duris muniant, vel, quod propriè magis dicam, onerent, molestentùe affectam partem. Præter hæc sunt aeris intemperies, motus, quæ assumuntur, & similia, circa quæ omnia rationabiliter medicũ simul atq; ægrum se præstent oportet. Quinimò, & chirurgum, in his præcipuè, quæ ad ipsum spectant, ne scilicet plus, minusúe, quàm deceat, refrigeret, vel calefaciat, aut alio quouis modo dolorem excitet, ligando videli-

cet,

cet, stringendo, cooperiendo, fouendo, cataplasmando, mouendo, vulneri medicamenta, vel lychnia, flammulasúe (vt dicunt) perperam administrando, quæ quomodo feliciter ad vsum reducas, omnia inferius discussa inuenies.

De cognoscenda, & conseruanda bona partis temperie. Cap. V.

ANtequàm dicamus quomodo sit conseruanda bona temperies, ponemus primò signa, quibus cognosci posit. Nam propter huius cognitionis defectum, sæpius errant Chirurgi, videntes ferè perpetuò parti affectæ, vel tumorem, vel hunc cum leuissima supercalefactione: quare metu compuncti, cataplasmatibus, vnctionibus, ac varijs alijs non remedijs partem opprimentes in deteriorem gradum ægrum deducunt. Quum igitur corpore temperato videris partē affectam tumore quodā humili, molli, cum leuissimo, vel nullo rubore, vel dolore, & quæ excrescentiam non suscipiant primis diebus, in quibus magis viget morbi vis, vulnusq; nullum cruditatis signum ostendit, scito temperiem partis nō esse à sua natura transmutatam, sic vt per se ipsam humorem facientem tumorem, vel leuem inflammationem, vel paruum dolorem excitantem non bene concoquat, ac excernat, tum per insensibilem transpirationem, tum per sudorem, ac per proprium vulnus. Conseruabimus igitur, si ægrum, ac affectam Signa.

partem ab omni excessu tueamur, vulneriq́ue conuenientia remedia suo tempore applicemus, vt postea diffusius narrabimus.

De cognoscenda temperie partis transmutata, & curatione eius. Cap. VI.

CVm verò tumorem suscipere vigorem videris, vel dolorem, uel inflammationem, vel aliud quodpiam symptoma infestum, sine vlceris decenti concoctione, uel singula per se, uel aliqua, uel omnia coniuncta, scito naturam partis oppressam, & in transmutationis viã tendere, nisi iam sit, quæ ab arte celerem opem postulet: hanc enim curabimus, in proprioq́; statu reducemus, contrariorum sanè rationabili, oportunaq́; administratione, alterando, reuellendo, deriuando, ac dissoluendo. Alterare intelligo, cùm intẽperiei siue ea cũ materia sit, quæ sæpe apparet, siue sine ea (licet raró hæc in hoc affectu contingat) contrarijs remedijs applicitis oppugnamus, ut caliditati cum siccitate, frigidis humidisq́; medicamẽtis, resistimus, puta aqua simplici lactucæ, & similium succo: frigiditati verò cum siccitate, calidis, & humidis præstamus auxilium, vt oleo simplici chamæmelitæ, amygdalino, anethino, leuioribus frictionibus, fomentis ex aqua tepida, vel calida, & similibus, eò vsque his remedijs prosequendum est, donec constiterit intemperies, si ea sola sit: sed cùm hæc raró eueniat, isthæc

Quibus occurratur intẽperiei partis.

pauca

pauca sufficiant. Si verò cùm materia fuerint, reprimendo, reuellendo, vel deriuando alterare tentabimus, vel dissoluendo, vt indicabit affectus. Et hæc quando, quibus, & quomodo ratione efficies, propria capita declarabunt.

De repercußione. Cap. VII.

REpercußio est humoris in aliquam partẽ fluentis remißio, siue repulsio: quæ maximè confert phlegmonibus, & quandoque erysipelatis, in principio, vel donec viget fluxio, vel vbi suspectum sit, ne fiant. Hac igitur causa vulneribus, contusionibus, fracturisque omnibus in principio, ac statim, si id fieri queat, repercutientia applicamus. Nam ijs vis multa est, cogendi humores in eam partem fluentes retrocedere. Vtimur tribus primis diebus, aut ad summum (si phlegmone non vrgeat) quatuor. Quòd si patientis temperies quadrata (vt dicunt) vel bene constituta fuerit, sat erit secundam non excedere, aut quartam. Nam si vel diutiùs, vel valentiùs, quàm conueniat, refrigeraueris, vlcus crudum, & mali moris reddes. Nam ob id ignauis chirurgis sæpenumero succensui, quorum alius ad septimũ, alius ad decimumquartum vsq; diem, nulla moti ratione ægros partem affectam vltra modum refrigerantes in periculum, ac non rarò in extremam perniciem ducebant. Sat autem erit ijs vti, donec coctionis aliquid apparere incœperit. Sunt autem repercutien-

Quando repercutiẽtia.

cutientia sæpius reiteranda, non autem, vt inexpertorum turba facit, imbibunt enim stuppas, vel pannos quàm multos in oxycrato simplici, vel in quo fuerint rosaceum, & ouorum albumina simul quassata, vel alia huius generis, & applicita per diem totam non amouent. Hoc siquidem cùm calidum factum est, longè maiorem copiam humorum trahit, si diu supersistat, quàm quæ à principio sua frigiditate, aut adstrictione represserit, aut si non attrahit, occludit saltem vapores per cutem transpirare consuetos: quibus vt retentis, varia, innumera, molestaque symptomata sequuntur. Repercutiunt autem quæcunq; refrigerant, similiter, et quæ adstringunt: verùm non omnia, quæ hæc præstare possunt, simpliciter conuenire asserimus. Cicutam, altercum, papaueris succum, & similia, per se applicata non laudamus: refrigerant autem plus quàm deceat. Chalcanthum autem, æris flos, & quæ sui generis sunt, vltra quòd supramodum adstringunt, suo quoq; calore trahunt. Mediocriter igitur quæ refrigerant, vel quæ adstringunt, sine, vel cum leuissimo calore, summè laudamus. Sola frigiditate sua repercutiunt, aqua simplex frigidè apposita, lactucæ, cucurbitæue succus frigiditate ac adstrictione, sedum minus, acetum omphacium. Adstrictione galla immatura, mali corium, & huius generis alia. Nunc de reuulsione dicamus.

Repercutiẽtia quæ & qualia.

Elegan-

De reuulſione. Cap.VIII.

ELegantiſsimè corpus humanum comparare poſſumus octogoni, vel decagoni, aut (ſi mauis) circulo, puncta aliqua intra ſe capienti, à quibus ſi ad periferiam vndequaque lineas duxeris, ac eas impermiſtas intellexeris, vel etiam ſi miſtas communicantiam habere inter ſe, quamcunq; partem conſpicies, ſic vt à quocunque puncto ad quemlibet punctum permeare poſsis, verùm non æqualiter: non enim inter ſe ſunt æquales lineæ. Præterea inter duos motus ſemper cadit quies, eoq́; more ſe habent ſuperficies, ac partes noſtri corporis, ad cerebrum, cor, & hepar, vnde animales, vitales, ac naturales facultates habentur, ſimile (inquam) cùm exiſtat, inter partes noſtri corporis conſortium per neruos, arterias, ac venas, non difficile erit mente concipere humorum fluxum atque refluxum per hæc vaſa commodiſsime fieri poſſe. Nam à cerebro procedunt nerui ſenſum & motum partibus miniſtrantes, à corde arteriæ vitales ſpiritus deferentes, ab hepate venæ ſanguinem vnicuique parti pro nutrimento partientes. Dicamus igitur nunc reuulſionem, quam Hippocrates antiſpaſim vocat, in contrarium eſſe auerſionem, vt à dextro in ſiniſtrum, vel à ſupernis ad inferna, ab internis ad externa, & vice verſa, vt pro exemplo, ab vno brachio ad reliquum, vel tibiam eiuſdem partis, & ſic vice verſa, vt membri affecti poſitio indicabit. Hæc autem pluribus modis

Reuulſio quid.

Reuulsió diuersi modè fit.

dis fieri solet, alia cum euacuatione manifesta fit, vt venæ sectione, vel alui eductione, vel vomitu. Alia sine euacuatione sensibili: & hæc vel frictionibus fortioribus, vel balneis calidioribus, vel ligaturis frequentioribus, ac doloriferis. Sed cum venæ sectionem præstantißimè celerrimeq; reuellere didicerimus, nunc de ea primò dicamus.

De phlebotomia. Cap. VIIII.

Quare phlebotomia.

VEnam secare, est eam sic aperire, vt liberè sanguis exire poßit. Quod fit in hoc affectus genere, cum vt retrahamus à parte affecta, tum vt corpore per eam inanito non facilis fiat ad eandem partem fluxio: magis siquidem parca redditur vnaquæque pars, cùm exhaustum sibi pabulum percipit, quo anteà abundare consueuerat. Fieri debet (si poßibile sit) statim à prima curatione vulneris, nisi sit nuper à cibo. Nam eò tunc est expectanda cibi assumpti digestio. Et in hoc parcat mihi Alphonsus, si se grauiter errasse dixero, qui tandiu phlebotomiam differre mandat, quod perniciosißimũ quandoque est in hoc affectu, si Hippocratis, Galenique dicta, ac rationem ipsam diligenter perpendamus, maleque pro tutela suæ sententiæ Galeni dictum attulit, quòd scilicet non sit aliquis dierum respectus habendus in sanguine mittendo. Nam (pace sua) Galenus in libro de sanguinis mißione, illa retulit, de phlebotomia sermonem faciens simpliciter,

Phlebotomia quando
Alphonsi error.

non ad aliud quicquam contractum, & nono Methodi, vbi eadem ferè verba recenset, dixit, in quantum ea expectaretur pro febris remedio, quam tamen semper in principio magis laudat, inquiens. Optimum igitur factu est (quod nos semper in re quaque facere vidisti) statim non numero dierum, sed vni virium robori, in febribus eius generis attentum esse, quippè quod si seruatum est, non sòlum sexto, septimoúe die, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus, cuiusque faciendæ occasio in febribus non similiter attendenda est, ac ea, quam in euacuatione, quæ per pharmaciã fit, opperimur, quam recenset Hippocrates in primo Aphorismorum: in hac autem humorum, vasorumq; præparationem expectamus, in sanguinis mißione non idem. Dicit autem Galenus in febribus sanguinem mittendum esse: quod si vel propter Medicorum inscitiam, vel ægrorum astantiumue timiditatem prætermissum sit, non obstare numerum dierum, quin adhuc sanguinem mittas, vel sexta sit, vel septima, vel alia quæuis dies: melius tamen esse, si in principio mittatur. Præstitisset igitur mediusfidius, vt cum Hippocrate, Galeno, rationeq; ipsa dixisset Alphonsus, in omni vulnere magno, vel fractura, vel contusione vehementi, conferre à principio phlebotomiam, vel pharmaciam, vel vtrunque, vel aliquid, quod horum vicem præstet. Ea vena secanda est, quæ affectæ parti directè opposita est: vt vulnere in capite existente, ex cephalica brachij eiusdem partis,

Quæ uena secanda.

tis, si ea haberi non possit, ex media: ex basilica, neque hanc inueneris. Quòd si & hæc non patea ex reliquo brachio perquirito: in pedibus deinde, ex his nulla manifestetur. Nec te perterreat Hippocratis dictum in libro de ossium natura, inquien Operam dare oportet, vt quàm longissimè à loci
„ vbi dolores fieri solent, ac sanguis colligi, venam s
„ cemus. Nam hic longissimè intelligit collatiuè a partes, quæ affectui sunt continuæ. Nam solent pl res homines dicere ab vrbe Roma Lutetias vsque longissimum esse iter: verum si ad Terram floridan aut (si mauis) ad Taprobanam insulam compara ueris, nonne illud breuissimum nuntiabimus? Quò autem sic se res habeat, vt dixi, particulares, uni uersalesq; Hippocratis curæ nos ab ambiguitat eripient. Si uerò dolor ad clauiculam pertigeri
„ aut molesta sit, vel brachio, vel mammæ, vel parti
„ bus septo transuerso superioribus, grauitas, inter
„ nam cubiti venam secare expedit. Hæc in secund acutorum. Cuius exemplo Anaxioni lateris dolo re prehensus venam cubiti secauit, non pedis oppo siti: hæc enim longissima pars erat. Et in libro de l

Suspicor legêdum, præhenso.

„ cis In homine, Angina (inquit) à sanguine fit, qui
„ is in venis, quæ in collo sunt, compactus fuerit: si
„ affectis, à venis, quæ in brachijs sunt, sanguinem de
„ trahes. In libro de morbis, Rigor (ait) dolor, &
„ febris per caput, maximè ad aurem, & tempora, &
„ sinciput, & oculorum regiones: hæc cúm sic habue
„ rit, primùm sanguinem de capite mittito, vndecun
que

...e tibi visum fuerit. In libro de internis affectio- ,,
...bus, si coxendix (narrat) à sanguine fuerit, fo- ,,
...entum adhibeto, et cucurbitam affigito, & venas ,,
... poplitibus secato. Ecce quomodo longissimam
...rtem intellexit Hippocrates, alioquin hos omnes,
... innumeros alios ab eo descriptos, in venas pedũ,
...l manuum phlebotomare oportebat. Quantita-

Quantitas sanguinis.

...m eductionis morbi magnitudo, & vires (sub ijs
...tatem reponimus) indicabunt: ad libram, vel bi-
...as, vnica vice plus, minusúe, vt morbus, virtusq́;
...dicant, educere poteris. Valere siquidem inge-
...io, & experientia chirurgum, medicumq́; oportet,
...um quantitas in hoc non secus, ac in reliquis rebus
...edicis, certa perfiniri in vnoquoq; non possit. Si

Phlebotomia reuulsiua,

...nguinis euacuationem copiosam sufferre non pos-
...t æger, vena secta digito osculum occludas, & per
...atium aliquod temporis, puta per vigesimam horæ
...artem sic detineto, deinde digito remoto, & parum
...nguinis educto, vncia puta, vel semuncia, iterum
...cclude: & sic per vices reiterabis. Nam hoc se-
...andæ venæ genus retrahit plurimũ ab affecta par-
...e, cum minima (si lubeat) sanguinis eductione.
Hoc enim phlebotomiæ diuersiuæ genus, tutius est,
quàm id, quod fit aperta vena, stricto, exiliúe oscu-
lo. Nam in hac & adeps, & sanguis osculum ob-
struunt, vt sæpius nec vnciam sanguinis educere pos
sis. Phlebotomandi sunt & pueri à quadriennio,

Pueri phlebotomandi

vel triennio suprà, si morbus requirat, & habitus
consentiat, & quanquam hoc genere vulneris pau-

ci affi-

ci afficiantur huius ætatis infantes, id in omni magni vulneris genere conuenientißimum esse censeo, maximè in capite si sit acceptũ. Non me latet, hunc locum pluribus garriendi ansam daturum, maximè inexpertis, & parum considerantibus, quibus præcipuum est incaute, & sine consilio cuncta pronuntiare, authoritate tamen Galeni moti, infra quartumdecimum annum non esse phlebotomandum asserente. Sed quum sit contraria hæc nostra sententia Galeno, quem omnes meritò colimus, cuiq; hercle omnem laudem, omnemq; venerationem in arte medica debemus, eam propterea rationibus vacuam relinquere non oportebit. Videamus primò quare Galenus ante pubertatem sanguinis mißionem recuset: Est autem hæc, quod calidi, & humidi sint ij, plurimumq; de eorum corporis substantia quotidie defluat. Nulla (quæso) lectores, occupet animos vestros amoris affectio, vel odij. Sapientis siquidem est, veritatem indagare, & inuentam toto nixu tueri, propriaq; impugnare, si vera non sint. Si igitur quia plurimum substantiæ à puerorum corporibus defluit, digeriturq;, cúm calidiores, humidioresque temperie sint, non competit sanguinis mißio, longè minùs debetur adultis, ætate consistentibus, senioribusq; : nam horum corpora ad siccitatem magis inclinant, ac quàm illa magis naturali calore destituta. Nam in pueris etsi multa fiat difflatio, humorumque digestio, potentior tamen fit dissolutorum reparatio, ac noua adiectio. Ostendit autem id adolescen-

Legerem asserentis

ſcentia ipſa: quare illo medio probare nemo po-
ſt, omnimodam ſanguinis abſtinentiam in pueris,
eductionem requirat affectus: probabunt ſiqui-
em parciùs euacuandum eſſe. Prætereaſi inſitam
aturalem facultatem habent tam validam, tamq;
ortem, qui fit vt febriant ſæpe, phlegmonasq; ingen
es patiantur, & varia alia morborum genera, vel
am his affectibus obſeßis, cur ſæpe natura morbo ce
lit? ſic vt eorum aliquis intereat, aliquis moroſis ac
diuturnis morbis diuexetur? Ab his ſi ſecare ve-
nam tãti diſpendŋ, & noxiæ eſt, qui fit, quod ſæpius
infantibus ſanguinem cum notabili quantitate erũ-
pere videmus, ſine malo affectu aliquo? Sodes, quis
puerum quandoque non vidit, vel ab alto lapſum,
vel aliquo ſolutæ vnitatis genere affectum cum ali
cuius venæ apertura, vnde hæmorrhagia ſequere-
tur, & ſine vitæ diſpendio, & ſine magno quopiam
malo? Ego quidem annales, biennes, triennes, & ſu-
per hos plures, & vidi, & fœliciter curaui: quibus
exemplis motus, vbi morbus indicaret, ac habitudo
non repugnaret, quandoq; venam ſecare pueris non
dubitaui, tum in vulneribus, tum in magnis phleg-
monibus, magnisq; febribus, atq; cum bono ſucceſ-
ſu. Præter hæc & multis Medicis modernis fami-
liare hoc genus remedŋ, in pueris eſſe ſcio. Hoc v-
num tamen moneo, vt ſemper cum præmeditatione
fiat. Commendatur autem præcipuè in magno vul-
nere, à quo ſanguinis exigua quantitas emanauerit,
vel in quibus phlegmones moleſta ſit: parciùs tamen
euacuan-

euacuando, quàm vltra modum inanire. Nam quod defuit à principio, (si conferat) iterata euacuatione supplere poteris. non autem si multum euacuaueris, facile corriges. Nam qui sèmel exhaustus est sanguis, reponi ampliùs non potest. Verùm in pueris, phlebotomiæ vicem sæpißimè supplent ventosæ, frictiones, vel ligaturæ.

De auersione per aluum. Cap. X.

*PEr aluum pluribus ingenijs auertimus, potionibus scilicet, clysteribus, balanis, vnctionibus. Conuenit autem, quando phlebotomiam suffugiunt ægri: vel etsi hanc non abhorreant, vbi phlegmonem timeas, vel vbi tumor, vel dolor inualeant, vel si cacochymum cognoueris ægrotum, etiam si dolore phlegmoneq; hic omnino vacet. Nam vbi sit cacochymia, plethoriaúe, vel primis, vel sequẽtibus diebus, non effugiet patiens grauia symptomata, nisi purgaueris, vel sanguinem miseris, vel vtrunq; præstiteris, purgabis eadem die, si corpus fuerit cacochymum, præmissa tamen phlebotomia diuersiua, qua per vices exiguam sanguinis quantitatem educes. Quod si vtrunque eodem die perficere non possis, purgationem in diem sequentem differas, vel tertium, vel quartum, vel subsequentes, si morbus exigat: præstat tamen * primioribus diebus agere, prouisionis gratia, quàm subsequentibus curationis causa. Non enim in hoc casu expectandá est humorum*

Purgatio q̃bus conueniat.

Quando purgandum.

* Fortassis, ꝓximoribus, uel priorib⁹ uel primoribus. Nam

rum præparatio, vt in febribus fit. Nam vulnere affectus sano corpore (excepta parte læsa,) supponitur, in quo humorum concoctio, & viæ ad exitum paratæ facilè iudicantur. Conuenientius igitur in primis diebus administrandam esse remur. Quòd si post phlebotomiam, vel pharmaciam sequatur inflammatio, ex humorum scilicet malitia, vel multitudine, vtranq; vacuationem reiterare, (si conueniat,) non est pertimescendum. Extat autem quædam Hippocratis propositio, quam medici quandoque contra meam sententiam recitare solent, dicens. Quicunque inflammationes in morborum principio, medicamento conatur soluere, nihil de eo detrahit, quod aceruatum est, atque inflammatum: quæ verò partes sanæ sunt, & morbo resistunt, simul eliquant. Sed pace horum ostendam, hanc sententiam non esse meo præcepto contrariam, sed eandem, rationemque huic adstipulari. Non enim pharmacia humorem facientem phlegmonem dissoluere intelligo, sed paratum ad fluxum retrahere. Sic & Hippocrates, non hic à pharmacia omnino abstinendum esse præcipit, sed monet, ne conemur inflammationem in parte aliqua existentem purgantibus medicamentis soluere: quoniam antequam purgatione retrahas humorem fixum, phlegmonem facientem, dissoluantur primò partes, à quibus primitus fit attractio, necessum est, stomachus puta, venæ mesaraicæ, & quecunque inter has, & affectam partem constitutæ sunt: vnde qui iam fluxus est humor, & parti affixus, ab

uix reperias primoribus apud ꝓbos authores.

eadem dissoluendus, educendusúe est, vel ad vicinas deriuandus, nō ad longinquas reuocandus. Qui verò ad fluxum paratus est, vel fluit, nunquam ad contraria incommodè retrahitur. Quòd autem (vt diximus) intelligi debeat Hippocratis litera, non aliter ac explanauimus, & eius litera in loco proprio intelligenti firmam fidem faciet: præterea & quæ in capite de phlebotomia recitaui, & reliquæ curæ ab eo scriptæ nos certiores reddent, fidemque firmam facient. Scribit enim secūdo de morbis, Si erysipelas in pulmone fiat, tussis habeat, & saliuam expuat multam, ac liquidam, & cætera. Subiungit, Hic morbus maximè fit ex ebrietatibus, & carnium esu, & carnium mutatione, sed & ex aliјs causis emergit, huic pharmacum deorsum purgans, bibendum dato, & lac asinum. Et libro tertio de morbis, si quis leuem anginam, quam parasynanchen vocant, patiatur, huic venam secare oportet, & maximè sub mamma: cōcomitatur enim hac parte ex pulmone spiritus calidus. Oportet quoque deorsum purgare medicamento, aut clystere. Item peripneumonia talia facit, febris acuta tenet, & spiritum frequentem ac calidum respirat, & cætera. Addit, Aluum autem in quatuor aut quinque diebus subducere oportet, & hoc paulò amplius, quò & febres obtusiores sint, & dolores leuiores. Adhuc in eodem libro, Pleuritis ad dorsum intantum ab aliјs differt, & cætera. Subiungit, At si æger biliosus sit natura, & non purgatus, correptus fuerit à morbo

Legere tussim, uel tusses.

o priusquàm saliuam biliosam expuat, etiam bilem ,,
probè purgato. At in libro de natura muliebri, Si ,,
nflammati fuerint vteri, sambuci folia tenerrima ,,
n tritici recẽtis craßiore farina coquito, & leuiter ,,
tepida sorbenda dato. Et secundo de morbis mulie ,,
bribus, Si vteri inflammati fuerint, menses obtor- ,,
quentur, & reliqua, Subdit, Cùm sic habuerit, phar ,,
macum infrà purgans bibendum dato, & subdititijs ,,
vtatur. Ex his ac pluribus alijs curis ab Hippo- Quantitas purgationis
crate scriptis, nobisque relictis facilè iudicare pos- Purgatio qualis.
sumus, purgationes non spreuisse in inflammationibus, & in principio, & dum fluebat humor: est enim eousque ducendus peccans humor, quousque exuperauerit, si vires ferant. Talis debet esse purgatio, qualem humores ostendunt: quibus colores similes eflorescunt. Nec sub silentio prætereunda est, quæ ex locis affectis sumitur indicatio: nam si purgationem capite, vel thorace vulneratis, quæ quoq; modo vomitũ irritet, propinaueris, augebis affectum: secus autem, si crura afficiantur ab hac. Nec spernendas esse censemus, quæ à cõsuetudine, & ambiente sumuntur indicationes. Sed & in sanguinis exuperantia sæpe pharmaciam conferre, & à senioribus didicimus, ratione deinde, & experientia comprobauimus. Præterea sunt qui vomere consueuerunt, quos abstinere omnino non consulo, si pars perinde (vt diximus) affecta non obstet, vt caput, thorax, & venter, quæ vomitu violenter agitantur, extenduntur que. Hæc autem vulneribus semper

noxia. Verũ cũ corpora purgare medici munus ſit, ſatis nos hic obiter dixiſſe de purgatione exiſtimamus.

De reuellentibus ſine euacuatione. Cap. XI.

Vinculorum uſui, & quãdo.

SVnt quæ reuellunt nulla ſenſibili apparente euacuatione, ligaturæ & balnea, ijs addidimus cucurbitulas, & frictiones: verùm eæ mitiùs, is auxilijs tutò in omnibus corporibus vti poſſumus tũ ante purgationem, vel phlebotomiam, tum poſt, dum ſcilicet fluxio moleſta, vel ſuſpecta eſt: in corporibus boni habitus ſæpe ſine purgatione, ac ſanguinis miſsione, ijs contenti fuimus: In corporibus repletis, ac mali ſucci, etiam poſt phlebotomiam, & ante eam reliquas partes vincimus: vt ſi vulnere in ſiniſtro brachio exiſtente, ex reliquo venam ſecueris, tibias vincire non dubitabis: ſtringendo vincula non ſecus, ac qui phlebotomare intendunt, & cum moleſta, plurimumque doloroſa eſſe cœperint, ſoluenda ſunt, mox religanda, & ſic reiteranda per vices: ante, & poſt cibum, omnino per horas aliquot ſoluenda, niſi vrgeat inflammatio, uel dolor, vel ſanguinis aliqua hæmorrhagia. Ligaturis etiam addere poteris, ſi aliquod prædictorum ſimptomatum moleſtum ſit, balnea ex aqua tantùm calida, manibus ſcilicet affectui oppoſitis. Poteris & his (ſi libeat) per ſe vti. Sit autem aqua, quãtum ſufferri poteſt, calida tandiu in vſum venire poſſunt, ac ligaturæ ipſæ, donec ſcilicet timetur fluxio. Frictiones magis

Balnea.

gis deriuare, quàm reuellere dicimus, nisi vehemen tiores sint: verùm eæ cutem exulcerant, molestiamque grauem inducunt, mites verò leuiter trahunt. Has tamen si feceris (reliquis auxilijs non omißis) iuuabis. Idem & de cucurbitulis dicendum est: nam hæ a propinquioribus tãtùm partibus trahũt, quare potius deriuando, quàm reuellẽdo vsui sunt: verùm si vrgeant symptomata, & has in contrarias, & quandoque in vicinas partes, non omißis reuellenti bus ingenijs, addes auxilium. Has tamen, & balnea, & frictiones magis laudamus in tenerioribus ac boni habitus corporibus. Sed nunquid & victus tenuis sub genere reuellentium, aut (vt propriùs dicam) retrahentium ponere liceat? licebit hercle. Stomachus autem cùm prima pars sit, quæ & cibum recipiat, & nutriatur, et inter reliquas partes primò fame cruciatur, si cibum tardiùs ac parciùs susceperit quàm debeat, quare à continuis sibi parti bus humidum trahit, & hæ ab alijs, & sic succedentes: vnde duplici ratione tenuem victum profuturum esse in his censendum erit, tum quòd partes, quæ famem, sitimque primò experiuntur, ab alijs trahant, tum etiam quòd propter conuenientem mediã non modò non generatur noua humorum noxiorum copia, sed qui noxam fortè inferre parati erant, dissoluuntur. Verùm & hunc viribus patientisque con suetidini proportionandum esse, nemo est qui vtique in medica facultate fuerit exercitatus. Tenuem autem victum dico, si vel panatella, vel condro, vel

Frictiones.

Ventosæ.

Victus.

Victus tenuis quomodo

ptisana tota in iure pulli, vel vituli, vel aqua, & oleo, vel butyro condita parcè nutriatur, pro potu aqua hordeacea vtatur cum saccaro, primis maximè diebus, posteà verò paucifero vino, & egregiè lymphato.

De deriuatione. Cap. XII.

Deriuatio cuius fiat.

Deriuatio cum euacuatione.

DEriuare intelligimus, cùm humores aliquam partem infestantes in propinquã trahimus, vel ex propinqua educimus. Fit & hæc quandoque cum sensibili euacuatione, quandoq; sine hac. Cum euacuatione manifesta vesicatione cutis, hirudinibus, scarificatione, venæ sectione: vt si synciput affectum fuerit, à quo aliquid ad vicinas partes trahere conueniat, vel venas temporum, vel quæ medias frontis regiones occupant, vel in nare, vel retro aures, quandoque apparent, tundimus, vel collum ventosis appositis scarificamus. Possumus, & herrinis & masticatorijs medicamentis ad fauces & nares euocare. Herrina tamen, nisi vrgeat necessitas, subterfugiẽda esse laudo: molestiam namq; maiorem inferunt: prosunt tamen maximè, si ratione sint administrata. Similiter si cubitus malè habeat, quòd hoc remedij genus desideret, venas manuum, vel eas, quæ infra cubitum sunt (affectæ tamen parti viciniores) secabimus. Eodem modo si coxa, eam, quæ in pede, vel poplite, vel viciniorem aliquam aliam, si se ostenderit, vel circumiacentem

utem scalpello obtundere, vel easdem vesicare. Verùm isthæc facere, facillimum est: quantum enim, uando, & quomodo, difficile. Fieri debet deriuatio, quando fixus aliquis humor partem aliquam bsidet, sic vt euacuato, purgatoq́; (vt decet) prius orpore, neque solo Naturæ beneficio, neque dissoluentium medicamentorum ope difflari quidem potuerit, præcipuè propter eius multitudinem, vel propter eius craßitiem, vel lentorem, vel cutis densitatem. Tantum, ac tandiu deriuandum est, quoad partem in proprium habitum restitueris. Verùm reiteratis vicibus, si vnica non suffecerit: vt plurimum enim non sufficit. Facilè enim non dißipatur humor, qui longo tempore parti alicui est infixus, præcipuè si neruosa hæc fuerit: quare ab ijs ad euacuationem, quæ à propria parte fit, est recurrendũ.

Quomodo deriuandũ.

Quandiu deriuandum.

De euacuatione à propria parte. Cap. XIII.

A Propria parte euacuare oportet, omißa ea euacuatione, quæ vel sanguinis, vel puris, vel alterius cuiuspiam in sinum aliquem collecti humoris fit, quando sanguis crassus, vel lentus in aliqua parte fixus, neque deriuatione, neq; reuulsione aliò euocari potuit, vel caloris naturalis beneficio difflari. Varijs igitur ingenijs hæc perficitur, vstione scilicet, uesicatione, hirudinibus, scarificatione, & euaporatione. Primò euaporantia tentanda sunt, inter quæ principatum obtinent fomenta ex aqua

calida, uel ex uino, si ulcera adsint, in quibus si ualentiora requiras, chamæmelum, uel nepetam, uel calamenthum, uel aliud quidpiam eius generis addere poteris. Præterea unctiones ex chamæmelite oleo uetusto, anethino, liliaceo, œsypo, & similibus, succida lana ab unctionibus circumuolutis membris, bis singulo die eadem fouendo. Si dissoluentium officio in tres quatuorúe dies uoti compos non fias, ad scarificationes, uel hirudines, uel uesicatoria, uel altiores vstiones recurre. Verum neq; hæc, neque illa securè administrantur, nisi & fluxu prohibito, & corpore recrementis liberato. Dissoluentia nanque calida sunt, & vesicantia. Scalpellationes, & vstiones, non sine dolore fiunt, quæ omnia in corpore mali succi, vel multi adhibita, ad eandem partem retrahunt magis, quàm euacuare poßint, vnde geminaretur morbus. Præcedant igitur reuellentia oportet, & qualia, & quanta conueniunt, quò tutiùs opẽ feras. Nunc quomodo supprimi debeat sanguis, qui è vulnere abundantiùs effluit, dicendũ est.

De sanguine supprimendo. Cap. XIIII.

SAnguis, quum totius corporis pabulum sit, quo deficiente, simul vitam desciscere sit patentißimum, tutelã igitur sui nobis præindicat, si vita frui debeamus: quare tota ope nitendum est, vbi is abundantiùs effluat, vt cohibeatur, quod varijs ingenijs fieri solet, obstruentibus, repellentibus, adstringentibus,

tibus, reuellentibus, & vrentibus. Repellunt refrigerantia, & adstringentia, vt aqua lactucæ, endiuiæ, cucurbitæ, poligoni, sedi vtriusque, & solani succi, myrtillorum baccæ, rosa, malicorium, galla, lysimachia, myrobolani, bolus armenus, cerussa, plumbum vstum, gypsum, lithargyrum, rubygo ferri, alumen. Reuellunt vincula, balnea, frictiones in oppositas partes. Phlebotomiam, & purgationes omitto: nam simul & vires deijciunt. Vrunt medicamenta caustica, vt auripigmentum, sandaracha, sublimatum, & alia varia, quæ arte parantur crustifica, & quæ ignita sunt ad vsum hunc structa instrumenta, vt aurea, vel argentea, vel ferrea. Obstruunt tenacia, lenta, viscidaque, vt glutem piscium, gummi cerasorum, amygdalarum, thus, aloes, mastix, & similia: hæc autem per se sanguinem cohibent, si vena exilis sit vnde profluit: sed vbi vena diuisa aliquo modo magna fuerit, sunt miscenda reliquis medicamentis. Si igitur vena secta superficialis appareat, tutius est, eam ignito ferramento vrere. Si verò profunda sit, quæ visui non manifestetur, hoc vnguento vulnus reple. Recipe boli armenæ, ferri rubiginis, an. drach. ij. masticis, aloes, thuris, ana drach. i. cum albumine oui incorporentur. Aliud. Recipe glutinis piscium, masticis, boli armenæ an. drach. ij. gallæ immaturæ, plumbi vsti, thuris, ana drach. i. cum albumine oui incorporentur. Potes & pilos leporis minutim incisos, & flores, seu goßipium salicis, vel populi ijs immiscere, similiter filamen-

Refrigerantia. Adstringentia.

Reuellentia

Non laudat phlebotomiã, neque purgationẽ.

Vrentia.

Obstructia.


menta ex panno molli ſubtili, ex quibus cùm bene eiſdem vnguentis erunt imbibita, turundæ, pro ut vulneris forma poſtulabit, magnæ, vel paruæ, breues, vel longæ parari poterunt: duriores in hoccaſu requiruntur, ac maiores, ſic vt ora venarum poſſint comprimere. Aliud, recipe boli armenæ drach. ij. ceruſſæ, lithargyri, myrobalanorum chebulorum & citrinorum, an. drach. i. & ſem. maſticis, glutinis piſcium, tragachanti, an. drach. i. cum oui albumine fiat vnguentum. Aliud, quod valentiùs adſtringit. Recipe gallæ omphacitis, boli armenæ, lithargyri, an. drach. ij. cinnabaris drach. i. & ſem. omnibus ſubtiliſſimè tritis cum oui albo miſceantur, & parentur licinia ad vſum, quæ & arida conſeruari poſſunt, quæ iterum eodem vnguento molli & recenter facto leniri debent, propter earum aſperitatem, dum vſus poſtulat: nam hæc citius cohibent, vel puluis omnium ſupradictorum, ſi in vulnus aridus imponi poſſit, celeriùs ſiſtet. Alia, quæ & valentius adſtringunt, exiccantque. Verùm non ſine dolore, moleſtia, & cruſta, ſi copioſius ſint impoſita. Recipe balauſtiorum, maſticis, terræ ſigillatæ, ana drach. iij. aluminis ſciſſilis, vel rochæ, ſi ſciſſile non ſit, æris viride, æris ſquammæ, an. drach. i. cum oui albo, uel vino auſtero fiat miſcella. Aliud, recipe lyſimachiæ, balauſtiorum, boli armenæ ceruſſæ ana drach. ij. ferri ſcoriæ in aceto præparatæ, aluminis, viridis æris, an. drach. i. & ſem. chalcanthi drach. i. cum oui albo, vel auſtero vino miſce ad vſum. Si for-

forte hæc diutius conseruare velis, tunc in teretes pastillos redige, conum ex altera parte habentes, quò in vulnus poni faciliùs poßint. Verum cum uino, vel passo eos componere præstantius est, qui aridi sunt conseruandi. Citiùs autem in vulnus dissoluuntur, quàm qui cum oui albo. Sed quum dissolutum quasi vnguentum uelis, oui album præponitur: constipat autem magis suo glutino. Ast ligaturæ reuellentes vnà adhibitæ magnam in iis opem ferunt: quæ quomodo sint usui conferendæ, in capite de reuellentibus concipies. Quòd si horum remediorum auxilio uoti compos non fias, ad ignita instrumenta propera, si iis manantis uenæ ora contingere existimes. Celerius nanque, tutiùs, ac minore noxa effectum præstant, quàm quæ urunt medicamenta. Hæc siquidem ingentem, ac per horas multas dolorem excitant, unde & fluxus interdum uehementer irritatur. Præterea si non compresserint, actualibus cauteriis difficilè iuuabis, donec scilicet sit exempta ab illis facta crusta, in quo temporis interstitio animam æger simul cum sanguine efflare poterit. Quòd si ui escharam illam extirpare susceperis, operiosius utique reddes negotium. Præstabit igitur ab usu supradictorum medicaminum siccantium sine morsu, & adstringentium ad hæc te conferre. Verùm hominem in anatome exercitatum requirit, qui uenarum situs bene noscat. Instrumentorum autem formæ tales esse debent, quales diuersitas vulnerum postulat. Eorum tamen aliquot inscribemus

Ligaturæ.

Cauterium actuale.

bemus pro exemplo, quæ ut plurimum ad hūc vsum erunt accommodata, siue superficialis, siue in altum sit posita uena & hæc sunt:



Tu alia, prout affectus requiret, struere poteris. Vsus autem talis est: Duo habebis ex ijs, eiusdem magnitudinis, quæ vt igne candeant facito, et membro circumquaq; pannis in aceto, & aqua madidis belle munito, alterum sume, & in vulnus firma manu mittas, eam partem fortius premēdo, in qua venam fore existimaueris: & cùm hoc frigefieri cœperit, in ignem remitte, & alterum candens capies, & preme, quo ad fluere destiterit. Quòd si vel os, vel cauitas aliqua venam tangere non permiserit, & fluere non desinat, properare ad ea nō est dubitandum, quæ vrere possunt medicamenta: nam tunc, & tutior locus talibus medicamentis relinquitur, & minus molesta fiunt: quorū compositiones tales erunt,

Caustica potentialia. Recipe cerussæ drach.iij. balaustiorū drach.ij. chalcāthi, aluminis, an. drac.ij. arsenici scru.iiij. cū passo fiāt teretes pastilli. Aliud. ℞. terræ lemniæ, gallæ omphacitis, masticis, an. drac.ij. cinnabaris, aluminis, an. drac.i.s. Salis gēmei, arsenici, chalcāthi, an. ℈.ij. viridis æris, minij an. drach.ij.s. cum passo fiāt

pastilli

pastilli. Aliud, Recipe sublimati. drach.ij.chalcanthi vsti, pulueris præcipitati, cerussæ, minij, an. drach.iij.pollinis, drach.ij. cum aceto acerrimo fiãt pastilli. Attendendum autem est, vt quum hæc in vsum pones, alio humores euoces, remittasq; vicinas partes refrigerantibus sæpius (quandiu dolor tristabitur) muniendo, et longinquas vinculis stringendo. At quod præcipuum, tutissimumq; in hoc casu semper inueni, est, vulnera laxis fascijs (conuenientibus medicamentis appositis) vincire, deinde manu super vulnere posita immota medicamenta conseruare per dies aliquot, tres puta, vel quatuor, quinimò, & plures, nisi dolor aliquis vrgeat: nam tunc soluere expediet, ac medicamenta renouare. Pro hoc igitur officio duos, tresúe homines paratos habere oportet, quò vicissim quiescere, & auxilium ferre inter se se valeant: permutent (si calorem aliquem sentiant) frequentius manus, easque modò vnam, modò alteram in frigidam aquam madentes, ne affecta pars calefiat. Fluxibilior namque calore redditur sanguis. Sed & situs talis affectæ parti est eligẽdus, vt quietior sit, ac, si fieri possit, sursum vergat. Nũc verò tẽpestiuum est, vt ad curas exponendas properemus: est aũt hoc, quod intendimus.

De curatione. Cap. XV.

CVrationis igitur huiusmodi vulneris inquantum se, prima intentio est, auferre extranea, si quæ sunt auferenda, mox ad curandi formam, quæ con-

contuso, laceroúe vulneri conferre perpetuò noui-
mus, se conuertere, vt contusam scilicet, laceramq́;
carnem à sana quantò citiùs separare intendas, id-
q́ue medicamentis quantum poßis minus mordenti-
bus: quale est, quod ex mercurij puluere (quē præ-
cipitatum appellant,) paramus. Miscemus autem
præcipitatum vel cum rosaceo, vel cum oleo simpli-
Vnguētum. ci, vel cum butyro, vel recenti axungia suilla, se-
munciæ puta butyri, pulueris drachmam adijcies,
seu binas, vel minus, plusúe, prout contusio, vel ma-
gna, vel leuis fuerit. Nam quantò glans maior fue-
rit, non modò vulnus maius reddit, sed & altius cir
cumquaq; partes tundit. Parantur & alia medica-
menta ad hoc munus, vt ægyptiacum, & similia: ve
rùm hic tantùm illius memoriam facere libuit, cùm
inter reliqua huius facultatis principatum obtineat
sic vt aliquid miri præstare videatur: contusam e-
nim, putridam, vel magis auctam carnem cum mini
mo, vel nullo dolore dißipat, vulneri non modò nul
lum cruditatis vestigium relinquens, vt reliqua, sed
cocta, temperata, beneq́; disposita reddit: quare il-
lud præ cæteris omnibus meritò anteponendum esse
censui. Ex hoc igitur penicillos, puluillos, lychnia,
et quas flammulas vocant, & cætera similia insper-
ges. Hoc vnguenti genere unico die, uel duobus ad
summum vtimur, satis superq́; erit tribus, si contu-
sio vehemens fuerit: sequentibus verò diebus ad ea,
quæ leuius abstergant, & moderatè exsiccent; qui-
bus si cōtusæ carnis aliquid adhuc impēdeat, butyri
pau-

paululũ adijcere poteris, perinde vt affectus indicabit, quibus succedant carnẽ generantia, & cutem inducentia, vt puta mel simplex, vel rosaceum, mel cum hordei farina, vel orobi, vel fabarum: cui addere poteris aristolochiam, minus centaurium, terebinthinam, thus, aloen, euphorbium, myriophylli, verbasci, apij, chelidonij, vel plantaginis pulueres, vel succos, vel balaustium, vel gala, vel mirtus, vel cupressi nux, vel lithargyrum, uel ustum plumbum, & alia huius generis, prout ulceris habitudo, uel partis natura, uel hybernum, uernum, uel æstiuum tempus dabunt indicium. Sed quod maximè monendum esse censeo, cum in hoc sæpius peccent negligentes chirurgi, est, ne sint claui, uel lychnia ultra modum crassa, uel longa, uel dura, uel aspera, pungunt longa, crassa extendunt, lacerant aspera, eoq; magis, si dura sint. Parentur igitur ex mollissimo, subtiliq; linteo, uel carpentatis pannis, uel gossipio retorto, quo dolores non excitent, & si membrorum ossa fracta fuerint, tunc membra situentur commodè, ne doleant, ac cæteris sibi cõtinuis paulò altius, ne facilè ad illa humores fluant: nec multis, nec stri ctis ligamentis sunt ligãda, sed paucis, & laxis, immobilia, quantum fieri potest, conseruentur. Hæc compendiosè de uulneris curatione, quæ, ut fœliciùs succedat, prouisione uacet non oportet. In prima igi tur cura, cooperto uulnere (nisi nuper sit à cibo) tũdatur ex aduerso uena, & sanguinem copiosiùs educes, si è uulnere parum fluxerit: quòd si ex eo multus

Qualia lychnia.

Prouisio.

tus fuerit effuſus, parum uel omnino nihil ab alijs partibus extrahere expediet, ſed uice phlebotomiæ uincula, frictiones, balnea, uel uentoſæ ſuppetent. Et ſi mali ſucci æger occurrerit, à ſanguinis miſſione, die puta immediatè ſequẽti, corpus purgare conueniet, circunſtantesq; uulneri partes prima die repellentibus fulcire, oxyrrhodino puta, uel aceto, & aqua, uel aqua, in qua incocta ſint malicoria, baccæ, uel folia myrti, galla, & ſimilia, uel omphacium per ſè, uel cum aqua miſtum: uictus tenuiſsimus ſit primis diebus, reliquis autem ſemper aliquid addendo, prout morbi magnitudo, uirtutis robur, & patientis conſuetudo indicabunt. Et hæc cùm ſuccinctè, generaliterq; omnia dixerim, non alienum erit, nos ad exemplares curas conuertere: hæ nanq; magis ſenſum mouent.

De curatione uulneris capitis. Cap. XVI.


ITa ut humani corporis partium præſtantiſsima eſt anima, ſic & reliquarum omnium eius ſedes: hæc autẽ eſt caput: hinc igitur ſumamus exordium. Ex bombardeola, ſclopettoúe varia in capite, vulnera inferuntur, quæ, quantumuis parua fuerint, ſemper magni exiſtimanda ſunt: non enim facile in ijs corrigi poteſt inflammatio, ſi fiat: fiunt quippe facilè, niſi ſumma diligentia ſint tractata. Cutis enim denſa eſt, à qua non ſine labore tranſpirant ſuperflui humores: longè tamen maius negotium faceſſunt, ſi

internis partibus communicet læsio, et horum etiam magis, quæ vel circa commissuras, vel tempora, vel occiput, vel oculorum regiones sunt accepta. Agedum, si ipsum simplex fuerit, vndequaq; rasis capillis vnico, aut ad summũ duobus diebus hoc vnguento curabis. Recipe pulueris præcipitati optimi drac. i. butyri recentis drach. ij. olei rosati omphacitis drach. i. croci grana duo, misce, & fiat vnguentum, quo puluilli imponendi ex mollißimo carpentato linteo illinantur, eoq́; tenuius craßiusúe perinde vt in vulnere maior, vel minor apparuerit contusio. Ast vbi hæc maior fuerit, vnguentum copiosius, minori mitius impones: desuper autem oui album cum rosaceo, & bolo armena in formam vnguenti mista. Secundo autem die aliud medicamentum impones, quod aliquo modo digerendo moderatè abstergat, & leuiter exsiccet: cuius hæc erit forma. Recipe terebinthinæ claræ in albo vino ter lotæ vnc. s. mellis rosati vnc. i. butyri recentis drach. ij. farinæ hordei, pulueris aristolochiæ rotundæ, radicis ireos, an. drach. i. aloes drach. s. misce, fiat vnguentum. Hoc autẽ vti poteris donec in vulnere optima appareat digestio: quæ, si illud rationabiliter se gerat, quartum, aut ad summum sextum non excedat: & tunc ab vnguento amoto butyro siccantius (vt requiritur) illud facies, addendo ex pulueribus quod satis sit, si magis siccare intendas. Facilè autem curatur in capite vulnus, si illud simplex sit, modò æger non in humoribus tantùm, sed & in moribus sit tempera

Vulnus simplex in capite


Vulnus compositum.

tus, arteq; curetur. Verùm quod complicatum est (quod scilicet intrinsecis partibus læsionem communicat) laboriosum non solùm patienti, sed & ijs, qui curam susceperunt, existit. Si ergo intrinsecarum partiũ offensa sensui pateat, vel saltem de se magnã faciat chirurgi opinionem, statim os deliberare intende, ea parte scilicet, quæ magis grauata est, sic, tantumq; cranei detegas, vt fracta, educendaq; ossa eximere, collisa terebello perforare, vel radenda liberè ciclißcis scalpere poßis. At incisionis forma duplex est, altera trigona, tetragona altera: sed hæc ad intentum nostrum magis conducit. Ea autem est, quæ duabus lineis orthogonaliter se secantibus depingitur.



In prima igitur cura (si fueris vocatus) nouacula bene secante, ac manu ponderosa cutem sic præscindito, vt pericranium vnà diuisum sit, mox vnguibus, vel (quod aptius est) instrumento aciem obtusam ex altera parte habẽtem, ex altera parte bene secante, qua meningem os tegentem, si vsquam à nouacula insecta remanserit, scindere valeas, non amota ab opere manu: cuius formam hic intueri licet.

Os



Os igitur excoria, ac labra euerte: & si glans in propriam cerebri substantiam intrauerit, salutis omnino spes eximitur: si verò nondum ingressa, ossis aliquid à reliquis separati reliquerit, quod non magno negotio euelli possit, educas. Sic si glans in osse sit fixa, vt infrà latiùs dicetur. Quòd si nihil hac prima cura, quod facilè educi possit, appareat, vulnus puluillis ex carpentato linteo, vel mollissima stuppa paratis in austero vino vel omphacio, acetóue prius madidis, ac expressis recenti rosaceo omphacitide, vel myrtino cum bolo armena, post imbibitis, ac tepidis priùs reple. Si verò propter aliquam sectam venam sanguinis hæmorrhagiam verearis, omissis oleis, lychnia in omphacio, vel aceto acerrimo madida, ac fortiter expressa, oui albo, in quo abundanter sit bolus armena, illinantur ad vsum sequenti die, hæc miscella componatur. Recipe rosacei omphacitis, ac recenti vnc. ij. albumẽ vnius oui, boli armenæ vnc. i. croci grana quatuor, misce, ac penicillis superpone: hoc eodem vnguento circunstantes partes vulneris munire salubre erit, per ternos, quaternosúe dies, propter inflammationis suspectum: in vul-

nere autem ſat eſt prima die imponere, deinde ad hi ius digeſtiui vſum accedes. Recipe terebinthinæ in vino albo ter, vel quater lotæ vnc. ij. vitella duorum ouorũ, olei roſati vnc. s. croci grana quatuor, aloe: ſcrup. ij. miſce, & vtere donec abſtergendi tempus aduenerit, quod nõ præteriturum quartum diem fatemur, ſi æquè ſe res geſſerint. Sunt qui putrefactiuis (digeſtiua appellata) diem ſeptimum vt firmum terminum præſcribant, alij etiam, & vltra hoc expectantes putridæ carnis ſeparationem vndiq; labia ambientis, ignari bonam carnem putridæ ſubſiſtentem in dies putrefieri magis, niſi quæ iam ſuppurauit abſtergentibus amoueatur. Nos autem ratum dimittendi digerentis medicaminis terminum præfinimus, quod eſt hoc, dum videris vulnus concoctũ iri, hoc more, nec tibi ſeptimum, nec aliũ quemq; diẽ (vt craſſæ mineruæ vulnerarij faciunt) præſtitues firmum. Ab hoc medicamine cũ abſtergere licebit, ad id recurres, quod ſuprà ordinatũ eſt, conſtans ex melle, & cæteris. Hoc quantũ ad ea quæ curationẽ carnoſæ partis ſpectant de capite ſint dicta. Si verò (vt diximus) oßis læſio fuerit, ſic vt internarum partiũ aliquam malè habere exiſtimes, puta, vel vena rupta, vnde ſanguis ſub cranio effuſus, ſub caluaria vagus exitũ poſtulet, vel pus quod contingit ys, qui iã diu vulnus accepere, uel cerebrũ oßis colliſione prematur, vel ab aliqua aſperitate (ſi os fractũ ſit) pungatur, tunc ocyßimè ad oßis, vel puris moleſtiã inferentis ablationẽ, vel ad vaganti ſanguini liberum

Digeſtiuum


Digeſtiua quo, & quãto tempore uſui ueniãt.

Si os læſum.

berũ exitũ parandũ properandũ eſt: quamobrem recta mente perpendenda ſunt ſigna, ne omittas vbi requiritur opus, vel agas, vbi ſuffugiẽdum eſt, quæ omnia in his frequenter, & ægris, & artifici opus moleſtißimum reddere conſueuerunt, oſtendunt igitur læſionem intrinſecus ſuſceptam ſenſui non manifeſtam, caſus cum vertigine, vel viſione plurimorum luminum, mentis alienatio, ſopor, oculorum tumor cum rubore, ſanguis per nares & aures eruptio, vomitus, reſolutio aliquarum partium, apoplexia: verùm non neceſſe ad horum ſingulum deducitur vt certo argumento proferamus cerebri offenſam, (cerebrum nunc intelligo quicquid intra cranium continetur) cadunt enim quandoque aliqui capite percußi, nulla cerebro illata iniuria, alios ſtetiſſe vidimus, quibus duram meningem laceram deprehendimus, quare in his iudicandis, vbi anceps res eſt, prudentem Chirurgum eſſe oportet, qui cuncta bene penſet, iudicet, agatque, priſtinam ſcilicet patientis naturam, mores, motus, vires, præſentibus conferendo. Si itaque os aperire cogamur, quanto celerius fieri poteſt, fiat. Primo puta die, vel ſecundo, quo ſanguis nondum coagulatus, facilius exeat, ne vagabundus cerebrum perturbet, vel premendo grauet, vel æſtuando inflammet, minusque extendendo dolorem faciat. Verùm vbi à principio non facta fuerit, eamque ſubterfugere non liceat, reliquis diebus efficias: ſatius namque eſt quoquomodo tardius occurrere remedijs, quam ijs omißis ſine


ſpe morti ægrum deſtituere. Quare & tertio, & quarto & ſexto, & decimoquarto, & reliquis diebus indifferenter agere poteris, non enim pro hoc opere præſtando criticos dies vereri oportet (vt quidam faciunt) non intelligentes artem, exiſtimantes id quod ad vnum refertur in arte medica, idem reliquis omnibus eſſe referendum, nulla habita diſtinctione: errant tamen maximè. Obſeruantur tamen in iis critici dies ad prognoſticum, non ad curam, in febribus autem ad vtrunque, nam in febribus purgationes, balnea, phlebotomia, neque aliud quicquam quod naturam diuertere poßit ab opere, ſi aliquid moliri ſit diſpoſita, agere verendum eſt, non aliam ob cauſam, verùm in hoc affectu non id expectandum eſt: non enim natura os perforabit, vel opportunè quod pungit ſemper auferre poteſt, egens in ſimilibus omnino Medici auxilio. Quare quocunque die operatio hæc fieri poteſt, nullo diſcrimine habito, præter hoc, quòd quantò citius fiet, in melius res ſuccedet. Sed antequam vlterius progrediar, operæpretium fore duxi, hic terebrarum formas aliquod ad intentum noſtrum ſalutares, & à multis non cognitas deſcribere, quarum quæ quaternario charactere ſignatur, cæterarum omnium in ſuo genere vtique tutißima ac commodißima, à me excogitata eſt, nec amplius ab alio (quod nouerim) cognita. Quæ ternario charactere notatur, ea eſt, quæ paßim per officinas Chirurgorum tranſcurrere videmus, quã etiam Hippocrati fuiſſe familiarẽ

rem existimamus, à Galeno chinicidas, quod (vt Celsus interpretatur) modiolum significat, cui binarius character iungitur, aliud illi figura simile apud aliquos Chirurgos nostri temporis vidi, verùm in modum limæ intersectum erat, vt omnino simile esset his sphærulis, quibus fabri ferrarij vtuntur ad typos formandos, quibus plumbeæ glandes conficiuntur ad sclopettorum vsum, cuius figura literam habet appositam A, sed istud in operatione molestum est, quum statim eiusdem asperitates scobina repleantur, sic vt singulo ferè circuitu, noua lotione egeat, at hoc nostrum diuerso modo ab illo sectum est, sic vt celerius aptiusque operam perficiat, quamquam non tam frequenter vt primũ vel quartum in vsum veniat. Reliquum genus, cui vnitatis character aßidet, etsi meo genio similiter vt quartum excogitarim, aliud tamen non dißimile, licet quodammodo nostro sit obtusius in commentarijs super Hippocratem Guidi Vidij nuper in Gallicam linguam ex Latina translatis comperi, quod ante hunc etiam apud Celsum verbis depictum cognoueram, id autem est, quod à Celso secundo loco describitur, ab acuto scilicet mucrone incipiens, in latius tendens, in longioris quasi capituli formam, de reliquis, quæ vel laqueo circummouentur, uel arcus fune, vel ligno transuersim posito fune vincto, quo fabri ferrarij vtuntur, vt nondum in vsum veni re possunt, sic de ipsis quicquã scribere omnino super fluũ esse existimo, terebrarũ autem formæ hæ sunto.




Sed quia quandoque in caluariæ fractura vel collisio ita ingens est, vt terebra totum illud amplecti minimè poßit, peruestigandum est qua industria (si oporteat) id auferendum veniat: nam Galeni modus, quem etiam Celsus confirmauit, horridus ferè vi-

videtur, quum caluariam clypeato, aut ſi malis, lenticulato ſcalpro plumbeo malleo percuſſo, quantum ſufficiat ſecare mandet. At nos triplici modo vbi opus requiritur, rem peragimus: aliud eſt noſtris terebris toties perforare, quoad totum quod amouendum eſt, ſit remotum, vt in his figuris videre licet.




Cuſpides autem quæ inter circulos remanent, lenticulato ſcalpro obtunduntur, nam modus iſte (ſi os firmum aliquantulum exiſtat) ſatis facilis ac tutus eſt, & à me fratreq; meo ſæpius vſu comprobatus, ſic vt ſuperſtites adhuc viuant aliquot ex his, quibus operam noſtram, ſimul atque conſilium communicauimus, inter quos Caſtagnedus Hiſpanus miles quinquagenarius bellico malleo aut (ſi mauis) claua percuſſus, terebratione reiterata, quod ſat fuit è cranio ſeiunximus. Item infans biennis molitoris filius, caſu à Germano milite lapidem proijciente, in ſincipite magno ictu percuſſus fuit, hunc triplici perforatione curauimus. Christophorus Calceolarius agens annum circa vigeſimum, haſtili ferro, quod alabarda vulgò dicitur, quinque terebræ operibus rem perfecimus, nec non alios ſimili ope adiu-

iuuimus. Alius secãdæ caluariæ modus est, si in lõ gũ secare intẽdas ab vtraq; parte terebra os perf ra, & ab vtroq; circulo, ac si eos intra duas paral las includere velles, clicies ciclisco, aut acuto scal pro rasorio paruiore parabis, quo serra vltro citro queferri minimè possit, inde quod intra vtrũq; osc lũ remanet, serra secabis eodẽ more procedendũ est si in latum longumq; auferre cranium expediat, v per has alias figuras comprehendere facilè poteri




Tertius modus est, quum sine terebellis sola serra & scalpris, præcipuè cum os amplum est, quod tunden dum venit, auferimus, verùm vt dictum est, adunco vel acuto scalpro, (si libeat) sulci parandi sunt, ne huc atq; illuc serra fluat, vel pedetentim secura ma nu sola serra parare viam poteris, ac quantum opor teat secare, ad hanc puta formam vel aliam, vt ipsa ossis affectio monebit.




Ser


Serra breuis esto, ſubtilis, dentibusq́; bene acuminatis, in medium minimè conuexa, cum forti manubrio, ac longo, quantum manu commodè prehendi exerceriq́; poßit, ex quibus plures etiam paratas habere licebit, forma autem talis ſit,



Atqui & nunc ſcalprorum formas hic deſcribere non erit inutile, nam ſola horum ope, ſæpe in vulneribus cæſim factis ægros iuuimus.



*Sed hæc hippomocleati vectes, eleuatoria a-
cta, sub silentio sunt prætereundi, quorum officio
stris coruinis, vel gruinis, inuicem adiuuantibu
non rarò à labore, & periculo patientes liberau
mus, vbi potißimum magna sit oßis labefactatio
quorum formas hic subiecimus.*



*Nũc quomodo horum singulum in vsum veniat,
expromere tempestiuum est. Duæ igitur terebra-
rum figuræ, quarta scilicet & tertia sphærulam
oßis secant, amplitudini instrumentorum & magni-
tudini respondentem, & vsui præcipuè veniunt in
collisionibus vel fracturis, in quibus os firmum est,
quod auferre est necessum, vel in fracturis punctim
illatis, vel contusionibus paruis, vel quæ quandoq;
ex sclopettorum glande fit, vel alterius rei similis,
secunda verò ad modum rasorij scalpri in circulum
radit, osculum in vitrea quantum lens est, parare
apta est, reliquas partes circumcirca osculum exi-
les admodum relinquens, quæ vel eleuatorijs fran-*

gi,

, vel lenticulato ſcalpro abradi debent, ne acies vitrea relicta aliquo modo cerebro officere poſ-
[illegible],ac etiam quò magis amplum foramen reddatur,
[illegible]comodatur, vbi oſculum ab acuta terebra factum
[illegible]gere aliquo modo velles, quod quandoq; accidit,
[illegible]bi craßior ſanguis, vel pus aliquod tenacius ſub
[illegible]luaria ſint inuenta, vel vbi caries oßi immineat,
[illegible]uæ ad ſecundam vſq; laminam deſcendat, quod fre
[illegible]uenter apparet in his qui ſyphillide diutius cru-
[illegible]antur, & non ſolum in capite, ſed & in oßibus ti-
[illegible]iarum omoplattæq; carie infectis vſui venit. Pri-
[illegible]um quidem quod capituli longioris acutiorisque
[illegible]ormam refert in acutum os transfigit, ita vt oſcu-
[illegible]um quantum milium, vel paruum ordeolum eſt, re-
[illegible]inquat, aptè eo vtimur, vbi tantùm caluariam tran
[illegible]irabilem reddere ſit congruum, quò craßi vapo-
[illegible]es, vel ſanguis ex aliquo ictu ſparſus, nondum co-
[illegible]ctus, vel pus aliquod intra caluariam genitum,
[illegible]el ab externo aliquo ſinu interius reſudatum, libe-
[illegible]um (inquam) hæc omnia exitum habeant. Ad fa-
[illegible]iliorem igitur doctrinam fingamus in bregmate ac
[illegible]eptum eſſe vulnus, cum leui illiſione, quæ ſenſui ma
[illegible]ifeſta non ſit, ſymptomata autem de intrinſecus ac
[illegible]epta offenſa fidem faciant: oſſe prius (vt dictum
[illegible]ſt) bene, ac quantum ſufficiat detecto, prima tere-
[illegible]ra illud ubi colliſum eſt, transfige, ita vt ſanguis
[illegible]ub eo errans liberè exire poßit. Si verò hoc oſcu-
[illegible]o facto vitream (quod in colliſionibus pleru nq; eue
[illegible]it) fortiter labefactatam eſſe noueris, tunc quarta

te-

terebra maiuſcula orificium auge. quòd ſi tibi hæ præſto non ſit, tertiam ſume, nam et ea commoda eſt modò tutiore manu tractetur. Si verò fractura pateat, eaq́ue in glandis formam (quod ut plurimum fit) ſit facta, tunc terebra quæ totum os fractu amplectatnr perforare oportet, illudq́; eximere. Se hic extra propoſitum non erit, curam à me factam auditu dignam pro exemplo in hominũ memoriam exponere. Die ſecundo à Cereſolenſe conflictu (nam tunc temporis chirurgiam exercebam) profugus Hiſpanus quidam miles, qui in dextro bregmate infixam glandem plumbeam ferebat, ſupplex ad me venit, cui actutum manus adhibui, et quantũ oportebat oßis denudaui, glandemq́; coruino roſtro ſtrinxi: hæc tamen tam tenaciter oßi adhærebat, vt ſine magno horrore, ac etiam periculo illam educi non poſſe comprehenderem. Quamobrem eam alia industria educere putaui, ſic ad tertium terebellũ conuerſus (non autem eo tempore quartum meum excogitaueram,) quo deinde (vbi mihi oblata fuit occaſio, ſemper ac felici aſtro vſus ſum) glandem cum exili oßis ciclo illam cingente proſperè extraxi, primis poſteà diebus, vſquedum ſanguis, qui iam ſub cranio coactus iacebat ſeparari, in pusq́; verti cœpit, ſimplo mellis roſati: triplum roſati olei, admiſcui, impoſuiq́;, quod vice uerſa cõmutaui, dum concoctio apparere cœpit, olei ſcilicet ſimplo triplum mellis adieci, poſteà ſolo melle, per dies aliquot contentus fui, cui poſtremo ordeaceam, et iridem addi-

di,

,qua miſcella ſum uſus ad tempus uſq; ducendæ ci
catricis opportunum, circa carnoſas partes eodem
modo proceſsimus (vt dictum eſt) phlebotomatus
purgatusq́; ſic ut (fauſto numine) in priſtinam ſa-
nitatem reſtitutus fuerit. Si uerò glans obliq; præ-
tenderit, osq́, ualenter curſim fricauerit, ac aliquo
modo depreſſerit, fortè ſat erit illud ciclisſcis, aut a-
cuminatis raſorijs ad duram uſq; meningem fodere,
ſi fortè magna ſit oſsis fractura, quæ (etſi à paruis
ſclopettis non fiat, cum aliqua vitæ ſpe) contigit ta-
men ſæpius ex cauſa alia, quæ diuerſam curam ab
hac minimè poſtulat. Cutis cautè ſecanda eſt, ne per
fracturarum rimas cerebri meninges exulceres, po-
ſtea oſsis fruſtula, quæ non magno negotio educi po-
terunt, eximere ſcilicet digitis, & roſtris: quod ſi
alia depreſſa ſint, quæ adhuc firma perſiſtant, tunc
eleuatorijs ad ſitum naturalem reducere nitendum
eſt, nec illa vi educere, ſæpe autẽ reuniuntur. Quòd
ſi ſuper commiſſuris extiterit vulnus, idq́; tranſpi-
ratione egeat, ea parte perforandum eſt cranium,
qua magis affectus vergit, vel ſi in vtranq;: com-
municet, ex vtraque: eiuſdem verò commiſſuræ oſſa
(niſi vehementiùs ſuper cerebro deiecta fuerint)
ne trahas, vel vi educas, ſed ſat erit, orificijs ſcilicet
factis, quod depreſſum eſt, in commiſſurarum regio-
ne eleuatorijs ad naturalem ſitum, quantùm valeas
reducere, ac ſinere. Nam multoties (vt diximus)
religantur: quæ ſi reuniri amplius non valeant Na
tura tutiùs, & minore negotio, illa ſeparabit, & euo
met,

euomet, quàm resistet symptomatis, quæ sequi solen violentas membranarum extensiones lacerationes que. Nam in commissuris dura meninx inseritur per illasq; transit: quare si eadem ossa vi extrahe re tentaueris, meningem laceres in ea infixam nece se est, vnde phlegmones, conuulsiones, mox & int ritus sequuntur, timendaq; simul sunt & tempora & occiput. His amplius à quacunque oßis ablatio ne statim aculei, acies, asperitatesúe in vitrea reli cta, qualescunque fuerint, summa diligentia aufer re, lenireq; oportet, lenticulato cultro, vel eleuato rio aciē ferente, vel alio quopiam quod rei conferr posse perceperis, ne duram meningem, quæ nun quam non mouetur, pungant, lancinentq;. Cuditu clypeatus culter plumbeo malleolo. Sed cum ho opus præstare ntendis, vel scalpris radere, vel te rebris perforare, patientis aures goßipio, aut lana aut panno in formam claui paratis, obturanda sunt, manibusque alterius auxilium ferentis, præ mendæ, quò & firmius caput sedeat, & ne etian strepitu horreat. sintque tibi ea hora parati mollis simi, ac subtilißimi panni, in frustula redacti, qui bus exsiccare sanguinem, qui ex cranio frequente resudat, commodè poßis. Omnibus igitur sic pera ctis, sericum, vel ex lino sindonem, in formam talem constitutum, qualem crany apertura coindicat, in vino austero infusum, vel rosaceo, si sanguis aliquis coagulatus cerebro immineat, cerebri membrana superpone, & subtili, leni, curuoq; aliquo ferro sub

c ir-

circunquaque placidè accommoda, puluillis deinde ex mollißimis carpentatis linteis in austero vino madidis, rosatoq́ue omphacitide melle rosaceo (vt supra dictum est) admisto imbutis, reliquum vulneris reple, demum linteum in eodem vino, vel aceto madidum, ac expressum rosaceo, oui albo, & bolo armena illitum superpone, mel rosaceum, vel iuleb rosaceum, olei loco, vbi amplius, nec digerere conueniat, nec phlegmones timeatur, impones, et vulneris reliquũ medicamento ex melle rosaceo, farina hordei, & iride perinde, (vt iam supra dictum est) curabis, & cum cranei osculum carne impleri cœperit, tunc os detectum leuiter raspatorijs radatur, & labra vulneris in locum suum paulatim reponantur: orificium tamen aliquod apertum relinquendo, quoad os integrè expoliatum cognoueris: quod longo temporis interuallo fit, quadraginta puta, vel quinquaginta, imò & quandoque sexaginta diebus. Pro qua re labra euersa tam diu detinere stultum est. Osse verò separato, cutem omnino euoca. Si autem vel propter Chirurgi negligentiam, vel patientis malum habitum, intemperantiamúe, ad aliquam corruptionem deuenerit pars cerebri affecta, vt aliquando mihi vidisse accidit, ad præcipitati pulueris, vel Aegyptiaci vsum illico deueniendum est: nam horum præsidio liberatos aliquot vidi, præcipuè agrestem mulierem, quam curam admirandam nunc subscribere intelligo. Agrestis quædam mulier quadragenaria circa finem Februarij mensis la- Cura fœlix.

t pi-

pide in sinistro bregmate percussa fuit: hæc cùm ab ignaro agrestique barbitonsore curaretur, in dies in deteriorem statum labebatur, ita vt de eius vita omnino desperarent. Ad cuius curam circa nonum diem secundus Botallus mihi frater (vir etenim in Chirurgia exercitatissimus: nã eo tempore sub eius instituto Chirurgiam exercebam) conuocatus fuit. Hic rectè symptomata perpendens, illico cutem aperit, os detegit, & subsequenti die terebello perforat: at in ea parte cerebrum penitus immobile vidimus, durities ingens, cum nigritie apparebat, vt crusta in carne facta omnino videretur: quamobrem de eius salute plurimùm diffidebamus. Verùm non omnino perterritus frater duplo ægyptiaci, rosacei mellis simplum commiscuit, & cerebro superposuit eodem die sanguinem è brachio misit, sequenti purgauit. At dolores remitti cœpere, puris vestigium aliquod apparere: quare & eundem, & tertiũ quoque diem in eodem medicamine persistere satius esse duxit. Sequẽtibus verò diebus solo melle rosaceo cõtentabatur, cui imposterum, cùm aliquantulũ magis exsiccare intendebat, & ireos, & hordei pollinem adijciebat, sic vt ad finem vsq; fœliciter rem duxerit. Nam ex hac cura maiore admiratione sum affectus, quàm ex alijs aliquot, in quibus à principio meninx erat sauciata. Si igitur (vt dixi) super cerebrũ putredo, corruptelaúe aliqua eueniat, quæ melle abstergi non poßit, puluerem præcipitati immisce, vel ægyptiacum, quantum sat esse rectè iudica-

ca-

caueris, omniq; industria simul humores in contrarias partes reuellendo purgatione, si liceat, vel reiterata phlebotomia, ac cæteris reuellentibus ingenijs. Sed quia corruptela hæc in curabilibus affectibus non contingit, vt plurimum, nisi vel ex ægri malo habitu, vel intemperantia, vel ex artificis improuidentia. Quomodo igitur, & quibus prouisio fiat, declarandum erit. Nam quæ dicta sunt, ad affectus tantùm curationem pertinent. Curato igitur vulnere, prima die pannos in oxyrrhodino, & bolo armena infusis circunstantibus partibus superpones leuiter frigidos, si æstas fuerit: tepidos, si hyems. At in vtraq; tempestate repercutientia bis, terúe in die sunt repetenda, ac sæpius, si dolor aliquis infestet, ijs vti licebit, quousq; phlegmones timetur. Hæc autem suspecta est, quoad suppurabit vulnus. Quum igitur suppuratio apparet, pannum in vino austero madidum pressum, ac calidum superponere satis erit. Sed attendendum est, ne frequentatis plus, quàm deceat, refrigerantibus, vulneris coctionem, quæ vi caloris naturalis perficitur, remoreris. Nam plures ignaros vulnerarios, ac quandoque alios, qui se plurimum in arte scire profitebantur, sæpius obiurgauimus, in hoc errantes. Phlebotomiam præterea statim à prima curatione (nisi nuper à cibo sit, vel abundantius è vulnere emanauerit sanguis, vt vires deiecerit) in cephalica brachij, affectam partem respicientis, facies, ac sanguinis tantum educes, quantum & vires, & tempestas indicauerint, affe-

Prouisio.

Repercutientia.

Phlebotomia,

ctum semper supponimus: Si verò prima die non secta fuerit vena, poterit sequentibus diebus secari, secundo, vel tertio die, si æger plethoricus, vel cacochymus, vel purgationibus assuetus fuerit: purgareque sequenti die corpus, conuenientißimum erit. pro qua re medicum accersire facias. Vbi verò Medicus prestò non sit, in fine libri recurre, vbi aliquot medicamentorum purgantium formas annotauimus secundum præcipuas humorum varietates. Nam eas in omnibus capitibus inserere non libuit, tum quòd ad simplicem chirurgum corpora purgare nõ spectet, nisi coactus, tum etiam quòd in quacunq; cura recensendum esset, quod semel prolatum omnibus quodammodo satisfaciet. Ex maximè attendendum est, ne pharmacum vomitum cieat. Clysteria pariter, si durus venter sit, sæpius indere iuuabit. Prætereà frictiones à collo incœptæ, ac inferius ductæ ad plantam pedum vsq; supernè leuiores, asperiores infernè, ante cibum fiant. Quod si dolore, vel phlegmone, vel alio quopiam molesto symptomate tristetur, & vincula cum ijs, & balnea tibijs, & pedibus addere, & venam resecare, & corpus repurgare oportebit, modò ab extrinseco horum symptomatum causa non proueniat, puta frigore, vel calore, vel alio quopiam. Quare dum cura fit hyberno tempore, omnia calefiant, ac dum detectum vulnus est, labrum æneum cum prunis suprà retineatur: nec æstate omnino frigida sunt administranda vnguenta. Immoderatus etiam calor ex multis pannis, &

Purgatio.

Clysteria.

Frictiones.

Vincula.

Balnea.

Purgatio & phlebotomia reiteranda.

nis, & stuppis, pellicijs calidiore conclauio, calidioribus applicitis medicamentis excitari potest. Quare oculatum in ijs chirurgum esse oportet. Non leuis enim pars est, circa hæc rationabiliter se gerere. Facilè autem affecta pars à quocunque extrinseco commutatur. Quare attendendum est, ne eueniat, quemadmodum ijs, qui fracta membra inconsultò stringendo perdunt, vel hypochondria fotibus inflammant, aliunde tamen causam vestigantes. Idem in ijs casibus ignari artifices, rudiori ac impia manu vulnera prementes, aspereq́; perfricantes illa recrudescunt, exasperantq́; sic, vt eorum causa plerunque ex cutaneo, leuißimoq́ue morbo, in vitæ discrimen, vel ad mortem ducantur patiẽtes, ita me dij ament, vt horum aliquot reprehendi. Ast non erit ab re, imò iuuabit quidem vnum ad hoc propositum exemplum, quod nuper euenit, annotare. Adolescens annum agens plus minus decimumseptimum in bregmatis sinistra regione ex paruo lapillo ab alio puero ludente manu iacto, cutaneum vulnus passus est. Hunc (suo quidem damno immedicabili) quidam chirurgus curæ suscepit, qui inepta, grauiq́; manu, ac linteis asperis, sic impiè vulnus abstergebat, vt in dies, & vulnus magis recrudesceret, & carnem magis colliquaret. Puer autem in reliquis omnibus se bene gerebat, negotiabatur, heroq́; suo (vt moris erat) inseruiebat. Vidi ego hunc eidem vulnerario submissum, quum vulnus recens esset: hunc autem tam impiè artem exercentem reprehendebam. Re-

Cura infelix empirico successa.

ſpondebat is, crudelem eſſe oportere chirurgum, non pium. Hunc reuiſere deſtitui, propter affectus paruitatem. Circa octodecimum diem ad me recurrit patiens, cui circum uulnus undequaq; ſinuoſa, anfractuoſaq; erat reddita cutis, vbi & pus detinebatur, quod tantùm premendo educi poterat. Quare quemadmodum cauitatis eiuſmodi authores fuere impiæ frictiones, & moleſtæ preſsiones, eiuſdem ſiquidem & fuiſſe auctores non ab re aſſerendum eſt: liquant autem carnes moleſtæ compreſsiones. At quum hoc vidiſſem, cauitatem ad inferiorẽ partem aperire conſului, quò materia calorem, putredinemque cerebro non communicaret. Quod ſe facturum pollicitus eſt vulnerarius; nullam.n.eo tempore ſedem habebamus permanentem, ſed ſimul cum regio exercitu omnes vltro, citroq; ferebamur. Quare nec mihi illius viſendi vlla concedebatur commoda poteſtas. Circa vigeſimamquartam diem vocatus ad illum me contuli, ſinum ingentem cum ſumma putredine, ac fœtore inueni: nihil enim eorum, quæ iuſſeram, præſtiterat ignauus ille. Quod an arrogantiæ, an formidini aſcriberem, non ſatis intelligebam. Circa vigeſimam continente febre (vt retulerant aſtantes) correptus eſt, collapſæ vires, ſopor inſtabat, oculi graues, tumidiq; , vrinæ ſanæ. Hæc omnia cùm vidiſſem, vigeſimaquarta (vt dixi) cerebrum offenſum eſſe iudicaui, non quidem à principali vulnere, ſed ex putrida materia, quæ & intrinſecus reſudabat. At ſtatim cutem aperire, & os perfore-

forare consului, licet vires ferè in totum deiectæ essent, ratus satius esse, anceps admouere auxilium, quàm tutò ægrum morti derelinquere. At stupidus ille cùm audisset, os esse perforandum, Nisi febris esset (inquit) vulnus facilè curam susciperet. Vigesimasexta tandem expirauit. Iussi deinde cadaueris caluariam aperiri: vulnerarius autem, qui calumniam subterfugere satagebat, fretus os iniuriæ, nec minimum à principio passum fuisse, id hilari vultu præstitit, inuenitq́; ingentem sub cranio puris copiam, ac cerebrum ex ea parte liquatum, ac in pus versum. Hoc more cespitare solent, qui crassa quadam tantùm ac fallaci experientia artem hanc exercent: quod vtiq; non contingeret, si in Galeni, Hippocratisq́; libris insudarent, vel saltem artis peritis inseruirent, quam diu artem callerent. Quod tamen semper facere abhorruit audax ignorantium turba. Ex similibus ædepol & alia enumerare possem, verùm hoc exemplum sufficiat, & quò intelligatur, quàm facile sit ex capitis vulnere hominem interire, si perperam tractetur, licet ipsum simplicißimũ, cutaneumq́; sit, & vt inscientes, ignariq́; discant, præstantius esse, sibi famã & ægris vtile obsequium alieno consilio parare, quàm stupido suo phantasmate vtriusq; iacturam facere: sed redeamus ad susceptum consilium. Suauiter igitur, quantum fieri possit, tractanda sunt vulnera, dicti Hippocratis, & Galeni semper memores, vt tutò scilicet, celeriter, & sine dolore, pro posse operemur, partes vulneri

circumiacentes singulo quoque die abstergere, ac ab omni immunditia nitidas conseruare oportebit, quò ex quacunque parte humores in halitum resolui parati patentes vias habeant, non autem sorditie obstrusas. Fasciæ prætereà tantùm vt medicamenta immota cõtineant, apponũtur: quare ne strictæ sint, attendendum est: siquidẽ eæ (præcipuè non assuetis) grauedinem excitant. Supremo loco sit sita, quæ afficitur particula, minus autem illuc feruntur redundantes humores. Verùm si pus abundantius fluat, decliue vulnus situm quandoque adiumẽtum feret. Aluus lubrica conseruetur, clysteribus, vel balanis, vel vnica pilula assumpta ex agarico, & aloe, singulo die, vel alternis diebus, nisi spõte excernat. Sit victus tenuißimus, ad septimum saltem vsque diem, vel vndecimum ad summum, vel decimũquartum, ex panatella scilicet, cum minimo vel olei, vel butyri, aut (quod magis laudo) cum iure pulli: potus, aqua cũ saccharo, ac parũ, si lubeat, cinnamomi cocta: ab vndecima vel decimaquarta, vino paucifero, pullis, epulis in iure caponis, vel vituli coctis, vt pane trito, vel condro, vel amygdalato, & similibus nutriatur: parcè tamen, ac horis suis, cœnam prandiumq́ue sumat, quantitatem autem non modò cibi, sed & medicamentorum, vnicuique determinatam ac propriam scientificè describere non possumus, sed à morbo, virtute, patientisq́ue consuetudine petenda est.

Fascia.

Situs.

Aluus mollis.

Victus.

Potus.

De

De Thorace. Cap. XVII.

THoracis vulneris curatio nullo alio discrimine ab ea, quæ aliarum partium est, seiungitur, quàm differentiæ partium ratione: affectus autem idem est in omnibus partibus. Hæ tamen inter se diuersitatem patiuntur non minimam, quare & curã hic nos aliquo pacto cæteris dissimilem cogimur describere, prout partium diuersitas postulat. Si igitur illud dũtaxat extrinsecus fuerit, vt reliqua vulnera curandum erit, primis scilicet duobus diebus vnguentum ex præcipitato, vel alio quopiam, si hoc præsto non fuerit, eadem facultate prædito, vel solo butyro adiunges post ad ea, quæ leuiter abstergũt, exsiccantque, vt mel rosaceum tum simplex, vel cui sit addita terebinthina, aristolochia, farina hordei, & similia. Nec ab re erit, à secunda die ad quartum parum butyri recentis abstergentibus medicamentis immiscere, deinde illud auferre. Forma autem talis erit: Recipe mellis rosati vnc. i. terebinthinæ, butyri recentis, an. drac. iij. farinæ hordei, aristolochiæ rotundæ, an. drac. i. misce, & lychnia, puluillosue inungas, qui vulneri imponi debent. Super vulnus verò hoc aliud superpone. Recipe album vnius oui, olei rosati, vnc. i. boli armenæ vnc. i. sem. omnia diligenter rudicula incorporentur, & panno per tres digitos circumquaque vulnns capienti in posca infuso, ac expresso, superponatur, & parti applicetur; frigidum, si æstas sit; tepidum, si hyems. At

loco huius, vbi pus apparere incœperit, vel emplastrum ex chalcitide, vel tripharmacum ex oxeleo & argenti ſpuma confecto, ſuper panno extenſum, ſic vt ſpatium tantùm vnius digiti, circunquaque vulnus amplectatur, appones, & cum abſterſum conſpexeris vlcus, nullaq; abundante humiditate moleſtum, vt vulnera cæſim facta, quibus carnis aliquid deeſt, curabis. Ad cuius intentum tale medicamentum laudamus. Recipe ſucci myriophylli, mellis roſati, terebinthinæ, an. vnc. i. farinæ fabarum, farinæ hordei, an. drach. ij. & ſ. thuris, aloes, ariſtolochiæ rotundæ, an. drach. i. ad ignem omnia rudicula cõmoueantur, incorporenturq; , ex quo lychnia intingantur, vel iſis epigoni. At ſi in cauum glans permeauerit, lethale eſt: & ſi organorum internorum nullum offenſam aliquam ex vulnere ſuſceperit: non penetrant autem ſine aliqua oßis læſione, niſi ordeolum plumbeum tantum ſit, quod vulnus infert: nam hoc intra coſtarum ſpatia permeare poteſt, illæſis oßibus: glans verò non ſic, ſine coſtarum, vel reliquorum quorundam oßium thoracis fractura. Hinc fit, vt & dolores excitentur, & phlegmones fiant, ad quæ frequenter mors ſubſequitur. Verùm enimuerò non Medici eſt, vniuerſos affectus ſanare, ſed tantum quæ artis ſunt, eorum nihil omittere: ob id. n. neq; ope deſtituẽdi ſunt ægri, neq; ſpe. Nam ſæpe vt mortuos deſtitutos, viuere uidimus. Præterea & qui moriuntur, minore anxietate, ac cum ſalutis ſpe vltimum vitæ agunt. Secus

Medici munus.

au-

autem qui à Medicis & ope fuerint derelicti. Sagax igitur artifex, neque deploratum penitus destituet, neque serò quod prænouit, periculum, vel mortem præsagire differet. Agedum si pulmo, vel metaphrenon, vel pericardium vulnere sint affecta, salutis spes nulla relinquitur, sed curandus est æger (vt iam dictũ est) quò minore mœrore residuũ temporis vitæ suæ transcurrat. Si vel cor, vel magnarum arteriarum, venarumúe aliqua sint lacera, è uestigio moritur, actutum autem cum spirituum, vel sanguinis effusione, & anima ipsa effluit, quare neque opus Medicum desideratur. Penetrationis autem signa, sanguinis sputum: infallibile autem per vulnus respiratio. Pulmonis verò ostendunt tußis aßidua, sanguis spumosus, per os, per vulnusúe emissus. At cordis, sanguinis nigri, magnarum venarum venosi sanguinis, ac multi, magnarum arteriarum serosi, ac rubri, sanguinis emißio, ad quæ extemplò mors sequitur. Sed si vulnus penetrãs sit, sine organorũ intrinsecorum læsione, salutis adhuc spes aliqua habenda est: quare si glans intra ceciderit, sic vt per vacuum erret, ocyus laborandum est, vt educatur: aliter modò metaphrenon, modò pericardium, prout æger mouebitur, comprimet, ac asperitate sua vellicabit. Situabis igitur ægrum sic, vt partium thoracis infima sit, quæ afficitur, mox specillo flexibili, aureo puta, vel argenteo, uel æreo, in hanc formam flexo, circum vulnus molliter peruestigabis. Verùm si illa non appareat, iube ægrum

Signa uulneris penetrãtis.

Signa pulmonis uulnerati.

Si organa non sint lęsa

ægrum huc atque illuc moueri. Sit is ſuper lecto vel menſa ſtratus, ac vulnus pronum ſemper: & cùm glandem inueneris, ſpecillo in cuſpide lato, i huncq; modum reflexo,



verſus oſculum placidè trahe, quæ gruino, aut cor uino roſtro præhenſa educatur. Quòd ſi parum pe vulnus ampliare oporteat, per coſtarum longitudinem ſectionem facias, non maiorem tamen, quàm glandis exitus requirat. Hic autem eſt modus aucupandæ glandis, & in pectore, & in inferiori ven tre, ſi contingat non (vt imperiti quidam faciunt) qui ſedente ægro, recto ſpecillo, aut quouis modo,

vel ſine arte flexo, glandem venantur, vltro, citroq́; per pectoris, ventriſq́; cauum illud nulla experientia, nullaque induſtria vagum ducentes: ducta igitur glande, ac ſanguine (ſi fuerit) (exit autem ſanguis, niſi congelatus ſit, ſine labore, ac ſola vulneris inclinatione) vulnus hoc vnguento curabis. Recipe olei roſati omphacitis drach. iij. terebinthinæ drac. i. pulueris præcipitati ſcrup. iiij. omnibus inuicem bene miſtis clauus intingatur. Hoc autem primis duobus ſatisfaciet, non vltra. At, quod ſilentio prætereundum non eſt, cùm in hoc plures errent, præcipuè qui anatomen ignorant, ſit clauus ex pãno molliſsimo, non magnus, ne premendo liberum tranſpirationis motum impediat: nec longus, ne pulmo ſuo continuo motu, ac carnis mollitie illum perfricando exulceretur. Satis igitur ſuperq́; erit, ſi longitudine pleuram attingat, magnitudine quantum oſculum, ad pus (ſi fiat) vel ſanguinem (ſi intus remanſerit) educendum, patens conſeruet: ſupra autem more emplaſtri, donec pus apparere liberè incœperit, miſturam applicabis ex ouorum albo, roſaceo omphacitide, & bolo armena, vice huius (vulnere coctionem indicante) vel barbarum, uel ex chalcitide confecta emplaſtra, ſuperpones, clauos verò à ſecunda die hoc medicamento inunges. Recipe butyri recentis drach. ij. mellis roſati vnc. ſem. terebinthinæ, uel glutinis albotin drach. iij. aloes, farinæ hordei, pulueris ireos, an. drach. i. miſce. Elapſis octo diebus butyrum amoue, & mellis doſim dupla. Intra thora-

Penicillus qualis.

Longitudo qualis.

racem, si sanguis coactus sit, uel pus colligatur, metrenchite inijci poterit, uel mulsa simplex, uel in qua sint cocta liquiritia, caricæ, & passæ vuæ, In hyeme addito aliquid praxij, vel minoris centaurij, uel lupinorum. Sed præter hæc & vulnus quandoq; non penetrare à principio uidemus, quod succedentibus diebus transpirabile fit, quoniam putrescit interior membrana, si contusa sit: at diuerso modo à supradicto non curatur, nisi quòd in hoc clauus penetrans imponi non debet, sed ocyßimè quantum fieri poteſt, ad incarnationem, & cutis regenerationem properandum est. Non enim ex hoc sanguinis vel puris à thoracis cauo aliquid educere speramus. Secus autem vbi à principio peruaserit. Atqui neq; omnino vacat periculo, sed medium est inter hoc & illud, quod carnosam partem tantùm sine penetratione infestat. Cæterum prouidere ne ingrauescat sanabilis affectus, non parua res est. Porrò prouidendi ingenia artifici mediocriter exercitato, statim se exhibent, cùm causas prænouerit. Sunt autem magna ex parte fluxiones, quæ tanto plus molestæ fiunt, quantò repletius, vel mali succci patientis corpus inuenerint, ac iterum inualescunt magis, si extrinsecarum causarum aliqua, vel aliquæ in eorum fauorem intendant, vt puta immoderatus motus, inordinatum ac malum victus regimen, & cætera similia, quæ sub ijs sunt. Sit igitur hoc tibi prouisionis principium, primò circumpositas affectui partes repellentibus munire inuncta parte oleo melli-

Prouisio.

Quibus prouidendum.

mellino, vel myrtino, vel omphacitide rosaceo, vel omnibus, vel quibusdam ex iis mistis, pannum in omphacio, vel oxycrato madidum, ac pressum superpones, sæpius die noctuque renouando, frigidè si æstas, calide si hyems fuerit: & hoc quandiu phlegmonis aduentum timemus, cuius nos tutos reddet vulneris suppuratio: ab iis statim curato vulnere (modò ne cibus nuper præcesserit) venã secato ex opposita patientis parte mediam vel basilicam. Quòd si prima die id factum non sit, & pars affecta quoquo modo phlegmone molestari incœperit, ab eadem parte venam tunde, & tantum sanguinis euacua, quantum patientis vires indicabunt, non spreto quod ab ambiente sumitur indicio. Corpus deinde purgato, præcipuè si malis succis sit refertum, tales educendo humores, quales prædominium habere comprehenderis. At hoc maximè attendendum est, ne vomitum moueant pharmaca, quotiescunque in aliquo uentre acceptum fuerit vulnus. Caput enim replent, & thoracis vniuersasque partes violento motu vexant, ac quandoque lancinant. Nam hæc repetere forte quandoque iuuabit. Medicamentorum autem formæ tales erunt, ad bilem primò respicientes. Recipe rhabarbari electi, & subtiliter puluerizati, drach. i. & sem. cum iuleppe violato fiat bolus, quem capiat hora electa, & statim superpotet infrascriptam potionem. Recipe syrupi rosati laxatiui vnc. ij. aquæ buglossæ tantundem, misce: capiat subitò post assumptum bolum.

Sanguis missio.

Purgatio.

Si autem hyberno tempore fuerit, Recipe rhabarbari electi drach. i. agarici optimi, drach. sem. cinnamomi scrup. i. omnia in subtilißimum veluti pollinem redacta, cum melle rosaceo fiat bolus, quem capiat hora electa, cui repentè superpotet infrascriptam potionem, Recipe mellis rosati colati vnc. ij. aquæ buglossæ vnc. ij. misce. Hæc sint satis de purgationibus. Aliquot item infra descriptas comperies ad propositum. Id nosse nunc satis erit, agaricum, rhabarbarum, & similia, si in bolis disponantur (vt fecimus, sic vt amaritudinem gustus non percipiat) vomitum non facilè ciere. Secus autem si in potibus dissoluantur, vel infundantur. Verùm si in corpore boni habitus contingat, facta sectione venæ, fortè sat erit, vincula administrare, & aluum clysterijs mouere. Situs pariter ad bonam prouisionem non parum conducit. Præstat autem vt vulnus supernè situetur: nam pulmo, si circa eiusdem regiones illud sit, continuò suo motu, non tantum vulnus perfricando recrudescet, sed sibi æque obest: si nanque vel sanguis, vel pus sit collectum, sat erit quandoq; se super vulnus inuertere, vt illa exeant, non perpetuò suprà illud insistere. Pauca loquatur æger, propter laborem: nam longo sermore defatigantur omnes thoracis partes. Tußis præterea non infestet, laborandum est. Aer temperatus sit, vbi ægrotus moram trahit, ne intrinsecæ partes thoracis, frigidiore aere quàm fuerint consuetæ, tristentur. Facilè siquidem tußi exagitatur refrigeratus pul-

Vincula.
Chlysteres.
Situs
Sermo breuis.
Tussis.
Aer.

pulmo. Quare ocyßimè curandus est æger, ne diutius per vulnus aerem trahat. Nam & si is calore vel frigore non noceat, infestabit tamen sua siccitate, qua facillimè pulmones molestiam suscipiunt. Parcißimè nutriatur, quoad symptomata mala vereantur, puta panatella in iure pulli, vel cum oleo oliuarum dulcißimo, vel oleo amygdalarū dulcium vel recenti butyro. Potet mulsam, si non abhorreat, aliter aquam cum abundanti sacchraro, & caricis, vel paßis vuis, uel liquiritia. Elapso symptomatum timore, pullinis, vitulinis, caprinis, auiculis, ouis, & similibus, ac vino paucifero parcè nutriatur, sic vt ad consuetudinē paulatim regressum faciat. Animi motus non modò hic, sed in omnibus reliquis curis cogendos esse supponimus, quemadmodum & moderatos somnos conciliandos, si molestæ fuerint vigiliæ, vt in vulneribus iuncturarum sæpe accidit. Verùm enimuerò non raro, præcipuè tamen in vulneribus punctim, vel cæsim factis, sanguis collectus, ac coactus in thorace retinetur, qui postea ægris negotium faceßit, ita vt nisi artis peritia succurratur, ad interitum sine spe salutis labantur. Quamobrem fore nunc iustum existimaui, quo ingenio iys opem ferre liceat, explanare, vt eos artifices metu exuamus, qui formidine oppreßi, quod ipsa ars potißimùm exigit, minus tentare solent, vt non nullos, quos in hoc casu, ac in aliys, in quibus non erant exercitati, & monui, & obiurgaui. Quum igitur sic sanguis in thorare remanserit, qui per vul-

Cibus.

Animi mot9

Somnus.

nus commodè educi non potest, vel quia hoc paruum est, & supernis partibus iacet, vel quia in loco est, qui plagæ dilatationem sine maioris noxæ periculo sufferre minimè potest, vt circa spinam exitus alius tunc parandus est. Sed vt is & in loco minus molesto, & opportunè fiat, idcircò signa indicantia, & locum aptum ad institutum hoc priùs exponere licebit. Proinde si sanguis in thoracis cauo collectus fuerit, pondus super septo transuerso semper, dum rectus manebit, percipiet æger: & si pronus, vel stratus huc atque illuc se circumuoluat, prout mouebitur, illum fluere, ac refluere sentiet: respiratio magis impedita erit, cùm rectus perstiterit, vel si stratus sit in partem sanam vertatur, sanguinis quicquam, vel puris cum sputo miscebitur, non tamen vt sanguinem per se expuat, nisi pulmo sit vulneratus. Tußis, color faciei ad plumbeum vergens, oculi caui fient, & respiratio quoquo modo putida. Hæc cum apparuerint, sanguinem, vel pus, in thorace esse intelligere oportet, exitum liberum postulantia. Pus autem in thorace similiter colligi potest, etiam si ab accepta plaga sanguis illuc minimè descenderit. Ex pure scilicet quod à proprio vulnere paulatim in cauum effluit. Exitus itaque fieri potest inter tertiam & quartam costam, incipiendo ab inferiori parte, vel inter hanc & quintam, vel adhuc inter hanc & sextam: sed supra hanc incommodißimè euacuari potest, quod in thorace continetur: & infra tertiam suspectißima, imò

Indicãtia sãguinẽ in pectore.

&

& lethalis est incisio, propter septi transuersi contiguitatem. Ab eo verò, qui inter tertiam & quartam est, facillimè expurgatur, & non multi periculi. At media est etiam purgationis facilitate, quæ inter quartam & quintam fit, & minoris periculi: quapropter semper inter has duas sectionem & feci, & fieri iussi, vt plurimum cum fœlici successu. Sedeat igitur æger super cathedram, & inclinet aliquantulum versus sanam partem: vel si imbecillis sit, stratus super lectum sanam partem reponat, & è directo sub axilla, vbi ferè cubitus cadit, nouacula bene scindente secentur musculi intercostales inter iam dictas costas, & cùm ad pleuram perueneris, leuiore manu illam seces, ne nouacula impetuosè inuento vacuo septum transuersum exulceret, sat erit osculum facere, quantum oliuæ folium intrare poßit: quo facto, æger in partem hanc paululum inclinet, quò vel sanguis, vel pus exire valeāt, ne tamen in totum educantur, sed paulatim in sex, vel octo diebus, vel quindecim, si contenta in multa copia existant, quibus diebus metrenchite mulsa temperatè calida inijciatur, laueturq́; , in qua hyssopum, praßium, caricas, passas vuas, si velis, coquere poteris, si ualentius, uel exiccare, uel calfacere uelis. Verùm ubi neutrum horum desideratur, sola mulsa per se sufficit. Verùm enimuerò quod animaduersione adhuc dignißimum fore existimo, est (præsertim cùm inter tertiam, & quartam costam facta fuerit sectio) vt metaphrenon, quod ibi maximè pro

pinquum est, lancinare caueas, uel clysterijs fistul. vltra modum imposita, vel lotione vi impulsa: quapropter tutius, imò etiam vtilius erit, clysteris fistulam nō vltra pleuram immittere, & lenißimè quantum poteris, lotionem infundere. Ab ijs osculum apertum conseruetur clauo, ex filaminibus, vel panno leui lineo confecto, qui nec longus multùm sit, ne septum ttansuersum tangat: nec durus, nec crassus valde, ne vi immissus dolorem faciat. Hunc autem oui albo prima die imbuere poteris, & circunstantes partes vnguento ex oui albo rosaceo & bolo armena duobus tribusúe sequentibus diebus, illiniatur clauus vnguento ex terebinthina, oui luteo, & croci parum, confecto, mox melle simplici, vel rosaceo, si magis velis: quibus (si libeat exsiccare aliquantulum magis) iridis puluerem, vel aristolochiam, vel similium aliquid adijci poterunt, pro cataplasmate conferentißima erunt ex chalcitide dictum emplastrum, vel quod ex exeleo, & argenti spuma paratur. Cum thorax mundus & vacuus fuerit, & osculi caro sana, & puris vel minimum, vel nihil in cauum amplius colligitur, tutò eo tempore consolidari potest apertura, ante sectionem corpus purgare, vel sanguinem mittere, si vires ferant, oportet: quòd si hæc non satis respondeant, crura vincire fortius oportet, præcipuè in hora operationis, item & diebus aliquot succedentibus, non spretis frictionibus, clysteribus, victus rationem similiter patientis virtuti conferendo.

De

De vulnere ventris inferioris. Cap. XVIII.


INferioris ventris vulnus si epigastrij tantùm partes infestet, vel circa lumbos absque penetratione, & spinæ læsione sit, non secus ac vulnus simplex in carnosaque parte acceptum curandum est, glandis scilicet eductione primò, mox contusæ ac laceræ carnis ablatione medicamentis ad hoc dicatis, eo videlicet, quod cum puluere præcipitati paratur, vel ægyptiaco leuiore, vel alio quopiam simili, quibus accedat à secundo die conueniens abstergentium cum leuiore exsiccatione vsus. At si glans in cauum vsq; peruaserit, & partium internarum aliquam, puta hepar, vel splenem, ventriculum, vel intestina, siue ea gracilia, siue crassa sint, vel vesicam, vel venarum arteriarumúe magnarum aliquam, siue renes sauciauerint, spes salutis penitus frustratur. At si nullum horum vulnere affectum sit & glans educta, bene sperandum est: verùm non sic, vt periculi expers omnino dici posit. Quare cautum artificẽ esse oportet, non tantùm circa agenda, sed & circa prognosticũ, ne ignominiam ex perperam facta prædictione sibi asciscat. Si igitur glans sine prædictarum partiũ læsione epigastrium vtrinque peruaserit, vt mihi vidisse aliquando contigit, curationis modus ab antedicto non varius est, quantum ad id, quod ad vulnus ipsum spectat. Nec hoc ampliandum esse laudo. Nullius autem frugis erit, sed damni potius. Nam quo maius osculum

redditur, ab extrinseco aere magis lædũtur viscera vnde & maior redditur affectus. At si partium dictarum aliqua vulnerata sit, proficiet vtiq; nihil epgastrij osculum latius reddere. At si glans intus remanserit, & certum signum nullum habeas de læsione dictarum partium, laborandum est, vt educatur, ægro super vulnere decumbente, huc atq; illuc se ducente, sic tamen, vt vulneris osculum versus solum è directo prospiciat, mox specillo flexo, prout in vulneris thoracis curatióne, dictum est, ab artifice exercitato peruestiganda est, & inuenta educenda. Quòd si inueniri non poßit, & vulnus in parte sit, quæ dilatationem sine multo discrimine pati poßit, ampliandum est per musculorum longitudinem, quantum digitus index facilè poßit immitti, sed pro dilatatione instrumentum omnino acutæ cuspidis, expers sit, ne fortuna intestina pungantur. Quò facto iterum æger super binas mensas paulo inter se distantes reponatur, ac status super vulnus decumbat, & imposito dig to, moueatur huc, atque illuc æger, parte item sauciata, continuò versus solum inclinata. At si inueneris, educas: quòd si non, finito. Aliquot hercle vidi in inferiore ventre cum penetratione sauciatos, qui cum glande superuixerunt: quod non foret, si eam perquirere, ac extrahere conati fuissemus. Inter quos superstes adhuc viuit Paulus Bergomensis loricarum faber, qui Cherij habitat. Is autem vulneratus fuit paululùm super inguinem dextrum cum penetratione, à quo

glans

glans educi, nec inueniri potuit. Non tamen vt vulnus ampliaretur permisi: sic nostro consilio (post numen) adiutus est, & sanus viuit, ferens in ventre glandem intus: igitur permittenda est potiùs, quàm periculosam sectionem facere, vel eam cum minima, vel fortè nulla spe optati finis potiundi. Cura præterea vulneris modo iam supradicto prosequenda est. Quòd si sanguinis aliquid in ventrem fluxerit, vino mulso, calidoq; lauetur. Idem fac, si pus introeat, & quum ventrem sanguine & pure vacuum videris, & vulnus mundum, beneq; dispositum, consolidationi, glutinationiq;, quantò celeriùs fieri potest, attendendum est, primò carnem replentibus, si hæc desideretur: vt recipe thuris, aloes, farinæ hordei, an. drach. i. terebinthinæ puræ, mellis, succi myriophylli, an. drach. ij. cum succo primitus, misceatur farina, deinde ad ignem dissolue terebinthinam, & mel: quibus simul addantur omnia, & optimè misceantur. Hoc vnguento illinantur lychnia, & puluilli ex mollißimo carpentato linteo. Pro cataplasmate diachalcitidem eo more paratum, ac ipse affectus indicabit, appone. At cùm carnem, penè quantum conueniat, creuisse videris, ad ea, quæ adstringunt cum exsiccatione recurrendum est, vt mel cum puluere balaustiorum, mastiche, & terebinthina: pro cataplasmate verò chalcitidis, cui sit mista decima pars aluminis rochæ. Prætereà fouere vulneratam partem spongia in vino madida, in quo sint cocta balaustium, alumen, & sicca rosa: à

fomento ſiccetur, & medicamentis dictis curetur. Si autem ex uulnere exciderint inteſtina, & flatu tumeant, hunc fomentis calidis ex aqua, uel quod melius eſt, uino calido diſſoluere laborandum eſt, illaq; in uentre reponere. Quòd ſi ijs præſidijs non iuueris, dilatare uulnus cogeris. At hic ſumma diligentia uti decet, ne inteſtina ſaucientur. Situetur igitur æger, ut uulnus ſurſum uergat, deinde laminam habeas corneã, ex qua lanternæ fiunt, ſit autem ſemipedalis longitudinis, ac tantæ latitudinis, quãtum uulnus concedit, in hac puta forma parata,



Hanc (inquam) à tenuiore parte in uulnus mittes, quæ per binos tranſuerſos digitos ad ſummum infra peritoneum deſcendat, reliquum verò ſiniſtra manu flectatur verſus vulneris partem ſectioni oppoſitam, ſic vt eadem manu, quæ exterius ſunt inteſtina, immota, ac ſub lamina teneas, quoad ſectionem feceris. Nouaculam autem ad hoc munus ſat commodum inſtrumentum eſt, & modus dilatandi tutißimus, ac facillimus. Tanta fiat in abdomine apertura, quantum ordine reponi poßint inteſtina: & ſi epiploon exciderit pars aliqua, eaq; liuida, ac nigricans ſit, ligetur filo ſerico, vel lineo, & quod extra vinculum remanet, totum amputetur. Nec filum longum relinquere eſt neceſſe, quinimò neque

tu-

tutùm, vt Galenus in vulnere ventris cæsim facto iubet. In mißis intestinis glandem perquirere si oportet, & (vt suprà dictum est) curæ reliquum perficies, suta tamen primò plaga cæsim facta, perinde vt suuntur vulnera ventris, quibus sutura debetur: nec secus eadem pars curari debet, ac vulnera secta, oui albumine primò, mox terebinthina cum aristolochia, & similibus. Sed nec hic prouidentia sub silentio sunt prætereunda, quæ primis diebus magis conueniunt, puta phlebotomia ex brachio eiusdem partis, verùm non copiosa multùm, si tantùm epigastrium fuerit affectum, purgatio, vincula brachijs administrata, tibijsque, tenuis victus, quies, vulnus supernè situatum, nisi quandoque per id pus, sanguinemq; percolari velis, aluus mollis medicamentis (nisi spontè & liberè deijciat) conseruetur. Prouidētia

De cura artuum. Cap. XVIIII.

Modò itaque expletis curis, quæ capiti, thoraci, & ventri inferiori debentur, superest, vt reliquarum partium vulneris curationem exponamus, brachiorum scilicet, & crurium, per quæ nunc intelligimus totum, quod infra ischion, & infra humerum continetur. Si itaque vulnus in sola carnosa parte constiterit sine peruasione, specillo glans perquirenda est, & inuenta rostro aliquo educēda. Et quia hæc (nisi statim ab accepto vulnere sit) difficilè inuenitur, oportet membrum in altum leuare,

quò iterum descendat. At si non inueneris, omitte: neque enim propterea vulnus ampliandum est. At si ex opposita parte cutaneam se ostenderit, ibi aperire, ac illam educere licebit, attentus semper, ne ex venis maioribus, quæ versus cutem feruntur, aliquã seces. Si autem vtrinque peruaserit, labore venandæ glandis absolutus, curationi attendendum est: cuius processus talis erit, Si distent inter se foramina, tunc lychnus subtilis ex goßipio retorto, vel mollißimo linteo paratus specillo instar acus, ex altera parte perforato vtrinque ducendus est. Quòd si transitus liber non sit, propter musculos, qui mutato membri affecti situ, illum intercludere quandoque solent, non propterea vi (vt plures faciunt) flammulam vltro educere nitendum est. Nam sat erit ex vtraque parte clauum linteum imponere, & vnguentum in vulnus instillare, quò in profundas partes feratur. Vnguentum autem est id, quod laudare consueui, ex butyro, & puluere præcipitati, vel ex mitiore ægyptiaco: verùm in corpore sano sæpe solo butyro, quoad caro contusa separari incipit, contẽti sumus. Sed expeditiùs segregatur, si duobus primis diebus vel primo tantùm præcipitati puluerem addideris, quo vnguento illinantur lychnia, vel claui, vel puluilli, qui vulneri immittuntur, supra verò circunstantes partes medicamẽtum, quod ex rosaceo, oui albumine, & bolo armena paratur. Hoc autem tutò vti peteris ad quartã vsque diem, & vltrà, si phlegmone timeatur. Apparente signo ali-

aliquo concoctionis, simplo butyri duplum mellis adde, quoad bene coctum pus esse noueris: cui mox succedet vsus istius sequentis, Recipe succi apij, succi myriophylli, terebinthinæ, an. vnc. i. mellis vnc. ij. farinæ fabarum, farinæ hordei, an. drach. ij. aristolochiæ rotundæ drach. i. ß. aloes drach. i. primò pulueres cum succis, & melle ad ignẽ immisce, mox terebinthinam, & aloen adde. At si in magno æstu sit, vel pars affecta aliquo calore tentetur extraneo, loco apij, succum plantaginis adhibe: & si abstergere magis velis, dosim mellis auge, vel succum chelidonij immisce. Quod si siccare magis, lytharg yrum subtilißimè tritum, calcemúe sæpius lotam, ac siccatam impone. Quum autẽ vulnus absterſum bene, in quo non superabundet pus, perceperis, ad ea, quæ carne replent, deuenire licet; vt, Recipe terebinthinæ vnc. ij. mellis vnc. i. aloes, thuris, farinæ hordei, an, drach. i. aristolochiæ darach. sem. misce. Attendendum est, vt hoc tempore, & subtiliores, & pauciores claui fiant, etsi lychnium vtrinque sit ductum, apparente plagæ mundificatione, statim auferendum est, & clauos exiles immittere, eòsque in dies breuiores reddere, non secus, ac si vulnus cæsim factum curare intelligas. Verùm si ossa fracta fuerint, maiore diligentia occurrere operæpretium est, cùm propter morbi iam facti magnitudinẽ, tum propter futuri timorem. Non enim in iis facile corriguntur inflammationes, quibus tamen facillimè corripiuntur. Vulneris igitur huiusmodi curatio di-


Si ossa fracta

diuersa medicamentorum genera à suprascriptis nõ requirit. Sed vehementiùs attendendum est, ne dolores fiant. Ii autem excitari vehementer solent, vel situ membri improprio, vel molesto eiusdem motu, vel ligatura strictiore, vel munimentis, coperturisúe parcius, vel abundantius appositis, quò frigus patitur, vel abundantiùs calor incenditur, uel medicamentis facultate calidis, uel uiscositate sua fuliginosos halitus perspirare probibentibus, uel immoderato repellentium usu, quo affecta pars calore innato exuitur, aut cõcentratus magis inualescat, sic ut stipata cute æstuet, uel aliqua re pungente, ut oßis frustulum, uel ex humorum multitudine, siue uitio, in patientis toto corpore, uel aliqua parte cõtentorum, ad affectam partem fluentium. Ceterùm ex multis erroribus cùm ab ægris, tum ab ineptis chirurgis commißis, qui nimia curiositate, non raró ossa educendo, glandem uenando, uulnus dilatãdo, contrariam partem aperiendo, ægros dolore iugulant, circa quæ omnia solicitum esse uulnerarium oportet, ut ratione morbo obstare ualeat: quod facere (non nisi casu) poterit. causam affectus, si ignorauerit. Hæc repetere nunc libuit, quo in rebus periculosis, in quibus inconsideratè frequenter præcipitant parum in arte exercitati, attentos eos magis reddamus. Quum igitur ægrum curandum habueris, & glans in membro adhuc sedet, patientem super strato, vel mẽsa decumbere facito, & artificiosè, cum minimoq; dolore, glandem aucupare: quam

Dolor quibus fit.

si


si inueneris, educas. Verùm animaduerte, ne deceptus os trahas, ratus glandem esse. Ossa autem, nisi omnino sint à membranis seiuncta, vi educi non debent, vt suprà in proprio capite dictum est. Curabis igitur vulnus, perinde vt simplicis curationem descripsimus, siue glans vtrinque peruaserit, siue non. At curato vulnere vena secetur ex opposita parte, nisi repentè sit à cibo, deinceps in strato repositus affectum membrum accommodabis, quò quietum, ac immotum, pro viribus conseruetur. Quod fit si instrumentum cauum ad huiusmodi formam



ex ære, ferro, lignoúe, prout fieri solet in fracturis, vt membri forma indicat, paraueris, goßipioq; vel stuppis mollioribus munieris, ac in eo commodè illud reposueris. Membrum autem nec vitta, nec alio ligamentorum genere stringi, nec ligari debet, ne coactus sis in quacunque curatione illud mouere. Fieri autem non potest, quin doleat, dum fractum membrum mouetur. Prætereà non perinde vt in simplicibus fracturis commendantur ligaturæ, sic, & in hac conferre censendum est. Nam in illis reunitio tantùm affectæ partis expectatur: hic autem primò extranearum rerum ablatio, mox deperditi re-

ge-

generatio, quæ non nisi temporis diuturnitate fiunt. Quibus succedere debet separatarum partium vnitio, aut (si malis) copulatio. Pro qua re satius erit, absque ligaturis illud immotum, & situm, atq; naturalis illius figura expetit, seruare, tantumq; illud pannis tegere, ne aeri expositum malè habeat. Sed quia quandoque vulnus in membri parte est, quæ super strato reponitur, vt posterior cruris, vel brachij pars, sic vt nos cogat, quacunque hora curationis ipsum eleuare. Quò igitur minore motu, minoreq; molestia id fiat, instrumentum iam dictum ex ærea



lamina, in quo membrum reponitur, scindatur, vel perforetur ea parte, qua vulnus residet, sic vt commodè hoc videri, curarique poßit, dum simul cum instrumento è strato membrum leuatur: vnde renouatis vnguentis in proprio loco recondatur, sub vulnere nitidum goßipium, vel linteamina munda, quacunque cura innouato, ne sua putredine putridum & vulcus reddat. Prætereà in his molestæ sunt flammulæ, quæ vtrinque ducuntur: in ijs autem ossium asperitates affiguntur, vnde nec sine dolore edu

ci possunt, nec sine magno dubio sauciandi nerui, vel venæ lacerandæ, quæ quandoque illic proximè offeruntur, quæ demum magnum negotium exhibent. Quare satius esse assero, exiles clauos ex molli linteo vnguento illitos immittere, quàm flammulas illas, quæ siquidem quandoque & sæpe flammam in membris excitant. Purgetur patiens secunda vel tertia die ab accepto vulnere: sed ne motu patiens membrum grauetur, præcipuè si sit affectum crus è strato non surgat, sed vasculo sub natibus posito, aluum exoneret, donec os reunitum fuerit: quod infra dies quadraginta ad minimum fieri, ac reuniri non solet. Frictiones, ligaturæue, in contrarias partes conferent, si ratione administrentur. Primis diebus tenuißimo victu, reliquis paulò pleniore est vtendū perinde atq; virtus, ac morbus ostentant. Quod genus curationis non aliter variatur, si sint iuncturæ affectæ, nisi quòd cùm partes eæ calore naturali magis depaupertatæ sint, quàm carnosæ, difficilius humorem ad eas fluxum concoquunt, ægreq; resoluunt. Quare maiore diligentia vti operæpretium est, quò non fluat humor, quod reuellentibus fit: & fluxus coquatur, & in pus ac in vaporē vertatur, ac expellatur. Ad quod munus conferunt maximè, si vnguento ex præcipitato parato aliqud olei de terebinthina, vel balsami artificialis Ioannis de Vigo, vel hipericonis, vel euphorbij aliquid addideris, vel quippiam tale, quod partis affectæ naturalem calorem conseruet, ac roboret. In vulnere puta

Purgatio.

Frictiones. Ligaturæ. Victus tenuis.

Quare iuncturæ difficilius curētur

hoc vnguentum conferet, Recipe butyri recentis, terebinthinæ claræ, an. vnc. sem. olei de terebinthina, vel balsami artificialis tantundē, vel hiperici scrup. tres. At in hyberno tempore vel temperatura corporis frigidiore toti compositioni addere poteris euphorbij scrup. 5. supra vulnus vnguētum factum ex toto ouo cum rosaceo, ac farina hordei simul mistis, ac crudis, parum calide si hyems: tepidè, si æstas sit. Nam partes neruosæ difficulter ferunt frigidum, ac coctione celebrata ad ea, quæ mundificant, recurre: quibus si balsami præscripti vel ireos vel euphorbij aliquid addideris, proficies. Abstergentium medicamentorum vsus tandiu iuuat quamdiu ossa (si aliqua fracta sint) quæ reuniri non valeant, intus remanserint, quæ (nisi vrgente necessitate) vi educi non debent donec natura à mēbranis, ligamētisque expoliauerit, victus præterea tenuis, ac de his satis.

De vstis. Cap. XX.

Si cutis non exulcerata.

Vesicas prohibentia.

VStis flamma ex puluere confecta, non alia ratione, nec alijs medicamentis curam postulant, quàm illi qui alijs ignibus vruntur. Si igitur non exulcerata cutis sit, summoperè prohibent vesicationem infrascripta vnguenta, videlicet oleum ex oliuis cum sale, vel oleum amygdalarum amararum simplex, vel cui parum salis sit admistum, vel oleum amygdalarum dulcium adiecto sale, vel illud, quod vulgaribus est familiarissimum, duplum scilicet suc

ve-

ceparum, & simplum vernicis liquidæ. Si autem vesicæ, & vlcerationes aliquæ adsint, confice hoc vnguentum. In oleo oliuarum coquito ex secunda cortice sambuci, abundanter, deinde eo colato adde cerussæ partes duas, plumbi vsti, lithargyri, ana partem vnã, in mortario plumbeo diu misceãtur, & fiat linimentum. Vesicæ nec prima nec secunda die sunt rumpendæ, sed tertia vel quarta, nam quandoque dissolutione sola sanantur. Quod si à principio aperiantur, dolorem diu inferunt, ac curam remorantur: sedatis symptomatibus flammam sequentibus curationis reliquum sequatur, non secus ac vlcera aliorsum orta, prout eorum simplicitas, vel compositio indicabunt, non omissis in principio repellẽtibus, reuelentibúsque, ac reliquis ingenijs præseruatiuis, perinde vt affectus magnitudo exiget.

De phlegmone. Cap. XXI.

QVanquàm nihil omiserit chirurgus eorum, quæ artis sunt, non modò quæ ad proprij affectus curam spectant, sed etiam ad symptomatum prouisionem, nihilo secius sequitur sæpe vt phlegmones affectam partem infestet, vel ob patientis errores, vel eiusdem malum succum, vel morbi magnitudinem: quare quomodo, quibusúe ingenijs huic succurrere oporteat, hic inserere operæpretium esse duximus, ne & si non omnia, quæ ad hoc nostrum institutum vtilia esse cognoscimus, describere intelligamus

mus, eorum saltem, quæ maximè sint necessaria, quicquam omisisse videamur. Hic igitur phlegmonem dicimus inflammationem in parte aliqua nostri corporis ex impetu humoris influentis excitatam. Cùm igitur hoc fit, si causa sit aliquis patientis error, is moderandus est. At repellentia affectæ parti, etiam si prouenerit ex causa alia, sunt apponenda, contrarijs verò retrahentia, vt vincula, phlebotomia, frictiones, balnea, purgatio, prætereà quies, ac tenuis victus. At reuellentia (si ratione administrentur) quocunque morbi tempore conferre possunt. At quum fluere desinit, quod ostendent symptomatum remißio, ruboris scilicet, & doloris, ad dissoluentia transeundum est. Verùm non statim per se, ne calor reuocetur, sed repellentibus admista, ut puta chamæmelum, cum oxycrato, vel lactucæ succo, vel polygoni succo, vel cum iis, similibusq; mistum, vetustum oliuarum oleum, vel quod cum lilio, vel anetho, vel pulegio, vel rutha, confectum est, vel alijs eadem potentia præditis. At quandoque molestißimos dolores facit phlegmones: quò fit: vt ad eos sedandos conuertantur auxilia. Leniunt autem dolores spongiæ in tepida aqua madidæ, vel lacte tepido frequenter immutatæ, vel cataplasmata, ex pane vel frumenti farina, vel ex furfure in aqua, vel lacte, vel sapa cocta. Hæc autem duplici ratione iuuant, & leniendo dolorem, & aliquid existentis materiæ dissoluendo. Dolore remisso, ad discutientia te conferre oportet, vt furfur, vel hordei farina,

Phlegmon quid

Dolorem sedantia.

Quando discutiendum

rina, vel rosarum duplum, & camomillæ simplum, in simplo hepseme, & aquæ duplo, more emplastri cocta. Vel recipe florum rosarum crasso modo tritarum vnc. iiij. florum camomillæ vnc. ij. aquæ fontis partes duas, sapæ partem vnam: ad ignem bulliant, & fiat emplastrum. Vel recipe furfuris libram vnã, aquæ fontis partes duas, sapæ partem vnam: ad ignem fiat emplastrum, & calidè applicentur. Magis autem hæc discutiunt, quàm quæ ex glutinosa aliqua materia parantur, quæ suo glutino poros cutis occludentes transpirationem humorum prohibent. Præstantissimè autem discutit ex aqua calida fotus, Verùm quum phlegmones, discutientibus præsidijs, doloremq; lenientibus oppugnat, illam ad suppurationem tendere intelligere oportet: quare eo tempore medicamentis pus accelerantibus auxilium præstandum erit: sunt .n. ea, quæ calefaciendi cũ humectatione vi pollent: potissimũ quippè id perficit, quod cum calore aliquo glutinis instar, cutaneos poros obturat. Hinc fit, vt vi suscepta innato calore, expeditè concoquat, quod concoqui est habile. Talium igitur medicamentorum compositio ex triticea farina cum sapa & oleo fit, vel cum aqua loco sapæ: & melius, si calor multus in particula manifestetur. Quòd si cum pituita fuerit mistus, humorq; lentè coquitur, ex farina lini seminis, vel fœnugræci paretur cataplasma: nam vbi calor intrinsecus potentior est, externa ope minus eget. At quum pus iam collectum perceperis, nisi in magna

Medicamenta resoluens

Si dissoluentia non prosunt.

Pus mouentia.

Quando pus collectũ est.

ſit copia, ad medicamenta diſſoluentia confugies: nam ſæpe collectum pus per inſenſibilem tranſpirationem diſperſum vidimus, præcipuè ſi in parte carnoſa conſtiterit. At ſi diſſolui ſine ſectione non poſſit, ſecetur vbi cutis tenuiſsimam ſe oſtenderit: nam ex ea pars eſt, quam infimam perpetuò intelligere debemus, in aperiendis apoſtematibus. Hoc etenim facto, ſi ſinum magnũ inueneris, non penitus pus educes prima die, ſed paulatim ſuccedentibus diebus euacuabis. Medicamẽta prætereà primitus, quæ mediocriter ſiccent, ſuperponenda ſunt, vt cataplaſma ex hordeacea, fabaceaque farina, cum lixiuij parte vna, & ſapæ partibus duabus incoctis. In cauitate verò lychnia imbuta medicamentis abſtergentibus, cum exiccatione, vt mel cum hordei farina, & puluere ireos, & ſimilibus. Sed quum plerunque phlegmonem gangræna ſequatur, oppidò perquam vtile erit, nunc de hac ſermonẽ habere

De gangræna. Cap. XXII.

Gangræna quid.

GAngrænam vocamus, cùm pars aliqua noſtri corporis poſt vehementem inflammationem ad interitum labitur, nondum penitus extincta: fit autem hoc eodem modo, eademq; materia, atq; phlegmones ipſa, hoc duntaxat ab inuicem differentia, quòd ſcilicet in gangræna valentius ſint impacti humores, & partis affectæ vaſa omnia ad ſummum expleta, ita vt non perinde ac in phlegmone facilè

vel

vel in halitus dissolui, vel in pus conuerti possint. Multitudine siquidem potius, quàm humoris malitia, in hoc affectu suffocatur innatus calor: quò fit, vt neutrum illorum non modò peragere, verùm neque tentare satis valeat, sed extemplò in sphacelon migret, nisi ocyus artificis ope leuetur. Curatio igitur repentè soluere, quod extremè repletum est, quo rursus renutriri incipiat. Sed, vt id facias, membri nigredo expectanda non est (vt quidam consulunt) Vanum autem est, auxilium post mortem offerre. Verùm tu quum videas membrum in magnum tumorem, & quoquo modo durum, eleuatum, ac inflammatum, quod liuescere incipit, nec diminuitur tumor, neque durities, tunc acu, vel leuiuscula scalpellatione cutem in varijs locis punge, vt intelligas an sensus adhuc integer sit: nam incipit sæpe magis ex vna parte, quàm ex alia, prout vel situs, vel dolor consenserint: ferè semper membri partem, quæ lecto non premitur, in gangrænam primò transire videbis. Nã sæpe id obseruaui, quod ratione deinceps cõprobaui: pars autem, quæ lecto supersedet, premitur totius membri pondere. Quò fit vt vasa eiusdem partis difficilè repleantur: quare & vltimò gangrænam experiuntur. Si igitur adhuc per omnes membri partes sensus fuerit, & vena aliqua in eodem membro manifestetur, hæc secetur, quantò propinquius tumide parti fieri potest, & sanguinem protinus mitte abundanter, deinde membrum isto vel similibus cataplasmatibus foueatur, Reci-

Signa gangrænæ.

Vna pars citius altera gangrænam sentit.

pe farinæ hordei, lentium, an. vnc. sex, floris camomillæ vnc. ij. cum sapa, & lixiuio optimo, æquis portionibus bulliant, & fiat emplastrum mediocris consistentiæ, quod crassum, calidumque, quantum sufferre commodè poßit, super crasso linteo extendatur, & membro applicetur. Si verò sensus expers

Si sit absque sensu

apparere iam cutis incœperit, eam absq; mora multis plagis nouacula aperire oportebit, ac tantum profundè, quantum scalpellationes perfectè sentiat: distantes autem inter se duobus digitis transuersis, & per musculorum longitudinem: nam hoc remedio plures liberauimus. Atqui vbi sanguinis ex his plurimum efluxerit, infrascripto vnguento eas replere oportet, Recipe mellis unc. i. præcipitati vnc. sem. misce, & vtere, uel loco huius, vnguentum ægyptiacum, & similia: verùm dolorosum est, nec æquè bonum, ac primum: ab ijs totum membrum infrascripto cataplasmate denso, ac calente, quantum sufferri potest, foueatur: Recipe farinæ hordei, lolij, lupinorum, & lentium, an. drach. i. mellis partem unam, sapæ partes quatuor, lixiuij boni partem vnam, & ad ignem fiat emplastrum. Sat erit semel in die similia medicamenta admouere, nisi icoris plurimum emanauerit: nam tunc bis in die renouare medicamenta licebit. Duobus, tribusúe diebus præteritis à scalpellatione, medicamenta, quæ leuius abstergant, cum exsiccatione, & sine morsu imponenda sunt, vt hoc, recipe mellis spumati vnc. i. terebinthinæ vnc. sem. aloes, farinæ hordei, aristolo-

chiæ


chiæ rotundæ, ana. vnc. i. miſce ad vſum. Supraſcriptum autem cataplaſma iuuabit, etſi per ſex, uel octo dies in uſum uenerit, uerùm mutato lixiuio, ut ſcilicet eius loco uinum addas, uel ſolum, uel æquis portionibus cum ſapa miſtum. At cum plagas abſterſas, beneq́ue digeſtas inueneris, perinde ut reliqua ulcera curanda ſunt, ſarcoticis ſcilicet, quoad cutem inducere liceat, mox cutem generantibus. Sed nec ab re erit, ſi ualidæ fuerint vires, ad contraria reuellere, ſanguinis miſsione, uel purgantibus. Qnòd ſi uirium robur ſatis non reſpondeat, ad ea te conferes, quæ ſine euacuatione in contrarias partes humores euocant, ut balnea calentis aquæ, uincula, frictiones mediocriter aſperæ, uictus præterea (ſi uires ferant) tenuiſsimus, magisq́ue in calidum, quàm in oppoſitum inclinet, & ambiens, & quæcunque apponuntur, ne tamen quid nimis. Aluus, ſi munus ſuum non præſtet, clyſteribus excitetur. Situetur affecta pars, ut reliquis ſibi continuis emineat, uel ſaltem non inferior ſedeat. Verum enimuerò non rarò cùm membra in ſiderationem, aut ſphacelon (ſi ſic appellare mauis) incurrant, opus labore non indignum nunc me ſuſcipere cenſebo, ſi quomodo, & quando illa amputanda ſint, ac quibus remedijs mox ſuccurrendum expoſuero. Ali quos mediusfidius interire uidimus propter ineptiã artificum, tum errantium circa principia, tum formidine huiuſmodi operis. Quare hic Chirurgus exercitatiſsimus deſideratur, ac omni formidine ſpo

De ſphacelo, & de eius ablatione.

liatus, intelligens præstantius esse quicquam cum aliqua, quantumuis minima spe agere, & minus tetrum esse, membrum spe conseruandi residui auferre, quàm illo relicto, omni spe dempta, totum corpus sine præsidio tuto interire. Quum præterea membrum sphacelatum inueneris, extemplò ablationi intende: nam facilè continuæ partes corrumpuntur, si diutius moram trahas. Cognoscitur enim nigredine sua, & omninò motus, & sensus deperditione. Nam cùm ad ossa, uel profundißimas membri partes nouacula plagæ multæ sine sensu fiant, siderati iam membri firmißimum argumentum est, quare scalpellando profundius uersus sanam partem, quoad sensum aliquem percipiat, percurrendum est, quò certior fias, quid auferre, & sinere quid conueniat. Incisio autem fieri debet inter terminos gangrænæ, & sphaceli. Nam quod omnino emortuum est, totum auferendum est, & quod sensum adhuc aliquem in se habeat, quantumcunq; obtusus is fuerit, totum conseruandum. Nam id quod gangræna tantum occupatur, in naturalem habitum referri adhuc potest. At in iuncturis ipsis incisio non fiat, sed infra uel supra eas, sic, ut si quicquam sentiat, puta uel cubitus, uel genu (nam circa has ut plurimum sectiones fieri accidit) infra secare oportet. Incisio autem minus periculosa est, quò magis à principalibus partibus distat, si ipsa ratione fiat. Si uerò penitus expers sensus iunctura fuerit, supra illam sectionem facere oportebit. Age igitur, cùm opus aggre-

Signa sphaceli.

gredi volueris, ſint tibi præſto, quæ infra notantur. Primùm ferrea inſtrumenta ad hoc munus apta, nouacula ſcilicet, & ſerra, quæ & ſubtilis, & acuminatis dentibus ſit, deinde ferrea cauteria igne rubentia. Vtile autem eſt ex his quatuor parata habere, & miniſtros duos, qui ſimul opus præſtent præcipuè ſi membrum magnum ſit, vt coxa, quo celerius liberetur, præſertim ſi patiens ſit imbecillis: Si verò vigeant vires in corpore, non inutile erit permittere ſanguinis aliquid affluere, librā vnam puta, plus, minusúe, vt virtus, membrorumq́; circunſtantium repletio indicabunt. Sint enim cauteria plana, leniaq́;, ac denſa, vt calorem diutius conſeruent. Sit præter hæc aliud, quo profundius vena (ſi contingat) vri poßit, quorum omnium hic formas exponimus.



Sint ab ijs parata vincula viribus valida, ne ea trahendo fortius (prout conuenit,) rumpatur: alterum, quod duobus digitis latitudine æquetur, alterum verò huic dimidio, quò fortiùs ſtringat: mox faſciæ, quibus accedat medicamentorum conuenientium apparatus, vt roſaceum, cum oui albo, & bolo armena: pro prima cura commodè vſtæ parti apponi poteſt & oxycratum, quo muniantur circunſtantes.

tes. Ast omnibus sic paratis, ac promptis, ligetur membrum supra locum sectionis per spatium digiti transuersi, primo uinculo latiore, & illicò post tenuiore, verùm strictè admodum, quò sanguis sectis venis abundantiùs non effluat. At statim vel vnà simul contrarias partes vincire oportet, quò sanguis retineatur, ne impetuosè ad membrum secandum fluat, & effluat. Pars autem super sectionis locum pannis in oxycrato infusis inuoluatur, & euestigiò cultro rasorio ponderosa manu sine formidine molles omnes partes super os sedentes sic scindantur, vt ne quicquam insectum remaneat, præter os, quod & ipsum actutum serra amputetur: quo facto, candentibus ferris tota pars secta ponderosa manu incrustetur, ac fortius os ipsum. At si vena aliqua contracta effluere non desinat, alio instrumento pro ea parato vratur: mox ablatis à membro patiente vinculis, cataplasmetur iam dicto medicamento, ac tepido: vicinæ verò partes frequentiùs irrorentur oxycrato frigido, si æstas vigeat, amoto frigore, si hyems instet, cõtrariæ partes modo uinculis, modò frictionibus mediocriter molestentur, ne iam motus sanguis ad imbecilliorem partem transcurrat. Diebus sequentibus, quò crusta decidat, infra scripto medicamento vteris: Recipe butyri non omnino recentis, nec vetusti, vnc. vi. lauetur per horam in succo porri, succum bis, terúe renouando, cum quo crusta implastretur. Quòd si porrum non adsit; butyrum solum, vel suis axungia, similiter

non

non omnino antiqua, ſatisfacient. Et cùm cruſtam iam ſeparationi vicinam eſſe noueris, butyro ſimplici, vel axungiæ recentis, mellis tantundem immiſce, & vtere. Illa deciſa, medicamentum, quod mediocriter exſiccet cum abſterſione, conducet: cui ſuccedant cutem generantia, quæ ſcilicet potentem exſiccandi ſine morſu vim habeant, prout in reliquis etiam vlceribus competere vos (vt exiſtimo) nouiſtis. Quorum omnium exemplaria infrà exponere non pigebit, eorum maximè, quæ familiari nobis vſui fuere. Sed virtuti hic primùm attendere oportet: nam in ijs facilè diſſoluitur, tum propter dolorem, tum propter euacuationem multam ſanguinis, ſpirituumque. Quare per horulam ab opere, præter rationem non erit, infuſum panem in vino paucifero dare. Nec eſt tentandum opus ſtomacho exiſtente famelico: ſtatim enim moleſta ſyncopi præhendi ſolent: nec eo repleto, ne cibus propter agitationem corrumpatur, vel in venas meſaraicas omnino incoctus trahatur. Tranſeamus nunc ad medicamentorum formas explanandas, quæ tam pro preſeruatione, quàm pro curatione nobis cum proſpero ſucceſſu frequenti vſui fuere, à debilioribus incipientes, ac omnia breuiter ſuo ordine diſponentes.

Putridam carnem remouentia. Cap. XXIII

CArnem contuſam ad putrefactionem accelerant, quæ facilè corrumpuntur, vel quæ calida

&

& humida facultate pollent, vt oui luteum, oleum tum commune, tum amygdalarum, & quod ex semine lini, vel fœnigræci, vel similium fit, præter hæc butyrum, & recens & vetustum, sed hoc magis, verùm propter eius calorem recens magis laudamus. Axungia porci, medullæ crurium vitulorum, boum porcorum, & quæ eadem facultate vigent. Verùm ad separationem illam magis vrgent, quæ colliquant exsiccantque, quale. præcipitatum, quod omnibus sui generis præfero, alumen, æris viride, chalcanthum, sandaracha, sublimatum, & quæ ex ijs fiunt medicamenta. Verùm horum nullum apponendum esse per se consulo: dolorem nanque excitant plurimum, præcipitato omisso: nam ipsum inter hæc minimè dolorem affert: sed & ipsum cum butyro miscemus. Si uero hoc præsto non sit, viride æs vstum vel purum cum butyro miscemus, vel chalcanthum, vel sublimatum. Sed hæc fortiora non vsui sunt conferenda, nisi vbi magna fuerit corrptela, quæ nec sola vi Naturæ, nec ope debilium medicamentortm separari nequit. In ijs & ægyptiacum dictũ vnguentum ponimus, quod ex aceti partibus septem, floris æris partibus quinq;, mellis partibus quatuordecim constat: cui quandoq; alumen, & sublimatum immiscemus, vt fortius reddamus.

Aegyptiaci compositio.

Abstergentia, & carnem generantia.

Cap. XXIIII.

ABstergunt succus myriophylli, verbasci, apij, ro-

rosarum, plantaginis, chelidonij, terebinthina, terebinthus, vinum, hepsema mel. Sed quia cùm abstergere intendimus, leuiter etiam exsiccare debemus, istis addimus hordeaceam, vel fabaceam, vel ex lolijs, vel lupinis, vel lentibus farinam, vel aristolochiam longam, vel rotundam, vel iridem, vel rosas, vel graminis radices, in tenuißimum ueluti pollinem redacta. Si ualentiùs abstergere intelligamus, uel præcipitati, uel aluminis, uel floris æris usti portiuncula toti massæ addemus uel ægyptiacum appellatum unguentum, uel ex horum & similium aliquibus miscellas conficimus, plus, minusúe exsiccantes, uel abstergentes, prout ulcus ipsum ostēdit. Nam ubi iam separata est ab utili contusa caro, leuiore abstersione, ac leuiore exsiccatione egemus, quo deperdita caro regenerari citius valeat. Nam quæ leuiter abstergunt, modesteque exsiccant sine morsu, vel cum minimo, carnis regenerationem non impediunt.

Cicatricem inducentia. Ca. XXV.

Cicatricem inducere dicimus quæcunque superfluam vlceris humiditatem moderatè exsiccare possunt, ac, si fieri posit, sine mordicatione, vt balaustiũ, gala immatura, syluestria poma, viridium nucum cortex, vesicæ super vlmos natæ, gallæ cupreßi in puluerem redactæ, plumbum vstum, tutia, lithargyrum, cerussa, bolus armena, terra Lemnia,

alu-

alumen, & similia, vel ex ijs confecta emplastra: prætereà fomentum ex austero vino, in quo sint cocta, quæ vi pollent adstringente, & siccante, vt balaustium, gala, alumen, & similla.

Repellentia. Cap. XXVI.

REpellunt quæ frigida sunt, & quæ adstringenti facultate sunt prædita, vt aqua simplex, stillatitia, decocta, vel succi herbarum frigidarum, vt lactucæ, plantaginis, poligoni, maioris sedi, & minoris, foliorũ, & summitatum, tum rubi, tum vitium, myrtus, balaustium, galla omphacitis, omphacium, acetum, mala pyráque sylvestria, mespila, sorba, alumen, atramentum sutorium, & alia huius generis: sed hæc mineralia cum humidis, ac frigidis miscenda sunt.

Dissoluentia. Cap. XXVII.

DIssoluunt quæ calefaciunt, & humectant, & quæ cũ calore leuiter exsiccãt, vt aqua calida vinũ calidum, omnia balneorũ genera, modò ea fiãt arte, vel natura sint calida, emplastra, olea, linimenta ex calidis medicamentis, vt anthemis, semen lini, fœnumgræcum, mentha, nepeta, serpillum, calamenthum, pulegium, vrtica, melissa, arthemisia, & alia plura, quæ & à Galeno, & Dioscoride, & à reliquis, qui simplicium medicamentorum facultates scripse-

ſcripſerunt, cognoſci poſſunt, ac experientia comprobari: quibus omnibus facilè prudens, ac exercitatus medicus, atque chirurgus, vbilibet ad vſum ratione componet medicamenta, prout morborum compoſitio indicabit: nam & hæc inter anodina numerari poſſunt, præterea fomenta ex calido lacte, vel emplaſtra ex pane trito in lacte cocto, cui ouorum vitella, crociq́ue aliquid ſint addita, vel furfur triticeum in ſapa coctum. At nunc de ijs ſatis me dixiſſe cenſebo, cùm locos Galeni recitauero, vbi medicamentorum formæ aliquot à me quandoque hic nominatæ ſcribuntur, ne pro ijs perquirendis chirurgi plurimum laborent: non libuit hic illorum compoſitiones inſerere ne videar opus maius feciſſe ex his, quæ ab alijs ſcriptoribus diffuſe, ac clarè fuere deſcripta.

Barbarum emplaſtrum ſcribitur ſecundo de compoſitione medicamentorum per genera, capite vigeſimoſecundo: & quia illic plures ſunt formæ deſcriptæ, chirurgus exercitatus ipſis vtetur, ratione ductus, ſic vt vbi magis ſiccare conueniat, & adſtringere, vel tertium in ordine ſcriptum, nigrum appellatum, eliget: vel aliud Iuliani, quod cruentis vulneribus competere dicit. Quòd ſi minus ſiccare deſideres, vel vbi adhuc carnis deperditæ regeneratio expectatur, primam vel ſecundam præpones compoſitionem, inſcriptam Barbarum, quo vtor.

Quod ex chalcitide fit emplaſtrum, deſcriptum reperitur libro primo de compoſitione medicamentorum

rum

rum per genera, capite quarto: nam & ipsum i pluribus modis vsui venire potest, prout diuersificatur eius compositio, vt ex Galeni dictis satis patet. Et quia chalcitis non facilè haberi potest, atramento sutorio, eius loco vtimur: & vbi deest palma viridis, vel myrtum, vel salicem, vel vlmum eius vice in vsum ponimus:

Tripharmacum ex exeleo, & argenti spuma, primo de compositione medicamentorum per genera, capite septimo inuenies. Isis epigoni si formam optas noscere, ad quintum de compositione medicamentorum per genera, capite tertio, recurre: nam illinc, & ex reliquis libris Galeni, præcipuè qui sub titulo de compositione medicamentorum per genera, & de simplicibus (vt dictum est) medicamentis, sunt inserta, varia medicamenta tibi suggeres, ad quæ recurrere poteris, si lubeat, oporteatque. Balani, aut (si malis) suppositoria, ex sapone fieri possunt oleo illita, vel ex radicibus betarum oleo illita, ac sale aspersa, vel ex melle diu cocto, donec indurescat, cui sint mista, vel sal, vel alumen, vel sal gemmæ, vel sal nitri, vel colocynthis.

Clysteria etiam varia fieri possunt: verùm quod communiter in vsum venire potest, tale erit: Recipe mellis despumati, olei communis, vtriusque vncias tres, caßiæ extractæ vnciam semis, salis drachmas duas, decocti foliorum caulium vncias octo, misce, & fiat clyster: vel loco despumati rosatum mel capere poteris, vel loco decocti foliorum caulium, maluarum

rum decoctum, præcipue vbi minus partes ventris calefacere intelligas: similiter & violaceum, vel rosaceum loco communis olei. Quòd si potententiora postules, adde hieræ picræ ab vncia semis ad vnciam vnam, vel diafœnici, vel benedictæ laxatiuæ in eadem dosi, vel electuarium rosatum, vel confectionem amech, prout humor euocandus desiderat. Quòd si adhuc acriores desideret, vnciam vnam minoris centaurij, in decocto incoque, vel colocynthidis vnciam semis. Præterea decoctum ex ebuli, vel sambuci folijs, vel radicibus, in quo etiam supradictorum aliquid addatur. Verùm hæc acriora tantùm conueniunt in vegetioribus naturis, in quibus ad illas partes reuulsio potentior cum euacuatione exoptatur.

Etsi non sit necessum huic nostri operi purgantium medicamentorum quicquam inserere, profuturum tamen quandoque plurimùm existimaui, præcipuè vbi medicus non adesse poßit, vel vbi chirurgus per se vtrunque præstare audet. Quod vtique secus consulo, nisi & is in propinandis medicamentis ventrem cientibus non mediocriter fuerit exercitatus, ne quandoque plus, minusúe, quàm liceat, educat, vel offerat medicamentum, quod vomitum moueat, vbi id cohibere omnino oporteat: quod quandoque prorsus perniciosum est, vt in affectibus, qui circa ventres fiunt: vel humorem educat, quem fortè sinere præstitisset.

Medicamentum choleram purgans, nec vomitum mouens.

RECipe rhababari electi & subtiliter pulverizati drachmam vnam, electuarij rosati Mesuæ drachmas duas, syrupi rosati laxatiui quantum sufficit: fiat bolus, quē capiat manè, vel serò, per horas tres ante cibum, cui statim superpotet infrascriptā potionem: Recipe syrupi rosati laxatiui vncias duas, aquæ cichoreæ vnciā vnā & semis, misce, capiat illicò ab assumpto bolo, hoc medicamentū quod bellè bilē ac serosos humores educet, ac sine molestia

Pituitam ducens sine molestia.

RECipe agarici optimi non trochiscati drachmā vnam, aloes electi drachmam semis cum oxymelite simplici, fiat bolus, quem capiat hora electa, cui subitò superpotet infrascriptum, Recipe mellis rosati colati vncias tres, aquæ decoctionis betonicæ vncias duas, misce, fiat potio, quā capiat extemplò ab assumpto bolo.

Educens melancholicum humorem.


RECipe pulueris foliorum senæ drachmam vnā, agarici, cinnamomi, ana scrupulum vnū, cum syrupo de fumo terræ composito, fiat bolus, quem capiat, vt suprà, & ex tempore infrascriptam bibat potio-

potionem: Recipe origani manipulos duos, agrimoniæ, ceterach, ana manipulum vnum, passularum vncias duas, aquæ fontis libram vnam: bulliant ad dimidium, cuius recipe vncias tres, syrupi de fumo terræ compositi vncias duas, misce: fiat potus: capiat illicò ab assumptione boli, vel si bolum hunc deglutire forsitan pigeret, loco eius fiat infusio drachmarum quinque foliorum senæ, cinnamomi drachmæ vnius, in vncijs tribus decocti immediatè suprascripti, cui superaddes syrupum de fumo terræ compositum in dosi signata.

Omnes hæ medicinæ suo loco & tempore exhibitæ in corpore, quod mediocriter medicinis pareat educent mediocriter, si debiliores, vel fortiores, vel quæ mistim humores educant, desiderentur, sapiens Medicus, tum ex his, tum ex alijs multis, quæ in purgandis corporibus vsui veniunt, medicamentorum varias formas, prout humores peccantes, ac patientis habitus indicabunt, componet. Hæc tamen obiter dixisse placuit, quisquis vberiorem huius lectionem desiderat, ad eos, qui ex instituto de hac materia tractare susceperunt, confugiat.

FINIS.

INDEX.



FINIS.



VENETIIS,
Apud Gratiosum Perchacinum.
M. D. LXVI.

